





Law 6752 B/2°

Wilhelm J. F. F. v.

Excellentij: et gratiosij
to: author dono dedit
Magno abbatij:

Y 184

Handwritten text, possibly a signature or name, located in the center of the page.

Handwritten text, possibly a signature or name, located in the lower center of the page.

**ANNUS
POLITICUS.**

I.

ANNA
POLITICUS.



MARTII NATUS ANNO
MDCCXXII
DIE XXVII

AUGUSTIS HIS

PARENTIBUS

UIS EMULANTIBUS.

ANNUS POLITICUS
PER DUODECIM DISCURSUS
TUM
CRITICO - POLITICOS,
TUM
POLITICO - HISTORICOS
EVOLUTUS,
QUIBUS EXPLICANTUR PRINCIPIA
PRINCIPI REGNUM AUSPICATURO
NECESSARIA
IN USUM

*SERENISSIMI PRINCIPIS
ELECTORALIS*

MAXIMILIANI
JOSEPHI

*UTRIUSQUE BAVARIÆ, ET SUPE-
RIORIS PALATINATUS
DUCIS*

COMITIS PALATINI RHENI
LANDGRAVIJ LEICHTENBERGENSIS.

M. J. AUTHORE *B. Burani*

IGNATIO FRANCISCO XAV. de WILHELM,
SERENISSIMI ELECTORIS BAVARIÆ CONSILIA-
RIO INTIMO ACTUALI, ET LIBERI COMITATUS
HAGENSIS ADMINISTRATORE.

CUM PRIVILEGIO SERENISSIMI ELECTORIS.

MONACHII

Typis Mariæ Magdalenæ Riedlin Viduæ, M. D. CC. XXXI.

ANNUAL POLITICAL

FOR THE YEAR 1912

CRITICAL - POLITICAL

POLITICAL HISTORY

LIBERAL EDUCATION FOR THE PEOPLE

THE LIBRARY OF THE UNIVERSITY OF TORONTO

MAXIMILIAN
MOROT

THE HISTORY OF THE REPUBLIC OF FRANCE


THE

LIBRARY OF THE UNIVERSITY OF TORONTO

THE HISTORY OF THE REPUBLIC OF FRANCE

THE HISTORY OF THE REPUBLIC OF FRANCE

SERENISSIME PRINCEPS.



Xoriens Aurora decernit
diem, serenus an sit, an tur-
bidus. Serenissime Prin-
ceps, tantus in ortu, quantus
eris in Meridie ? Augustis natus Parenti-
bus alia non vidisti cum primâ luce quàm
omina augusta. Ipsum Coelum magnitudi-
nis tuæ Prognosticon fuit, in quo Natiui-
tati tuæ præluxit Aries , signum illud Cæ-
leste,

leste, quod primum est in ordine in Zo-
diaco, Domicilium Martis, & Exaltatio so-
lis. Quanta hæc auguria ! Sole primum
signi hujus gradum ingresso, noctes, quæ
antea præualebant, cedere incipiunt, &
fieri breviores. Per annum integrum
pullatam noctem tulit ex obitu Serenif-
simi Avi tui afflicta Bavaria ; discussit
tenebras auspiciatissimus ortus tuus,
assumptis à Serenissimo Patre tuo felicif-
simi Regni Gubernaculis, ex læta Suc-
cessione, & prole Augustâ plaudente Pa-
triâ. Nec aliud debebatur, Serenissime
Princeps, cūnis tuis quàm Martis Domi-
cilium, sive Patrium, sive avitum, quem
corde tuo foves, veneramur sanguinem.
à Serenissimo Patre Leonis accepisti ani-
mos,

mos, à Matre Serenissima Aquilæ spiritus, utrumque Regium est. Atque hæc est exaltatio solis tui, quâ ab Aurora per Zodiacum Majorum tuorum provectus, & tuâ, & illorum luce Orbi irradiabis Bojco Paternis sub auspicijs. Habet Sol & suos Comites. Quò faciliùs Majorum tuorum gloriosa facta imitari inciperes, socias dedi Ethicam, Politicam, & Historiam. Fidæ illæ tibi in omnibus Sodales, & Interpretes erunt, ut Oracula Majorum tuorum plenè assequi, Paterna monita, & exempla probè sectari possis; quibus singulis unum illud addendum putavi datum Icaro Consilium: Patrem ne desere nate. Ille tibi instar omnium sit. Gloriosius est tuum Trigonum, Serenissime Princeps, cum

Serenissimo Patre, ac Matre Serenissima,
quàm illud dicti signi Cælestis Arietis, qui
suum cum Leone, & sagittario constituit.
Ex uno Fortitudinis, ex altera Pietatis ac-
cipis splendorem, nulla nube, nullo ævo im-
minuendum. Utriusque Augustæ Gentis
hæ sunt virtutes nativæ, alium ignorant
sanguinem. Hujus Propaginis ea est præ-
rogativa, in prima Juventa jam magna
meditari, in primâ adolescentia virum
esse, nec alia scire, quàm facta gloriosa, nec
alijs primam ætatem fallere, quàm ijs af-
fiduè occupari votis, quibus provectio-
rem exerceri cuperent. Serenissime Prin-
ceps. Signum Nativitatis tuæ Portitor
Vernus nominatur. Ver primam, &
nobilissimam anni tempestatem adducit;

ortu

ortu tuo felicissimo post exactam tristitiæ
hyemem tota reviruit Bavaria, tota reflo-
ruit Patria ; Faxit supremum Numen,
ut in hoc Trigono diutissime præluceas,
continuo & paternæ gloriæ, & materni
solatij incremento. Hæc summa est voti,
quod Serenissimo Patri, Serenissimæ Ma-
tri, quod Tibi, quod Ducibus, & Augustæ
Genti tuæ universæ nuncupo

SERENITATIS TUÆ

Humillimus, & obsequentissimus
Servus & subditus
IGN. FRANC. XAV. de WILHELM.

)()()(

BE.

BENEVOLO LECTORI.



Er quinque annos Hirundinem domi non habui, olim qui tot, tamque garrulas; unde factum, ut per hyemales anni hujus noctes sociam mihi comparaverim Minervæ Noctuam, felix nimium, si Alciati Inscriptionem gradu qualicumque adeptus sum: Secretum Sapia quærit. Mihi sanè vita solitaria si non semper solatio, certè nunquam tædio, sæpiùs magnæ utilitati fuit. Convixi Viris gravissimis à doctrina, & pietate etiam post fata nunquam satè memorandis, è quorum commercio facile jacturam aliorum passus sum; quem fructum inde tulerim, ipsus, qui hoc Opusculum legis, liberè judicabis. Magna res est & ardua scribere facienda Principi, difficilior arguere facta. Paucis inter vivos dicere licuit, quod mortuis. Ab his proin vera boni regiminis principia repetenda putavi, quæ longâ assuetudine Principibus Augustæ Domûs Bojæ semper amica fuère. Duo sunt, Amice Lector, quæ à te peto. Unum, ut, antequam librum hunc lustrare incipias, errores typi corrigi,

righi, aut saltem citatis in folijs notari cures, ne dein indigneris Authori. Legatione functus, quo tempore sub prælo sudabat opus, singula revidere non potui, quantum etiam cupiebam; unde Amicos sacratioribus negotijs occupatos hæc cura fatigavit; debeo illis grates quàm maximas.

Alterum est, ne ægrè feras, stylo succinctiori, & quasi in compendio à me tractari ea, quæ justum volumen conficerent. Suavi modo instruendus est Princeps, non obruendus, ut maturescentibus annis amico consortio noscat Ethicam, Politicam, & Historiam, pudicas has Virgines, tam formâ decoras, quam More, & Amore faciles, dignas Sodales, imò Contubernales suas, antequam hæ Rivales accipiant; atque hic finis meus; nec mihi quis persuadeat, Noctuam me tulisse Athenas. Vale.

ERRATA.

- fol. 12. linea ultima : ulli, lege, nulli.
fol. 16. lin. 1. experiensissimus. l. experientissimus.
fol. 44. lin. 7. lutetiæ. l. Lutetijs.
fol. 65. lin. 4 & 7. tempestatem. l. potestatem.
fol. 65. lin. ult. abripiatur. l. abripitur.
fol. 108. lin. 15. Redibus. l. Regibus.
fol. 134. lin. 6. Eloquijs. l. Elogijs.
fol. 171. lin. 1. hanc. l. hunc.
fol. 186. lin. 17. privatum. l. piccatum.
fol. 251. lin. 15. Virtus. l. victus.
fol. 299. lin. 17. invictum. l. invitum.
fol. 354. lin. 17. omnino. l. animo.
fol. 357. lin. 11. invitis. l. initis.
fol. 358. lin. 13. possessione. l. professione.
fol. 429. lin. 14. indicat. l. inducat.
fol. 430. lin. 14. unquam. l. nunquam.
fol. 465. lin. 11. utarmque. l. utramque.

ELENCHUS OPERIS.

DISCURSUS I. PARS I. Summum Regis, & Principis bonum in sola Religione est & propugnanda, & propaganda fol. 1.

PARS II. Probatur ab exemplo CAROLI MAGNI, aliorumque Ducum Bavariae fol. 24.

DISCURSUS II. PARS I. An Princeps se debeat exponere belli periculis? fol. 49.

PARS II. Adducitur exemplum magni OTTONIS Wittelspachij. fol. 75.

DISCURSUS III. PARS I. Caetera Principi statim adsunt, unum infatiabiliter parandum prospera sui memoria, & fama. fol. 97.

PARS II. Explicatur exemplo LUDOVICI OTTONIS Magni filij fol. 117.

)()()()()()

DI-

DISCURSUS IV. PARS I. Reijcitur principium Pseudo-
Politicum : si jus violandum, Regni causa violandum
est. fol. 137.

PARS II. Memorantur hac super re facta LUDOVICI SE-
VERI, ALBERTI PIJ. CHRISTOPHORI Regis Da-
niæ, & OTTONIS Regis Hungariæ fol. 162.

DISCURSUS V. PARS I. An vindicare conveniat Princi-
pi, an ignorere? fol. 193.

PARS II. Acta LUDOVICI Bavari Imperatoris fol. 211.

DISCURSUS VI. PARS I. Reijcitur Principium Pseudo-
Politicum : Oderint, dum timeant. fol. 241.

PARS II. Acta ERNESTI Ducis Bavariæ fol. 256.

DISCURSUS VII. PARS I. Bonum publicum præferen-
dum privato ; sic Princeps bonus erit æconomus.
fol. 277.

PARS II. Exemplum ALBERTI PIJ Ducis Bavariæ.
fol. 304.

DI-

DISCURSUS VIII. PARS I. Sapiens vento benè navigat
omni. fol. 325.

PARS II. ALBERTUS Sapiens in omnibus sibi confans.
fol. 344.

DISCURSUS IX. PARS I. Pietas ad omnia utilis. fol. 373.

PARS II. Exemplum WILHELMI V. Ducis Bavarix
fol. 394.

DISCURSUS X. PARS I. Quæ sit Eminentia Togæ, quæ
Sagi? fol. 412.

PARS II. MAXIMILIANUS I. Elector in utroque Cæsar.
fol. 434.

DISCURSUS XI. PARS I. Ingens omnibus, quæ dicit Prin-
ceps cum Majestas insit, tum fides fol. 459.

PARS II. Datæ fidei integritas in MAXIMILIANO EMA-
NUELE Electore. fol. 472.

DISCURSUS XII. CAROLUS ALBERTUS Elector Or-
dinis Equestris Sancti Georgij Restaurator.

PARS

PARSI. *IMMACULATÆ VIRGINI*
IMMACULATA BAVARIA.

fol. 489.

PARS II. *FUSTUS UT PALMA FLO-*
REBIT.

fol. 518.



1


DISCURSUS I.

PARS PRIMA

CRITICO - POLITICA

Summum Regis & Principis bonum in sola
Religione est & Propugnanda, & Pro-
paganda.

Lett. 7. c. 10.



Uod principium in Deo, per Deum, &
à Deo habet, id solum perpetuum
est. Ex hoc vera Religio, & Ortho-
doxa fides, vera Petra, super quam
ædificata est Ecclesia, aternùm sub-
sistet, quousque Militans sociabitur Triumphanti. Cùm
tamen adhuc habeat, quo crescat, donec illud implea-
tur: Dominabitur à mari usque ad mare: nec desint,
qui vesanâ rabie in eam assurgant, probi Regis prima
cura est, ut eam non solum ab injuriis defendat, verùm

A

etiam .

etiam exteris Regionibus inferat: non, quòd unquam periculum esse possit, portas inferi prævalituras, sed ut Dei patrociniùm sibi, suisque Regnis, & Provinciis procuret, si Dei causam in Ecclesiæ, sponsæ suæ, protegendo honore piè, & constanter suscipere statuerit. Stante Religione stabit gloria Regis, incolumitas Regni, tranquillitas publica. Hæc ubi defuerit, evertentur Regna, insurget gens contra gentem, & sæpe Reges per frustra è folio decident, in quo, fide integra, & ab injuriis illæsâ, confidere noluerunt. Plures Principes ex dissensionibus in Religione perierunt, quàm bello. Sine Religione Regna, velut ædificia cariosa, fundamentis convulsis, corruunt; ipsius Regis incolumitas est arena instabilis, humus sabulosa, palus voraginosa, & via invia. Populus in dispare primùm divisus opiniones, dein in diversa distrahitur voluntatum studia, ac demum in seditiones, & conspirationes; unde Regum ruina, & regnorum excidium.

Olim edictò Concilii Toletani nullus admittebatur in thronum Hispaniæ, quin priùs cavisset, nullum in regno suo tolerandum, nisi veræ, & orthodoxæ fidei

mysteriis probè institutum. Nec felix, nec quieta fuit Hispania, donec Arii errores non ipsa ejuraverit modò, sed & in aliis prohibuerit, satis severò in Regem Wetericum exemplò, quem, hæresis Arianæ fautorem, intra ipsum palatium miserrimè trucidârunt.

Primum, ut jam dictum, Regis officium est, ut ipse veram fidem habeat. Secundum, ut eam tuatur. Tertium, ut eam propaget. Verum lumen fidei in unoquoque Regum, & Principum ita eluceat, ut illud impleatur Isaiaë oraculum: (1) *Ecce dedi te in lucem gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terræ.* Ab Oriente usque ad Occidentem longè, latèque diffundant hanc lucem Principes; fœdas atrò fumò hæresum rædas extinguant, & ipsam, quoad poterunt, Gentilitatem in sacris Ecclesiæ altaribus illuminent. Erumpant undique sævissimi turbines, qui hanc lucem suppressere moliantur, non cedant malis, sed contra eant audaciores. Agitabit flammam aër impetuosior, non dejiciet in terram, minùs extinguet, quamdiu ipsius Regis religiosa fides, & pius zelus eam ita protexerit, ut purior, clariórque eluceat, & rectà, quò naturâ suâ nititur, in cælum pos-

(1) 49. v. 6.

fit contendere. Flamma hæc , inflexa obliquè pravîs Regum vitiis, fenfim depafcet fe ipfam ; cælo obverfa , ut terram folùm fpectet , mox extinguetur , & omnino deficiet. Atque hi funt Principes , qui licitum putant pefsimè , pro libitu Religionem aut diffimulare , aut fingere. Qui diffimulant , diverfas in regnis fuis tolerando fectas , ipfi , quid de Religione ftatuant , vel dubitant , vel nefciunt. Qui fingunt Religionem , nullam credunt omnino , & nullius funt. Ij funt omnes , qui , ambitione vel honorum . vel dignitatum exterius Religionem profitentur , in finu autem , ut anguem , fovent longè aliam , ac fic putant , impunè Deo illudere. Lumine deorfum detento cadunt in funeftas errorum , vitiorumque tenebras , & ex his in interitum ; eadem enim materia , quæ lumini aliàs partum datura foret , eis exitium affert. Sceptra , & regna ad condemnationem funt , quæ nundinantur ficta Religione.

Ecclefia media eft inter cælum , & infernum. In illo locus bonis tantùm , in hoc malis. In uno horum fubfiftas oportet , quisquis extra Ecclefiam es. Sed , cum ad triumphantem pervenire non poffis , nec in ea

reci-

recipiaris , quin tesseram Militantis apportes , alius non superest locus , nisi damnatorum , ubi nullus ordo , sed sempiternus horror inhabitat. Religionem proin , & veram , & verè Reges , ac Principes tum in se ipsis , tum in subditis suis sollicitè conservent , & spurios , nothósque inter legitimos Ecclesiæ filios domicilia sua figere prohibeant ; proditorem enim omnino se noverit omnis ille , qui hæresum errores quoscunque vel in hanc domum inducit ipse , vel tolerat , etiam qui ex pseudo-politicis principiis dissimulat , Deo maximi criminis reus , cujus domum speluncam vult facere dæmonum.

Hortus etiam orthodoxa Ecclesia est , Ecclesia hæresum sylva. In horto nullæ plantantur arbores , à quibus amœnissimi fructus vel accipi , vel sperari non possint : sylvarum arbores fructum nullum , vel , si quem , insipidum faciunt. Nempe (2) *extra veram Ecclesiam nemo bonus , aut , si quis bonus , ille propter homines bonus est , non propter Deum.* Adcõ verum est , *summum hominis bonum* (3) *in sola Religione esse.* *Vera* (4) *autem Religio in unius*

B

con-

(2) *Ex S. Chrysof.* (3) *Lact. 7. c. 10.* (4) *Fulgent. ad Donat.*

constat veri Dei servitio. O felices (5) Reges, ac Principes, qui suam potestatem ad Dei cultum dilatandum, Majestati ejus famulam faciunt, atque in hoc (6) Deo serviunt, ut in Regnis suis bona jubeant, mala prohibeant, non tantum ea, quæ pertinent ad societatem humanam, sed ea præcipuè, quæ ad Religionem divinam. His auspiciis tranquillitas stabit Regnorum, Regum gloria, subditorum concordia, quæ à discrepantibus inter se ipsos à Religione nec sperari quidem potest. Faxint ergo, ut, duce fidei lumine, universa, quæ faciunt, ad Dei gloriam referant, Deo præviò suscipiant, Deo prosperante exsequantur, Dei ope perficiant, & lux eorum luceat tam exteris, quàm subditis.

Tria Principem gloriosum faciunt, potentia, sapientia, & religiosa mens. Potentia proteget: sapientia conservabit: zelus Religionis propagabit Religionem. *Tota (7) & magna Regum scientia est, scire, quòd ipsi nihil sint per se, sed, quidquid sunt, ex Deo esse, & propter Deum.* Sapientiæ (8) hujus
nor-

(5) *S. Aug. civ. 24.* (6) *S. Aug. l. 3. ad Chryf. f. 243.* (7) *S. Aug.* (8) *In monitis patern.*

normam paucis præscripsit filio suo Ferdinando Maximilianus : Bene senties , si nihil prorsus ab Orthodoxa sacrae Ecclesiae doctrina, nihil à Majorum fide deflexeris : si de Deo (quod pietatis omnis est exordium) quàm optimè existimaveris : si cum sancta Apostolica sede, Christi que in terris Vicario semper fueris devotissimè conjunctus. Ex his principiis Maximilianus hanc legem statuit , ne quisquam in suis Provinciis à vera Religione alienus stabile domicilium habere possit , jussitque eos , qui in Divinis aliquid innovant , fugari , & , quoad licet , coërceri , idque tum Dei causâ , tum , quòd istiusmodi novitates impellunt malè feriatos ad rerum mutationem. Unde conjurationes , seditiones , conciliabula , malaque omnia, Majorum instituta tueri , sacris , ceremoniisque retinendis proficuum , Deo acceptum , publico salutare.

Haustra hæc sunt principia Maximiliani ex avita Majorum suorum in Religionem pietate. Agebatur de Concilio Tridentino , variis ex causis interpolato. Invitati à summo Pontifice Germaniæ Principes ad illud de novo restaurandum. Plures Pontificis potestatem in cogendo orbis universi concilio nec agnoscere , nec à nor-

ma Confessionis Augustanæ decedere voluerunt. Obsequentior Albertus per Legatos suos, Augustinum Bongartnerum, & P. Joannem Covillonium è Soc. JESU, Concilio adfuit.

Litteræ Serenissimi, & Illustrissimi Bavariæ Ducis Alberti ad sacram Synodum Tridentinam.

„ Reverendissimi, & Illustrissimi Domini, cæ-
 „ terique Sacri Concilii Patres Amici honorandissimi, &
 „ clarissimi. Salutem, & inserviendi, gratificandique pa-
 „ ratissimam voluntatem.

„ Mittimus jam reverenter planè, ac devotè
 „ ad sacrum Concilium Tridentinum Oratorem, & Con-
 „ siliarium nostrum Doctorem Augustinum Bongartne-
 „ rum, cùmque eo Theologum de Societate Jesu Col-
 „ legii nostri Ingolstadiensis Joannem Couillonium, qui
 „ in tam pio, atque necessario Ecclesiæ Dei cætu no-
 „ stram omnino personam repræsentent. Plenissimam
 „ enim acceperunt potestatem ea omnia nostro nomine
 „ agendi & faciendi, quæ, si præsentés adessemus, pro
 „ officio pii, & Catholici Principis agere, atque facere
 „ vel possimus, vel deberemus etiam. Quod quidem no-

stris

„ ftris hisce litteris testatum abundè cupimus : rogantes
 „ insuper amicissimè , ut præfatis nostris Oratori , atque
 „ Theologo , in iis , quæ ex nostro mandato proponent ,
 „ dicent , aut quacunque ratione agent , non minor , quàm
 „ nobis ipsis adhibeatur fides , benevolentia , & humani-
 „ tas. Ita enim & certissimè nobis pollicemur , & Vos
 „ dignum facietis vestra virtute , & bonitate , Nobis verò
 „ gratissimum officium. Christus optimus Maximus cle-
 „ mentissimè faxit , ut , quod ad sui gloriam , & Ecclesiæ
 „ sponsæ suæ salutem piissimè institutum est , optimè , ac
 „ ac felicissimè cedat. Ex civitate nostra Monachio de-
 „ cima quarta Aprilis 1562.

Albertus Dux Bavarix.

Addo Tridentinorum Patrum elogium dictis Legatis
 de Alberto factum , iis ipsis verbis , quibus Legatos ex-
 cepère. *Inter cæteros autem , à quibus omnia
 pietatis officia , sancta Synodus expectanda
 semper existimavit , Excellentissimus , & Illu-
 strissimus Dominus Albertus , Bavarix Dux
 extitit , qui veram , & Catholicam Religio-*

C

nem

nem à Clarissimis , & Nobilissimis Majoribus suis traditam , tanta fide . & constantia conservavit , ut hisce miseris temporibus in tota Germania firmissimum sanctæ Apostolicæ Ecclesiæ propugnaculum jure optimo habendus sit.

Circa hæc duo observanda occurrunt , unum , quod ad laudem zelosi pro Religione Alberti , alterum , quod ad gloriam Augustæ Domûs Bojcæ pertinet. Primum est , Albertum Patrum sententiæ de prohibita sacrae Synaxis Communionem sub utraque specie , quam prius concedendam putaverat , tantâ constantiâ subscripsisse , ut , licet rogatus ab Imperii Principibus , aliisque magnæ authoritatis viris , nunquam desuper Summum Pontificem adire , quin potius eam indulgentiam è Provinciis suis ad arbitratum Patrum exesse voluerit ; quamvis causæ jam in Concilio decisæ advocatum agere , & Albertum in partes suas pertrahere ipse Imperator Ferdinandus omnî studiô , & titulô majoris imposterum boni , minoris dissensionum periculi , conatus fuerit.

In secundo nescio , an Augustæ Domûs Bojcæ

gloria

gloria prævaluerit , an pietas. Orator reipublicæ Venetæ in confeffu priorem locum ambiebat : negabat Alberti Legatus , demonftrando , Duces Bojariæ Regia dignitate jam dudum præcelluiſſe , & , qui modò Ducatus fitum fuô , tum alienô fatô , olim fundatiſſimum Regni nomen obtinuiſſe ; fuiſſe à primaria ſtatim Electorum Imperii institutione jus ſuffragii , & Septem viratûs penès Domum Bojcam , haud dubiè totius Germaniæ nobiliſſimam & antiquitate , & dignitate. Utriusque Legati , & Bojci , & Veneti conteſtatio à Patribus in acta relata , ne Concilio damnofam remoram afferret , tunc pertinaciùs à partibus defenſa non eſt. Hæc in Concilio Tridentino Albertus , domi autem ſuæ , & , ubicunque Religionis periculum erat , non minora præſtitit , adeò ſolicitus , ut viros probos , ac erudiſos ſemper ad manum haberet , tum conſervandæ , tum propagandæ Religioni , quaſi in promptuario pietatis , ut Alberto Doctiſſimus Cardinalis Hoſius hæc ſcripſerit : Nunc ſola mihi videtur Celſitudo veſtra , quæ tantô ſtudiô ejusmodi viros ad ſe congregat , ut aula illius , ſchola quædam pietatis eſſe videatur , ex qua velut ex equo Trojano prodeunt fortiſſimi milites ,

qui verbô , & opere errantes populos ad fidem Christi revocare contendunt. Enimverò Albertus magis, magisque hoc elogium promeritus, quam luem infectæ Religionis à subditis amovere semper studuit, eam etiam in sibi consanguineis curare, & penitus eradicare conatus est. Philiberto Badensi Marchione bellô Gallicô cæso, relictus ex Mechtilde, sorore Alberti, pupillus Philippus præter alias, quæ pupillis plerumque communes sunt, calamitates, etiam eam, atque gravissimam est expertus, (9) ut captata occasione novandæ Religionis, Catholica iis in locis penè animam ageret. Albertus proximi sanguinis, & populi ad exilium properantis misertus, in Marchionatum ablegavit Comitem Schwarzenburgium, & Georgium Schorichium è Soc. JESU. Horum suasionibus, & authoritate, prava pessimorum Magistrorum institutio disjecta, & inter utramque Serenissimam Domum avitæ pietatis æmulatio restituta est. Hæc in exteris Provinciis Alberto Religionis cura fuit. Nova urgebat in suis, propiore jam ardente Ucalegone. Prodicat Viennæ nova amuffis novorum rituum, jamque in Bojariam irreperat, nec omnibus probata, nec ulli:

omnes

(9) *Adlzt. p. 2. l. 9. f. 279.*

omnes enim novitates in vulgo affeclas ; uti & novorum motuum authores habent , quod plerumque Reipublicæ perniciosum , & , ubi de Religione agitur , exitiale. Invenit à P. Hieronymo Torrensi S. J. cui ab Alberto hoc negotium commissum erat , in plurimis erronea , & detortæ pravitas , statim è Boica proscripta est , nempe , ne glisceret quidem sub cineribus exitiosus iste ignis , in ortu suffocatus , cineribus etiam dissipatis , veræ Religionis lumini obesse dehinc non potuit : in nulla enim re periculosius est dissimulare , quàm circa Religionem , ubi dilatô remediô mala vix nata , jam novis gravida , perniciosos identidem fætus parturiunt. In quo Principe hæc excubat vigilantia , in eo elucet illa sapientia , illa potentia , zelus ille , quo contra omnes injurias conservatur , & protegitur splendor Religionis , fidei lumen , & lux , quæ illuminat totam Rempublicam , communi Reipublicæ bono. Avita hæc Bojorum Ducum pietas toti patriæ tot sæculis adeò salutaris sæpè angustioribus zelo suo limitibus Provinciarum se coarctari indignum putavit. Fax semel accensa primùm proximas sibi tenebras , dein quò violentior , remotiores etiam dissipat.

Stabilitâ in Regnis , ac Provinciis suis Religionis securitate , Reges olim , & Principes remotissimis etiam Regionibus consultum voluere , æmulis virtutibus , pietate , qua terram Christi vestigiis sacram venerari , zelo , quo in eandem veræ Religionis lumen referre æstuabant , nullis sumptibus , nullis periculis absterriti.

Fama Crucis Hierosolymis prædicatæ totum dilapsa per orbem dulci Christianorum animos infecit aurâ ; qua circumquaque spirante , nulla fuit tam remota gens , tam abdita , quæ non sui partem mitteret. Tantô Christiani numerô mare transierunt , ut Occidens univ ersus demigrare visus sit in Orientem. Non erat vel inter conjuges , vel inter consanguineos charitatis vinculum , quod huic fervori posset præjudicium facere. Omnes indifferenter manus dabant , omnes unanimiter corde , & ore votum profitebantur : & pluribus inerat desiderium moriendi potiùs , quàm ad propria revertendi. Maximi Reges , Principes , Comites , & Præsules ex his peregrinationibus claruere , decurrentia ab Occasu in Ortum sidera. Eorum Catalogum exhibet Eruditissimus P. Jacobus Gretserus è Soc. JEsu in sua Apologia pro cruciatis expedi-

pedi-

peditionibus. Mihi sufficiat, inter illos memorari plures ex Augusta gente Bojca, qui hoc zelô Religionis succensi, & magna passi sunt, & magna præstitère. Bertholdus Friderico Primo Imperatori, Godefrido Billionæo Leopoldus quartus cum ipsa conjuge Irha, Henrici IV. Cæsaris sorore germana, in has expeditiones comites, magnô dispendiô bonorum, imò & vitæ, profecti sunt, Leopoldô in Asia, Ithâ Constantinoqoli morte præreptis, & ceu victimis pietatis Deo litatis. Ludovicus ob res præclare gestas, ac Ptolemaidem expugnatam æquè clarus, ac dein ex inundatione Nili in castra effusi infelix, nihil non egit, ut Bojæ Religionis insignia etiam in Regionibus Asiaticis eo splendore, quo in patria, præluerent. Noti sunt præ aliis hoc Religionis zelo Eccardus primus & secundus. De hoc posteritas in cognomine Peronati, perpetuô victoriæ singularis testimoniô gloriatur: debuit enim illi suam salutem omnis Christianorum exercitus: ille avitæ pietati, & magno Bojci sanguinis animo felicem successum. Vitus (10) Arenbeckius, Andreas Ratisbonensis, & Spenerus factum illius posteris hisce commendant: Eckardus Comes Schyrensis, Advocatus Ecclesiæ

(10) *Lib. 5. c. 6.*

Frisingensis, vir potens, armis experientissimus, multa fortia, & laude digna in via, & in terra sancta gessit, dum expeditioni Hierosolymitanæ interesset. Hic à vulgo dictus est Bundschuech, à quodam calceo nigro, cum tribus rubri coloris corrigiis, ad quem erectum, Saracenis insperatò erumpentibus, rebúsque penè desperatis, Christianos collegit, aciémque ita restituit, ut calceus in vexillo signaretur, sepulchrúmque Domini sub hoc signo recuperaretur. Dolendum profectò, adeò exsiccatum hodie, sterilémque absque omni etiam spe accipiendæ segetis jacere vastissimum illum Ecclesiæ agrum, qui piissimo tot millium sanguine humectatus, jacto ubique Divini verbi semine, excisisque Saracenorum vepribus, dumetisque, fertilissimus sperabatur, operariorum labore, & sudore, eò zelò excultus, ut omnes difficultates
 „ (verbis utor Dresseri A catholici) itineris longinquitatem,
 „ periculum ab hoste, rei ipsius magnitudinem, & incertitudinem pro nihilo putârint magnanimi illi Duces, atque milites, ac ultro sese in discrimen, atque certamen, tantùm pro salute nominis Christiani obiecerint.
 „ Non patria, non domus, non fortuna, non liberi,
 „ non

„ non propinqui eos à spe, conatúque depererunt. Quòd
 „ verò nihil aliud in hac expeditione spectârint, aut quæ-
 „ sierint milites, quàm veri Dei cultûs propagationem,
 „ & Christiani nominis à Barbarorum blasphemii defen-
 „ sionem, multa sunt, quæ documenta dant. Primum
 „ quidem Pontificis Romani mandatum tanti pònderis
 „ tunc apud Christianos fuit, ut instar oraculi, divino
 „ instinctu, afflatúque fusi haberetur &c. Hæc de verbo
 „ ad verbum Author hæreticus, & alibi: Hi enim suo
 „ quodam consilio, neque impetu temerario ad hoc bel-
 „ lum profecti sunt: sed Deo pietatem suam, Papæ obe-
 „ dientiam, & miserè vexatis Christianis officium debi-
 „ tum, justúmque persolvere voluerunt. Laudat hic au-
 „ thor, licèt in aliis injurius, zelum illum, quo dilatandæ
 „ fidei, & in remotissimis etiam, ac funesta caligine obru-
 „ tis Regionibus, reducendo, propagandóque vero lumi-
 „ ni tota exarsit Christiana Respublica. Verùm non ita
 „ communis, aut precaria est ista laus A catholicorum,
 „ quam vel inviti Regibus, & Principibus debent, & defe-
 „ runt ob zelum Religionis tum propugnatae, tum pro-
 „ pagatae, quin etiam & ipsi defectum ejusdem zeli acer-

bius arguant, & non excusandum arbitrentur. Sanè omnes, qui ab hoc principio non solùm aberrârunt, sed eo usque etiam prolapsi sunt, ut cum hostibus Ecclesiæ vel, fædus pacisci, vel, quod indignius, auxilia implorare non erubuerint, tristissimo exitu pœnas luère capitales, aut infeliciter cæsi, aut in miseram servitutem coniecti, aut suis ditionibus expulsi. Palæologi per similia cum Turcis fædera, iisdem misera fuère prædæ spolia. Franciscus p̄rimus Galliarum Rex, Princeps aliàs nulli secundus, si omnes tum pacis, tum belli virtutes spectas, in hoc uno, sed ita peccavit, ut nec se sibi ipsi, nec aliis unquam fati excusare potuerit ex accito Solimanni ad invadendam Italiam auxilio; unde factum, uti Authores penè omnes judicant, ut una eadèmq̄ ætas Valesiam Gentem tot Regibus Augustam viderit, & summam, & propter hoc fædus Turcicum nullam. Henricus filius in publico spectaculo factus est orbi spectaculum. Nepotes dolor, bellum, venenum, cultellus absumpsit; audacter Henrico III. Galliarum Regi, dum ex Polonia redux Venetiis moraretur, ejusdem Reipublicæ Dux gravi sermone exposuit, aliam causam non esse calamitatum,

qua-

quarum alia post aliam Galliae Regnum florentissimum affligebat, quam turpe cum Turcis initum à Francisco fœdus, unde ille abominabilis factus fuis, aliis omnibus odiosus. Quis proin non expavescat, inimicorum Dei amicitiam velle, ac in cladem, & ruinam nominis Christiani pagana arma, & fœdera suscipere detestanda? Nihil distat, utrum quis se paganis societ, aut, abnegato Deo, Idola colat. Vicissim in ipsius Dei amicitiam assumitur, qui Dei, & veræ Ecclesiæ suæ defensionem, ac propagationem sui, & quidem primarii putat esse officii. Magnos hujus pro Religione zeli, hujus piissimi ardoris conservandæ, protegendæ, & propagandæ lucis veræ fidei Encomiastes habuit Maximilianus Primus, Summos nempe Pontifices, Paulum V. & Gregorium XV., quorum litteras pro coronide appono: cum his in argumentum meum, & in gloriam Augustæ Domûs Bojcæ, omniumque eorum Principum addi nil possit, qui Ecclesiæ militantis Duces, propugnatam Ecclesiæ triumphantis gloriam, suos, eosque gloriosissimos triumphos putant.

Ad litteras, quas Maximilianus obtentâ ad Pragam victoriâ, pro summa sua in Sanctam Sedem

Apostolicam reverentiâ , ad Paulum V. Pontificem Maximum scripserat , Pontifex planè piè , paternè , ac religiosè , Victoriâ Deo , & Principi gratulatus , hîs verbis respondit :

Dilecto Filio , Nobili Viro Maximiliano, Duci Bavarîæ.

Dilecte Fili , Nobilis Vir , salutem , & Apostolicam Benedictionem.

„ Felicissimum , & supra , quàm dici potest ,
 „ Nobis , & universæ Christianæ Reipublicæ optatissi-
 „ mum Pragensis victoriæ nuncium attulerunt litteræ No-
 „ bilitatis tuæ. Quam quidem victoriâ , ut de immen-
 „ sa Dei potentia , & benignitate , nec non singulari tua
 „ virtute , eximiâque prudentia confidentes , non dubia
 „ spe præfagebamus , ita nunc de ea tam copiosè , tam
 „ mirabiliter partâ , immortales ei , qui facit mirabilia
 „ magna solus , gratias agere non desistimus ; tibi verò , in
 „ visceribus Jesu Christi unicè dilecte Fili , totius Ecclesiæ
 „ Christi nomine , cui immeriti præsidemus , ex intimis
 „ præcordiis gratulamur , quòd nimirum res adeò præcla-
 „ ras tam fortiter , tam brevi tempore gesseris , ut , quem-
 „ admo-

„ admodum scribis , veneris , videris , & , Deo Duce , vi-
 „ ceris perfidos Christi hostes , & Romano Imperio re-
 „ belles. Laudet , Fili , usque ad mortem , anima mea
 „ Dominum , quoniam adjutor , & protector factus est
 „ nobis. Equidem Nobilitatis tuæ litteris lectis , toto
 „ spiritu exultantes , Ecclesiam sanctæ Mariæ Majoris con-
 „ tinuò petivimus , ibique humiliter prostrati cum lacry-
 „ mis , de summo accepto beneficio debitas cum Autho-
 „ ri bonorum omnium Deo , tum ejus sanctissimæ Ma-
 „ tri gratias egimus. Sanctorum omnium , in quorum
 „ solennitatis octavo die victoriam divinitus tibi delatam
 „ fuisse scribis , ut minimè dubitandum sit , quin tibi pro
 „ gloria Dei strenuè dimicanti hujusmodi cælestis exerci-
 „ tûs auxilium illa die præfens adfuerit. Ad hujus porro
 „ beneficii magnitudinem , quàm gratò possumus animò ,
 „ prosequendum , solennes indiximus in hac urbe suppli-
 „ cationes , ab Ecclesia S. Mariæ , quam appellant supra
 „ Minervam , ad Ecclesiam S. Mariæ de anima , ad quam
 „ nos venientes , sacrosanctum Missæ sacrificium Omni-
 „ potenti Deo in gratiarum actionem obtulimus. Nul-
 „ lum certè erit tempus , quo collati eximii doni me-

„ memoria ex animo nostro deleatur ; quin semper in dies
 „ magis , magisque vigebit , sicut & Nobilitatis tuæ illu-
 „ stris virtus , tuorumque gestorum immensa gloria per-
 „ petuò nobis ante oculos versabitur , omnisque conse-
 „ quens ætas meritis illam laudibus celebrare non desistet.
 „ Nec est , quòd aliquo pacto vereamur , ut ista tua vir-
 „ tus unquam defatigetur ; quin firmiter sperare debemus,
 „ eam ex ipsis , pro Christi , atque ipsius Ecclesiæ honore
 „ feliciter susceptis laboribus , majores quotidie vires ac-
 „ cepturam , deque Christiana Republica majori etiam ,
 „ si fieri posset , conatu , optimè promoveri nunquam
 „ cessaturam. Quo sanè fiet , ut antiquæ Baviaræ fami-
 „ liæ decora tuis factis in dies exornentur , & cumulen-
 „ tur , & ipse temporalis , atque etiam aternæ felicitatis
 „ amplissimum præmium ab eo , qui est liberalissimus
 „ remunerator , consequaris. Nos certè tantum Nobili-
 „ tatis tuæ meritis tribuimus , ut , quæ unquam à nobis ,
 „ atque ab hac sancta sede , in te , tuamque familiam of-
 „ ficia proficisci poterunt , ea semper vobis parata fo-
 „ re , pro certo habeas , velimus. Interim Nobilitati tuæ
 „ à Domino secunda omnia optamus , & precamur , &

iterum

iterum paterna nostra , & Apostolica Benedictione , toto cordis affectu benedicimus. Datum Romæ apud sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die 3. Decembris. 1620. Pontificatûs nostri annô decimô sextô.

Has litteras , quisquis Catholicam Rempub-
licam regis , tolle , lege.



F 2

DIS.

DISCURSUS I.
 PARS SECUNDA.
 POLITICO-HISTORICA.
 CAROLUS
 MAGNUS.



Atis est, Deum fundâsse Ecclesiam suam supra petram, contra quam nec portæ inferi, nec quidquid furiarum per cas in orbem Christianum erupit, nullæque hostium in dies conjurantium vires unquam prævalebunt; si quid tamen vel majoris incrementi, vel gloriæ ulterioris humanô auxiliô, Regum potentiâ, ac Principum zelô, eidem accedere potest, non incongrua quæstio erit, majôrne sit Eccle-

siæ à Regia potestate conservatæ , protectæ , ac propagatæ incolumitas , an ipsa Regum salus ab ipsa Ecclesia. De salute animi hîc non agitur , quæ extra Ecclesiam nulla est ; sed de ea , per quam Reges quietè imperant , iis tranquilla est à subditis obedientia , nulli in Republica seditionum motus turbidi , nulla denique regnantium funesta catastrophe , qua sæpè purpura regio potius sanguine , quàm murice intingitur. A Pompejo Magno usque ad Theodosium numeravi Imperatores nonaginta novem , crudeli morte , vel gladjô , vel venenô è folio dejectos in barathrum , ita , ut , quam diu Ecclesia Imperatoriam non firmaret dignitatem , Imperatoribus res esset miraculo proxima , mori , non occidi. Post acceptas Christianæ pietatis leges , & postquam gentes Deorum suorum vitia vel laudare , vel æmulari desierunt , iidem mansuetam humanæ societatis normam passi , & Deo fidem , & Regibus obedientiam præstiterunt , ita , ut nec Reges timerent funestos seditionum exitus , nec timerentur à subditis eo metu , quem furor , & rabies Tyrannis affigit , provocat in populis. Sibi proin Reges optimè consulunt , qui Religioni.

Corda Regum in manu Dei , Dei manus (fas sit piè hoc loqui) in cordibus Regum sunt. Disponit Deus de Regibus , supremus rerum arbiter. Rex pietate sua in Deum , zelô Religionis , cultûque legum, etiam quasi de Deo disponit. Videri poterat temeritas Josue Magni Ducis mandatum audax : *Sol contra Gabaone movearis , & Luna contra vallem.* Fiducia fuit : steteruntque Sol & Luna. Obediit cælum homini. Et, quoniam Josue toto corde colebat Deum , Deus voluntatem illius implevit. Quo fit , ut Reges ab exemplo fiduciæ , non miraculi , Deum semper præter Dominum , Protectorem quoque suum , ac Regnî sui habeant , si velint. Hoc ipse Deus testatus oraculo divino ad Abrahamum , suum servum fidelem , dixit (1) *Ego Protector tuus sum.* Hebraicè : *Ego scutum tuum.* Quietè , & feliciter imperat , cujus potestas tanta potestate aucta , nihil habet , quod timeat , omnia , quæ speret. Tristissima vicissim fors illorum est , qui , cùm priùs vicariâ Regni potestate in supremam pessimè abusi , à Deo defecerunt , ex protectore acerrimum experiuntur vindi-

(1) *Gen. c. 15.*

vindicem. Hæc fulmina in Salomonem jacta divinâ no-
tantur monumentis : *Quia* (2) *præcepta mea non*
custodisti, quæ mandavi, disrumpens scindam
Regnum tuum, & dabo illud servo tuo.

Agimus de Carolo Magno, Imperatorum
pro Dei cultu zelosissimo, quomodo autem acceperit
Regnum à Deo, & qua cura sub scuto hoc idem admini-
strarit, non tam dispiciendum, quàm illud examinan-
dum erit, quatenus ille protectione sua, & propagatione
veræ Religionis utrumque promeritus sit,

Vidimus in primo discursu, ex vastissimo
hoc pietatis pro Religione oceano profluentes rivus, &
Augusti hujus Fundatoris Nepotes dignissimos. Nunc
redeundum ad originem. Squallebat Regia gentis Mæro-
vingorum gloria in Hilderico usque adeò, ut præter ju-
ane Regis nomen, & precarium vitæ stipendium, regium
haberet nihil. Ad publicum populi sui conventum an-
nuatim celebratum, & ab hoc ad palatium suum ibat
carpentò vectus, quod bubus junctis, & bubulco rusti-
co more agente, trahebatur. In folio residens, (3) crine

G 2

pro-

(2) *Lib. Reg. 3. c. 11. v. 11.* (3) *Eginbardus vitâ Ca-*
roli M. f. 5.

profuso, barbâ submissâ, Legatis alia responsa non dabat, nisi quæ doctus, quæ jussus. Indignum rata generosa Francorum occidentalium gens, tam vile (quod olim erat gloriosissimum) per tot antecessores continuatum dominium diutiùs pati, jam priùs opes, & potentiam Regni ad palatii Præfectos, sive Majores Domûs transtulerat. Tandem etiam & nomen Regium potentiaë additum. Utrumque Carolus à Pipino jure hæreditario acceperat; cùm illi prima cura erat, Regnum divinis inchoare auspiciis. Si vita hominis militia super terram, Regnum Caroli bellum continuum est. Hostes ex una parte domitos, novi ex altera vindicabant; succrescebant hydræ rebellionum, identidem nova capitum monstra, quibus excindendis nec ignis, nec ferrum, etiam conjunctis viribus, sufficiebant. Primi belli, quod Carolo penè armorum tyrocinium fuit, finis erat Italia subacta, Rex Desiderius perpetuò exiliò deportatus, Filius ejus Adalgifus Italiâ pulsus, res Longobardorum Regibus creptæ, Hadriano Romanæ Ecclesiæ Pontifici restitutæ. Bonum augurium, Carole! jam Deo militas, ille tibi. Hoc antesignanò victoria nunquam erit dubia,

eò magis ; quòd mox cum Dei hostibus pugnandum. Bello Italico successit Saxonicum , magnâ utrinque animositate susceptum , & per continuos triginta tres annos protractum. Adeò gens ista ferox , cultui dæmonum dedita , veræque Religioni pertinaciter inimica , nec divina , nec humana jura respiciebat ; imò impunè ea transgredi , & proterviùs calcare honestum sibi putabat , aut etiam gloriosum. Quoties victi , toties Carolo reconciliati , ultimum semper clementiæ asyllum habuère in promisso veræ Religionis cultu , quem scire armis suis propagatum , Carolo victoriæ loco erat , & triumpho gloriosissimi. Expertus , illudi Magnanimitati suæ continua perfidorum permutatione , conciso demum Saxonum robore , dæmoniacum in iis Regionibus cultum penitus excidit , nec tractum per tot annos bellum alia conditione desit , nisi ut abjecta superstitione , ac dæmonum cultu , relictisque patriis ceremoniis , Christianæ fidei , atque Religionis sacramenta perciperent. Vidit ea ætas Magnum Regem fidei Apostolum , & , quod nulla vidit , armatum. Hunni Saxonum exemplò vel moniti , vel territi , per Legationem sese ultrò Christo , & Carolo

dedere. Perfidos dein, & à fide ad pristinos non modò furores, sed etiam rapinas transfugas, Caroli legatus Ericus, Dux Forojulienſis vicit, capto eorum Principe Iringo, gazaque omni, tot retrò sæculis ex rapinis continuis corrasâ. Opima hæc spolia Carolus meliori, quàm olim Romani Jovi Capitolino trophæa sua affixere, sacrificio in Vaticano maximam partem appendi jussit, factis amplum victoriæ fructum ratus victori, læsæ Religionis gloriam vindicasse, postea majori emolumentò restaurandam.

Quanti momenti hæc munera à Leone in ornamenta templorum facta, qualisque thesaurus fuerit, obstupescet, qui leget specificam omnium descriptionem in Palatio, (4) prolixiorē, quàm ut hic apponi possit. Præter hæc Ecclesiarum ornamenta, magnam etiam partem Leo in Clericos erogavit, juxta voluntatem erogantis, ita, ut per hæc submissa munera Pontifex (teste Anastasio) Clero suo, Rogam, stipendium scilicet, in presbyterio maximè ampliaverit. Magna hæc in sanctam sedem munificentia defectuosa videbatur Carolo, nisi eidem pretiosissimum apponeret, continuum tum
defen-

(4) *Mibi f. 404.*

defendendæ , tum propagandæ Religionis zelum. In literis eidem Pontifici hac occasione scriptis , & per Angilbertum submissis optat , ut cum novo Pontifice idem Angilbertus conferat circa Ecclesiæ negotia : Quidquid ad exaltationem S. Dei Ecclesiæ vel ad stabilitatem honoris vestri , vel Patriatus nostri firmitatem necessarium intelligeretis. Sicut enim cum beatissimo Prædecessore Vestræ S. Paternitatis pactum inii , & charitatis inviolabile fædus statuere desidero : quatenus Apostolicæ Sanctitatis vestræ , divina donante gratia , Sanctorum advocata precibus , me ubique Apostolica benedictio consequatur , & sanctissima Romanæ Ecclesiæ sedes , Deo donante , nostra semper devotione defendatur. Nostrum est , secundum auxilium divinæ pietatis sanctam ubique Christi Ecclesiam ab incurfu Paganorum , & ab infidelium devastatione , armis defendere foris , & intus Catholicæ fidei agnitione munire &c. Ad propositum meum hæc sola sufficerent. Verùm legamus pariter arcana comminatorii eidem Angilberto in hanc legationem à Carolo dati : Admoneat diligenter Pontificem de omni honestate vitæ suæ , & præcipuè de sacrorum Canonum observatione ,

vatione, de pia sanctæ Dei Ecclesiæ gubernatione, de Si-
 moniaca subvertenda hæresi, utpote quæ sanctum Eccle-
 siæ corpus multis malè macularet in locis, de constru-
 endo monasterio ad S. Paulum, de mutua collatione, qua-
 lis intercesserat inter B. Hadrianum Prædecessorem, &
 Carolum, singula tamen ageret Legatus secundùm op-
 portunitatem Pontificis, & animi illius convenientiam.
 Paternam planè hæc omnia pro Religione curam spirant,
 & sollicitudinem, quæ, ut tunc Ecclesiæ summo emolu-
 mento fuit, nostrò etiam ævò Regibus, & Principibus
 semper sit exemplo.

Præmiserat Carolo Neo-electus Pontifex, ubi
 in Cathedra S. Petri sedere cepit, Legationem cum mu-
 neribus. Ea erant, juxta receptum olim morem, claves
 aureæ, ex sepulchro Divi Petri acceptæ, & urbis Roma-
 næ vexillum. De clavibus variant authores; alii eas au-
 reas ex S. Petri confessione, alii ex sepulchro acceptas di-
 cunt. Omnes autem, præter paucos, eosque erroneos,
 inter quos etiam Aventinus, conveniunt, Carolum per
 traditionem clavium, & oblationem vexilli fuisse decla-
 ratum Protectorem, & Advocatum Ecclesiæ; neutiquam

verò

verò Dominum absolutum. Errori huic ansam dedit Eginhardus, ubi ait: Leo Papa petiit, vellet Carolus mittere aliquem è suis Optimatibus, qui populum Romanum ad suam fidem, & subjectionem per sacramenta firmaret. Missus est ad hoc Angilbertus Abbas. Nempe æquivoca fuit Eginhardi dictio: *ad suam fidem*; nunc extra controversiam res est. Ipsi Hæretici ultrò fatentur, Angilbertum, Abbatem sancti Richarii, Romam missum, compulisse, jussu Caroli, Romanum populum, fidelitatem jurare Pontifici, non Carolo. Etiam Patriarcha Hierosolymitanus claves sancti sepulchri unà cum vexillo misit ad Carolum, non tamen possessionem Hierosolymæ eidem contulit. Nec repugnat hoc authoritati Defensoris, qualis erat Carolus. Cùm enim jubere potuit, potestatem habuit ab ipso Pontifice agnitam, qua ipsi securitatem, & Ecclesiæ incolumitatem procuraret, officio Protectoris, non Domini absoluti Ecclesiæ.

Gravius dubium oritur ex Chronico Sigeberti annò 1112. scripto. Venerat Romam Carolus, celebraturus Pascha cùm Hadriano. In via primùm obvios habuit universos Judices cum expansis vexillis, dein

univcrfarum ſcholarum Patronos, puerosque cum pal-
 mis, & olivis, inter laudes Caroli occurrentes : agmen
 clausêre Cruces venerandæ, folis Regibus, & Exarchis
 præmitti ſolitæ. Exceptus à Pontifice inter mutuos am-
 plexus, & gratulationes, poſt varia mutuæ charitatis te-
 ſtimonia Carolus quarta die, qua Romæ morabatur, in
 Baſilica Vaticana ſponſionem tum ab ipſo, tum à Patre
 Pipino factam jam priùs Stephano Pontifici apud Cari-
 ſiacum, non explevit modò, ſed & per designationem
 confinium novâ cumulavit. Fuêre hi : à Lunis cum In-
 ſula Corſica, deinde in Suriano, deinde in Monte Bardo-
 ne, inde in Vereto, deinde in Parma, deinde in Regio,
 & exinde in Mantua, & ponte ſilicis, ſimúlque univer-
 ſum Exarchatum Ravennatium, ſicut antiquitus erat, at-
 que Provincias Venetiarum, & Iſthriæ, nec non junctum
 Ducatum Spoletinum, & Beneventanum. Sponſionem
 hanc ſua manu, ac ſoleſſi juramento pro ſe, ſiſque
 confirmatam ſuper Altare S. Petri depoſuit. Hic ait Sige-
 bertus, Carolum in Concilio Romano centum, & quin-
 quaginta trium Episcoporum accepiffe ab Hadriano Pon-
 tifice Investituram Episcoporum. Carolus iterum Ro-
 mam

mam rediit, Synodum constituit cum Hadriano Papa, aliisque 153. Religiosis, Episcopis, & Abbatibus, in qua Hadrianus Papa cum universali Synodo dedit *eius eligendi Pontificem, & ordinandi Sedem Apostolicam, dignitatem quoque Principatus*. Siste hic paululum lector, antequam ultra progrediaris, nam monendus es, hoc ultimum juxta Bellarminum sic accipiendum esse, ut Carolus confirmaret, vel infirmaret electionem novi Pontificis, & ordinaret Romanam Ecclesiam quoad temporalem Principatum. Quæ ipsa Privilegia Imperatori concessa ob frequentia Schismata, quæ tunc erant, & propter frequentes Hostes Longobardos, & Græcos, qui Ecclesiam Romanam assidue vexabant, causis illis cessantibus, revocata fuere. Insuper Archi-Episcopos, & Episcopos per singulas Provincias ab eo investituram accipere definivit, & ut, nisi à Rege laudetur, & investiatur Episcopus, à nemine consecretur: omnesque rebelles huic decreto anathematizavit. Videtur hæc mutua fuisse Pontificis, & Caroli munificentia, si vera est Sigeberti assertio, cui de meo judicio omnino nihil addere præsumo, sed saniori judicio examinandam relinquo.

Carolum plures ad Episcopatus liberè promovisse ,
 ex annalibus constat : an investituræ titulô id factum ,
 penès alios sit. De zelo in Religionem Caroli præsumen-
 dum est , nihil ab eo actum , quod sanctæ Sedi præjudi-
 cium afferret , aut ejus erga sanctam Ecclesiam pietatem
 imminueret. Idem Pontifex filium Caroli Pipinum , quem
 sacro Baptismatis fonte abluit , etiam unxit in Regem.
 Sollicitus dein , ne paterno solatio Caroli plenè satisfactum
 non esset , alterum etiam filium Ludovicum in Regem un-
 xit , ac sic , utrique coronâ impositâ , Pipinus natus major
 Longobardiæ , Ludovicus Aquitaniæ Rex est declaratus.
 Hæc regna patris virtute parta , Colossi illius gloriosa
 fragmenta sunt , qui tum in Carolo assurgebat supremæ
 Imperatoriæ dignitatis , & potestatis monumentum.

Antiquissimus (5) author ad ea tempora de
 Carolo ita scribit: Carolus ille Magnus , ingens , & singu-
 lare Germanorum decus , & gloria , in Francorum Regno
 successit , quo imperante Germani suis virtutibus Impe-
 rium de Græcis ad se transferri promeruerunt , & potif-
 simùm ea ratione : nam cùm populus Romanus , & uni-
 versi penè Italiæ populi parvo temporis succèssu multa-
 rum

(5) *Michaël Covinius.*

rum Gentium incurſionibus , ac direptionibus expoſiti
effent , uti Gothorum , Viſigothorum , Vandalorum ,
Hunnorum , ac Longobardorum , nec ipſi propriis ſefe
viribus deſenſare poſſent , neque Græci eos deſendere cu-
rarent , quin potiùs mala malis accumulantes ipſimet
Italos opprimere , ac ſpoliare nitebantur , nimiam avari-
tiam , & dominandi libidinem in eos exercentes ; Rōma-
ni itaque , & reliqui Italiæ populi Græcorum perſpicien-
tes avaritiam ſimul , & ignaviam , ac è Regione Germa-
norum fortitudinem , induſtriam , & juſtitiam , Impē-
rium de Græcis tranſtulerunt ad Germanos in Caroli Ma-
gni perſonam. Et talem Imperii translationem Rōma-
norum , cæterorumque Italiæ populorum conſenſu , &
authoritate factitatum , ſuam quoque vim , & efficaciam
habuiſſe haud dubitatum eſt. Nec obſtat , quod ſcribit
Innocentius III. ad Bertholdum Zaringiæ Ducem : Sedem
Apoſtolicam Rōmanum Imperium in perſonam Magni-
fici Caroli de Græcis tranſtuliffe in Germanos. Sedes
enim Apoſtolica non in alio ſenſu Imperium tranſtulit ,
quàm ex conſenſu dato Imperium tranſferentibus , vel
declaratione , eſſe tranſferendum ; quia talis tranſlatio

vim, & efficaciam suam habuit à consensu populi. Translationem hanc singulari beneficio in Carolum, miraculo in Pontificem Leonem, acceptam, ratamque habuit Deus. Quod paucis explicabimus.

Notum est, Pontificem Leonem III. à Paschali Primierio, & à Campulo Sacellario, Hadriani Nepotibus, in publica processione omni crudelitate, ac rabie dæmoniacâ fuisse tractatum, usque adeò, ut Paschali ad caput, Campulo ad pedes stante, eorùmque jussu in terram multis vulneribus prostrato, ac publicè denudato Leoni & oculi eruerentur, & lingua radicitus excinderetur. Notum est, dictum Leonem in Monasterio S. Gerasimi singulari Dei beneficiò, oculos, & linguam denuò recepisse, ac Româ dein profugum ad Carolum, ab eo omni cultu, & amore exceptum, ac in sanctam sedem maximò comitatu, & publicis ubique ornatum honoribus reductum fuisse. Hic ergò ille est, qui, oculis à Deo datis, vidit Caroli in sanctam Ecclesiam zelum, & pietatem, qui linguâ à Deo restitutâ, ejus virtutes deprædicavit, & qui Imperium à Græcis translatum, in Carolo publicè confirmavit. Cùm enim

Romam

Romam secutus Pontificem Carolus in Basilica S. Petri à Pontifice coronâ pretiosissimâ coronaretur (vel invitus, vel volens) (6) tunc universi fideles Romani, videntes tantam defensionem, & dilectionem, quam erga S. R. Ecclesiam, & ejus Vicarium Carolus habuit, unanimiter altissima voce, Dei nutu, atque Beati Petri clavigeri cælorum, exclamaverunt: *Carolo Piiſſimo, Augusto, à Deo coronato, Magno, Pacifico Imperatori vita, & victoria.*

Notare placebit, antequam ulteriùs progrediar, motivum applausûs, & consensûs publici in populo, quod maximè ad propositum meum spectat, nempe defensionem, & dilectionem erga sanctam Ecclesiam Carolo imposuisse coronam, & ex Patritio Romano fecisse Romanorum Imperatorem, hancque unam fuisse, quæ à Græcis Imperium transtulit in Carolum. Pontifex sanè in hac coronatione nullam voluit prætermitti solennitatem, quæ ab antiquis in Augusti inauguratione exerceri solebat. Hinc statuæ Caroli ante Altare collocatæ. Carolus ab ipso Leone Pontifice tanquam

(6) *Anastasius.*

Imperator, more antiquorum Principum, adoratus est, libero tamen actu, ut suo exemplo in obsequium Caroli populum Romanum excitaret, vel, ne nullum deesset testimonium, quo probari posset, Imperium Romanorum à Græcis in Germanos translatum. *alta Palatius.*

Cùm jam plura, aut majora ab Ecclesia, & sancta Sede Carolo conferri non possint, satisque, ut spero, visum, supremam hanc Imperii dignitatem, originem suam traxisse ex defensione, cultu, & propagatione Religionis, restant adhuc, quæ Carolus tum in se ipso, tum in suis continua pietate exercuit, in augmentum æquè, ac ornamentum Ecclesiæ. Vidimus superius munera, Romanà à Carolo missa, adeò pretiosa, ut ex illis ditissima Ecclesiæ ornamenta pararentur, & Cleri stipendia vel maxime augerentur. Vidimus donationem tot Provinciarum factam, ut debita esset Majestas, qualis est Sanctitas, sedis Apostolicæ. Verùm Regiam Caroli liberalitatem non Ecclesia tantum, sed & transmarina etiam Regna obtupuerunt. Christianos Afròs, Syros, Ægyptios, & qui Palæstinam, Christi vestigiis, & sanguine sacram, incolebant, adeò profusè sustentabat, ut sub

Regi-

(c)

Regibus Barbaris Carolo penitus addictis, ii pacatè viverent. In testamento legavit Carolus omnem auri sui copiam, Ecclesiis post obitum suum distribuendam; atque in eo numerabat Metropoles viginti, & unam, nempe Romam, Ravennam, Mediolanum, Forum Julii, Gradum, Coloniam, Moguntiacum, Juvavium, hodie Salisburgum, Rotomagum, Treveros, Senones, Vefuntium, Lugdunum, Remos, Arelatam, Viennam, Taranthesiam, Ebrodunum, Burdigaliam, Turones, Bituriges. His opibus optimè consultum voluit Carolus dignitati, aliis mediis, & suò exemplò pietati Ecclesiasticæ. Labantem in Ecclesiis Austrasianis, divinas laudes scitè canendi morem, ad Romanum usum, & præcepta revocavit, ipse sæpiùs præsens non diurnis duntaxat, sed nocturnis etiam psallentium officiis. Animadvertēbat Carolus, non adèò distare tempus mortis, convocatos ad se Episcopos ardentissimè monuit, curam omnem, ac studium indefessum haberent conservandæ, & promovendæ Religionis. Unde in Concilio Remis congregato, articulò decimò quartò statutum: ut Episcopi diligentius operam dent, lectionique divinæ incumbant, & Cano-

niciis libris , & opusculis Patrum , verbum Dei omnibus prædicent. Articulô decimô quintô : ut Episcopi sermones , & Homilias sanctorum Patrum , prout omnes intelligere possint , secundum proprietatem linguæ prædicare studeant. Hæc piissimus , ac prudentissimus Carolus , ipse linguæ latinæ , & Græcæ peritissimus , ante obitum , dignum virtutum exemplar , Religionis verò , ut ait (7) Baronius , omnibûs absolutum numeris simulacrum. Magna hæc cura fuit Caroli de Episcopis. Alia , & penè major de juventute , quam à teneris annis , pietate , & studiis instructam , quasi novos identidem surculos , in pomario Ecclesiæ plantari , ac formari voluit. Filios (8) suos liberalibus studiis , quibus ipse operam dabat , institui jussit , liberalia litterarum studia penè jam , ut ipse ajebat , incuriâ majorum obliteratedâ , instaurare summo opere conatus est ; & , ut sui exemplô ad ea amplectenda cæteros invitaret , ex Hybernia duos . Clementem , & Albinum accivit , ut tum erant tempora , eruditissimos. Pueros è Suevia Parisios , docendi ergò , missos , ut periculum de eorum ingenio , atque indole faceret , sibi exhiberi jussit. Doctissimus P. Caspar Schottus S. J. hanc scholarum

(7) *Anno 814. n. 43.* (8) *Aventinus l. 4. f. 370.*

larum curam in Carolo ita laudat : Carolum Magnum (9) ferunt , cùm devictis hostibus Provincias vastâset , nihil habuisse antiquius , quàm ad exstruendas Ecclesias , instituendâsque scholas , & Academias , locupletibus instructas Bibliothecis , animum adjicere. Eodẽm Augustissimo Imperatore in Gallia degente , duos ex Scotia doctissimi viri Britannorum Mercatorum onerariis advecti ad Galliæ oras appulerunt. Negotiatoribus merces suas impensè dilaudantibus , & magno quæstu dividentibus , cæperunt & ipsi validissimè clamare , ut , si quis avidus scientiæ esset , ad se accederet , venalem esse. Quæ cùm sapiùs iterarent , non effugerunt suspicionem emotæ mentis , potiùsque videbantur ipsi helleborò indigere , quàm alii sapientiâ. Res tamen ad Cæsaris venit aures : accersiti ergo , ac de venali sapientia , & pretio interrogati , affirmârunt constanter , penès se omnino thesaurum illum esse , séque inæstimabiles illas opes perexiguo pretiò addituros : tria sibi duntaxat ad id necessaria esse , locum opportunum , animos ingeniosos , victûs , ac vestitûs subsidia. His habitis , velle se gratuitam operam strenuè impendere omnibus sapientiæ candidatis : nec aliud mi-

(9) *Lehm. l. 3. f. 213.*

nerval postulare ; quàm ut studium licitantium par esset voluntati gratuitò addicentium , sapientiam accipere, emptæ pretium fore. Gavissus est magnopere Imperator, cognitâ utriusque ingenuâ , & liberali voluntate , & illius , quam re ipsa secum habebant , sublimis sapientiæ mercibus. Peramanter igitur , & honorificè utrumque excepit: alterum Ticinensi Academiae præfecit , alterum Lutetiæ Parisiorum retinuit. Quanta disparitas temporum ! Nostris planè timendum foret , ne similes mercatores citò repeterent naves suas , ut ex alieno emporio alias adveherent merces , quibus commercium exercerent lucrosius , majoris pretii , nullius utilitatis. Omnia Caroli præclare pro Religione defendenda , & propaganda , facta, actâque enarrando , annales conficiam.

Pro Coronide proin in compendio singula memorare volui ; Carolus Magnus, si non Maximus, Longobardicas Leges recensuit , & sanctiones Ecclesiæ complures, Capitularium nomine, evulgavit. Lesca Poloniæ Regem cæcidit Anno DCCCIV. quo & Saxones, eorum terrâ Obotritis concessâ , in Galliam transtulit. Danos Frisiâ depulit Anno DCCCX. Sclavos in Pannonia

nia domuit Anno DCCCXI. Insuper Helmstadio Anno DCCCVI, Dresdâ Anno DCCCVIII. Hamburgo Anno DCCCIX. &c. conditis inclytus: Ecclesias numeravimus superiùs: vivere tandem desit, si mori potuit, cujus memoria est immortalis, Anno DCCCXIV. Regni Francorum XLVII. Italiæ XLII, Imperii XIV. postquam maximam bonorum partem Ecclesiasticis, & pauperibus testamento legavit, quasi votis suis satisfactum non esset, studuisse semper in vivis Ecclesiasticæ dignitati, nisi etiam eidem, auctis ubique stipendiis Ecclesiasticis, prodesset mortuus. Optimè parentant Fundatori suo Augustissimo gloriosi Posterì, qui nunquam à semita, quæ à sancta sede ad æternæ beatitudinis stationem perducit, deflectunt, nunquam in auito pro Religione tum tuenda, tum propaganda zelo deficiunt, sed omnibus nationibus singulari orthodoxæ fidei cultûs lumine prælucent digni è Sole Magni Caroli virtutum radii. Quisquis à Deo Regni Gubernacula accepisti, & hujus sanguinis es, inspice, & fac secundum Exemplar. Felicia spondeo, & magna.

Crescit Regnum Deo duce, sed
Regibus spontè sequentibus, ut apud Herodotum

M

Hero.

ait Rex Persicus , & secundùm Livium : Prospera
 eveniunt Deos colentibus , adversa spernentibus. Et si
 enim interdum optimè cogitata pessimè cadant , ta-
 men exitus , ut sapientissimè inquit Isocrates , tandem
 congruit ad justitiæ normam , modò conscientiam rectæ vo-
 luntatis , & optimorum consiliorum freti, in honesto per-
 severemus proposito. Optima autem illa sunt consilia,
 & voluntas honestissima , quæ præscripto divino, & ju-
 stis legibus est consentanea. Hisce si jungatur veræ
 Religionis cultus, ac fidei zelus , fieri non potest , quin,
 quæ bono sunt inchoata principio , tandem felici termi-
 nentur exitu , & rectè procuretur incolumitas Regni,
 falus publica , & privata , suaque sint vi-
 tiis supplicia , virtutibus præmia.



DIS-



MONSTRAT TOLERARE
LABORES, NON IUBET.

DISCURSUS II.
 PARS PRIMA.
 CRITICO-POLITICA.

An Princeps se debeat exponere belli
 periculis?

Sunt Castra simillima Regi.

Seneca.



Necesse æquè, ac periculosum est con-
 silium, per quod in deliberationem
 venit, an Principi major cura sit salu-
 tis suæ, an gloriæ? in hoc sanè casu
 præ aliis illud Regis Alphonfi oracu-
 lum mihi notandum videtur: Regum consiliarios aut
 Reges esse, aut Regum habere animos oportere; pluri-

N

ma

ma enim interdum consiliariis, & privatis convenire, quæ Regem non decerent. Nulla omnino gens cujuscunque Regni, nulla Natio Principi suo pro debito addicta, gloriam Regis sui ita cordi habebit, quin eam saluti postponendam, & nullatenus per pericula vitæ suæ acquirendam putaret. Vicissim Regibus nati, quibus ipsa natura gloriæ amorem in cunas congestit, in hac gloriosa ambitione adolefcunt, & plerumque in illius augmento fenescunt: victoriarum trophæa per Vicarios suos parva penè furtô rapta autumantes, & parùm gloriosa, nisi hostibus propriis manibûs crepta scuto gentilitio affigerent. Indignum videtur magno Regum animo, domi vitam desidem agere, dum bellô exercetur Nobilitas, probatur subditorum fides, & cuique liberum est, se audaci, & gloriosô factô facere immortalem; cùm interea magnæ etiam virtutes in tranquillitate, & otio exercitæ, vel parùm à posteris, vel paucis memorentur, nec diu.

Ad omnes virtutes via plana est, & facilis, sive prudentiam, sive pietatem, & his cognatas virtutes spectamus; sola aspera, periculis plena, & sæpiùs Augusto etiam sanguine aspersa, quæ ad gloriam ducit.

Agitur

Agitur enim cum hostibus, qui Regiam dignitatem à plebeij militis conditione nec distinguunt, nec respiciunt. Ventus, & pluvia, frigus, & æstus, eadem aëris intemperies Regi in bello communis ferenda est, quæ militi. Pari fragore tormenta in Regem reboant, funestósque conjiciunt globos, quibus miles cadit stipendiarius. Conjurat in omnes, & singulos sclopetorum displosio: furit æqualiter in eos, qui imperant, sæpè etiam citiùs, quia in primos ordinum, ac in illos, quorum una virtus Duces sequi, & eorum imperia exsequi. Quis est, qui consulat Principi adeò periculosum aggredi tramitem? qui audeat in salute Regis salutem etiam publicam velle periclitari? Ita privati, ita subditi sentiunt: aliter Reges. Nec Regibus tamen hæc honoris, ac gloriæ regula ita universalis est, quin & illa disparitatem ab ætate accipiat nonnunquam, & exceptionem ab ipsa persona Regis. Eventus ex eadem origine, & fundati in uno principio, variantur quàm plurimùm in rebus bellicis. Vix statuas illis æqualem legem, ita, ut non agant idem Principes omnes, quod plures.

Multa Regi considerata occurrunt, prius-

quam decernat ipſus in aciem progredi. Alia ſtatuet juvenis, alia vir, alia ſenex; in omni tamen ætate gloriam amabit, oſor otii, vindex per arma injuriæ, armis acceptæ. Reges in omni ætate ad gloriam nati ſunt; ſed ea etiam ſeriò perpendant, quæ illis magis proficua, vel noxia eſſe poſſint, nempe quo conſiliò, quo fine, quo milite, ac denum, qua ſpe emolumentum bellum gerendum ſit, ut illis potior gloriæ ratio, quàm ſalutis ſit.

Princeps, qui juvenis prima belli tyrocinia ponit, nullâ ex rebus geſtis acceptâ experienciâ, Duces ſecum habebit veteranos, qui audaciùs in pericula irruentem retinebunt, lentiùs agentem animabunt, inſtruent conſiliò, & exemplò. Maximi ſanè emolumentum eſt, Principem in juvenili ætate victoriis noſci & ſuis, & hoſtibus. Augebit continuò fama virtutem, fiduciam inter milites, in hoſtibus terrorem, in ipſo Principe audendi ſtimulos, poſtquam fructum laboris, & periculi guſtaverit inter applauſus, quo cibo nihil delicatius eſt palato Regio: cùm eò magis appetitum alliciat, quò nunquam quis hac dape fatiandum ſe putet. Ætate in virilem productâ, corpore laboribus jam magis aſſueto, formatóque ex diver-

lis eventibus judiciô , pronum illi erit , quæ agenda , statuere , & , quæ statuta , exsequi , ita , ut aliorum consilia deliberantem juvent potiùs , quàm regant , nunquam tamen spernenda in iis , quorum ductu prima hausit armorum rudimenta , utilia expertus ab eventu. Atque hæc ætas Martio ardori est opportunissima : hæc , urgente augendæ gloriæ instinctu , Regias omnes formabit virtutes ; cùm unus gloriæ amor sufficiat in Regum , & reliquorum suorum Nobilium animo extirpandis vitiis. Principem in umbra , & plumis , ut ajunt , assiduè agentem , multa vitia necesse est circumfistere ; cùm voluptatum titillantium nutrix sit culcitra , cui morbo multum adjiciunt secreta cubiculorum conclavia. Quamobrem rectè ab Horatio dictum.

*Otium & Reges priùs , et beatas
perdidit urbes.*

Ardor bellicæ laudis mollitiem , & huic cognata vitia , velut clavum clavô expellit. Nulla quies ab armis datur à bellicoso Rege , salubriora credente juvenum corpora esse militiæ , quàm domi. Avido gloriæ nihil durum , nihil horridum : ipsa mors vitâ segni , &

O

deside

deside gloriosior est. Ex omnibus virtutum præmiis amplissimum est præmium gloriæ, quæ vitæ brevitatem posteritatis memoriâ consolatur; quæ efficit, ut absentes adsimus, mortui vivamus, cujus gradibus etiam homines in cælum videntur ascendere. Sanè præstantes Viri (Reges, & belli Duces intelligo) nunquam tanta conati essent, quæ ad posteritatis memoriam pertinerent, nisi animô vidissent, posteritatem ad se pertinere. Nonne melius multò fuisset, ait Cato Major, otiosam ætatem, & quietem sine ullo labore, & contentione traducere? sed nescio, quomodo animus sese erigens posteritatem ita prospicit, quasi, cùm excefferit è vita, denique victurus sit.

Nihil magis animos nobiliorum Ducum (quid dicam de Regibus?) pungit, ac sollicitos habet, quàm ut præclarum præconium nominis sui ad posteros transmittant, nullusque in fortium Regum pectoribus aculeus gloriæ cupiditate acrior esse potest. Inde nullus horror mortis, eadem semper audendi voluptas est. Seneca in Thyeste, quid Regem faciat, postquam omnia Regum insignia, purpuram, divitias, comitatum

Regium , aulæ majestatem , voluptatum & occasiones , & libertatem fati amplè decantavit , ita in fine statuit : Regem esse , qui posuit metum , qui infra se videt omnia , occurrítque fato suo libens , nec queritur mori. Vicissim eum plebejum mori senem , cujus leni fruentis otio traducta sine strepitu ætas , & per tacitum fluens nunquam Quiritibus nota fuerit. Agesilaus agebat , nihil præclarè agere eum , cujus animum mors occupavit. Eadem gloriæ ratio juvenibus , ac viris communis , imò Regibus penè senium spectantibus potior , vix hos dispensabit à belli laboribus , nisi gravioris ætatis incommoda tam gloriosæ ambitioni remoram injiciant. Magnum enim victoriæ augurium est , ubi urget præsentia Turni. Dux , milésque Regis animatur exemplò , incitatur æmulatione , agitur spe præmii , & ab oculis Regum invalescit audacia , ac quemlibet pudet timidum vel esse , vel videri etiam , ita , ut ex sola præsentia Regis multis millibus exercitus numerosior habeatur , & validior , quod de Maximiliano Emmanuele Electore nostro sæpiùs etiam ab hoste dictum accepi , illius personam decem millibus aestimari. Totum corpus animatur à spiritu intus agente.

te : agente Rege ipſo omnes agunt , dum ipſe vibrat gladium , nullius manus otioſa , vel inermis eſt. Pro neceſſitate Rex omnium officium implet , modò Imperator , mox Præfectus , tum miles. Omnes econtra in unius Regis ſalutem , & gloriam conſpirant , quo ſalvo ſe vinci vix poſſe arbitrantur ; tanta ineſt fiducia exemplis Regum , quæ ſæpè languet , ubi vicaria poteſtate pugnatur. Hæc de Regibus , & eorum in bello præſentia : nunc dicendum de illis reſtat , quæ decretum in caſtra Regis abitum præcedant , ſi felix inde ſperandus reditus , ſi gloriæ illius ſpes , quâ ad labores , ac in ipſa pericula abducitur.

Antiqua bellantium regula eſt , non eſſe tentanda , quæ fieri non poſſunt , aut non debent : & , ut ait Salluſtius : omne bellum inchoari facile , cæterùm ægerimè deſinere ; nec in ejusdem poteſtate eſſe initium , & finem. Inde olim bellum ſuſcepturis potior cura fuit eligendi viros ad conſulendum ſapientes , quàm Duces ad pugnandum ſtrenuos ; plerumque enim ea , quæ ſumma ratione , conſilioque acta ſunt , fortuna ipſa ſequitur. Quòd ſi illa agentem deſtituat , boni tamen conſilii fru-

ctus per se saluberrimus est ; uti vicissim (1) *audere multa , multa nos labi facit*. E temeritate multa oriuntur mala ; unde (2) Horatius universam Gigantomachiam eleganter decantans , optimè concludit :

Vis consilii expers mole ruit suâ ,

Vim temperatam Dii quoque provehunt

In majus , ijdem odère vires ,

Omne nefas animò moventes.

Aristoteles (3) eos , qui non habitu virtutis , sed immanitate quadam nihil omnino formidant , nequam ait appellandos esse fortes , sed temerarios , infanos , sensûsque expertes. Consiliò , (4) non impetu opus est ei , qui errare non vult. Consul Romanus bellatoribus consiliarios præfert : & bene Euripides judicat , *unius consilium multorum superare manus*. Nauclero nemo honorem probè directi navigii eripit , cujus animus plus agit , quàm membra , Virtus Naucleri est prudentia , effectus robur remigum. Pro nautica laborum diversitate hi modò vela vertunt , modò funes colligunt , malum scandunt , prædones speculantur , fissuras aquis obstruunt ;

P

ille

(1) *Comicus Græcus*. (2) *l. 3. Ode 4.* (3) *Libr. Moral.*

(4) *l. 1. Offic.*

Ille ad clavum refidet , navémque fervat à scopulis , de-
 ducit in portum , tantum nobiliore aétu , quantum mens
 prævalet corpori. Hinc Guicciardinus prudentiam viri
 egregij potentiùs agere ait , quàm exercitus. *Non est ,*
(5) Regium , inconsultè , ac imprudenter agere ;
sed consideratè , & tardè , maximè in bello , ubi
bis peccare non licet. Tritum illud est Scipionis , in
 re militari præcipuè turpe esse : *Non putabam.* Cùm
 in aliis rebus interdum locus sit , malè instituta postero-
 ribùs consiliis emendandi. Cæterùm , *(6) quæ ferrò*
aguntur , non oportere temerè aggredi : quòd
talis error sit plurimùm inemendabilis. Talis
 notæ temerarios acerbè carpebat olim Plutarchus : *Qui*
bove venatur leporem , vel aratrò jaculatur , &
sagenâ captat cervos , si non assequitur , non po-
test accusare fortunam , sed suam dementiam.
 Sic , qui conantur efficere , quæ non queunt , stultitiam
 suam accusent. Priùs consultandum , quàm agendum.
 Post cladem dare consilium , quo vitari potuisset , est ex-
 pro-

(5) *Nicetas.* (6) *Plutarch. in Moral.*

probrare Principi errorem ; uti pariter periculosum est, si casus ferat , ut Princeps subitaneum petat consilium; subitaneum ei dare responsum. Sequitur proin , antequam Princeps bellø se , suosque involvat , inspiciendas esse & proprias , & amicorum , imò & hostium vires , quæ speranda è victoriis emolumenta , quæ timenda è cladibus damna , & an illa his prævaleant , vel an hæc illis denuò reparari possint ? Damnosum bellum est cum iis , qui non habent , quod perdant , uti semper exitiale , si malè consultum.

Multùm ad suscipienda consilia valet , se ipsum nôsse , ac Imperii sui vires excutere , ut , qui bello se imparem animadvertit , pacis artibus tueri se sciat ; quæ belli , pacisque artes à debilibus necessariò , à potentioribus consultò usurpantur. Stare autem sententiam hanc non semper in solo Principum judicio , quantumcunque reliquis omnibus prudentiâ prævaleant , digna Imperatoris Antonini Pii majestate sententia probat : *æquiùs est, aiebat, ut tot, & tantorum amicorum consilia sequar, quàm ut tot, & tanti me unum.*

Sæpè Princeps de multis hæud probè instructus, gloriæ periculum facit; dum verò aliorum etiam sententiam benignè accipit, tutè agit, & clarissimorum, sapientissimorumque virorum prudentiam quasi suam efficit.

Bella armis, & Ducum consiliò geruntur; verùm hoc ipsum consilium, quorum oraculò proferatur, probè dispiciendum est. Præcipuè vitandi ii, qui vel temerè nimis, vel inhonestè ampliores dignitates Principibus suis pollicentur. Consilia audacia mutandis rebus, quàm servandis aptiora sunt. Ut absint semper Themistoclis consilia, quibûs equidem nihil erat utilius; sed iisdem pariter nihil inhonestius; ita, ut Athenienses utilitati honestatem præferentes Aristidi publicè vetuerint, ne unquam de Themistoclis consilio mentio fieret.

Tria sunt Consiliariorum genera, qui in re militari dicendæ sententiæ impotes habentur. Primò procul sint à Curia, & ab aula Lacones isti, qui, Tacito monente, consilii quamvis egregii, quod tamen non ipsi attulere, sunt inimici, & pervicaces adversùs rerum peritos.

Secundò ab illis cavendum, qui secundùm Aristotelem, audaces temeritate provecti, antè cupiunt adire

peri-

pericula, quàm instent; cùm adsunt, ea defugiunt; quales ij sunt, qui pericula belli omnino ignorant, bellum tamen, variis moti principiis, liberiùs suadent, & inconsultiùs. Exemplo sit, quod Princeps Oretopianus & ipse experiëntiâ didicit, & suos docuit. Consultabat ille cum magno Consiliariorum suorum numero de bello suscipiendo; jámque senatùs consultum de eo unanimi suffragio statutum subscribendum erat, cùm ex opposita cænaculo turri, uti ipse priùs clam jusserat, per vitreas fenestras in conclave, jaculabantur milites, sine damno quidem eorum, qui aderant, sed non sine ingenti pavore; visis enim specularium fragminibus hinc inde volitantibus omnes diffugere, ac tuta quærere, singuli, de Principe parùm solliciti, sibi solis consulere. Irrita erant monita Principis, ut in periculo intrepidi, quales in consilio audaces, persisterent. Vicit timor verecundiam, & qui, dum securos se viderant, fortes sententias pronuntiabant, metu obruti in ipso opere defecerunt. Scio equidem aurea verba Euripidis: (7) *Lubrica res, Princeps audax*: & suadere Principi, quid conveniat, multi laboris. Verùm ex hoc ipso & necessitatem, & utili-

Q

tatem

(7) *Tacitus.*

tatem consilii induco. Uti enim, Græcô adagiô, impetitia audaciam, ratio timorem affert, ita consiliô nil tutius, & sacrares est consilium.

Tertiè pessima sunt illorum consilia, qui propriis destituti viribus, exteri, ac patriâ suâ extorres, alios ad bellum movere nituntur; cùm illorum spes desiderio potiùs qualicumque, quàm ratione concitatae plerumque infelicem fortiuntur exitum. Exulum nunquam fida sunt consilia. Inde quanti pretii sit bonus, probusque consiliarius, quantumque necessarius Principi bellum meditati, illud (s) Aurelii Imperatoris, hac super re loquentis monitum adducere sufficiat: *Commodo filio meo mando, ut obsequiorum tibi mercedem solvat; Deos autem immortales rogo, ut pro consiliis gratiam tibi referant; nec frustra illud me filio mandare, hoc à Diis me petere dico. Multorum enim obsequiorum mercedem homo unus persolvere potest; ad remunerandum verò consilium unum omnibus Diis opus est.* Quàm aliter hodie Orbis iudicat? Interea Maximilianus Primus in hoc Aurelii dictum re-

cùm

(s) *In suis Epistolis ad amicam.*

flexisse videtur, cum in monitis paternis Ferdinando filio relicto, illud inter alia summopere commendatum voluit, ut nihil sine prævia consultatione suscipiat. Paucissimis ait, idque consultò datum est, omnia ex se dispicere, complecti omnia; à temerario vix distat, qui id sibi arrogat. Præstat sapere sapientum consiliò; audiens enim sapiens sapientior erit, & gubernacula possidebit; imperium bene capessitur consultorum adminiculis. Constat proin abundè omnium judiciò, & sententiâ penè unanimi, quanti intersit, belli causas, & momenta severò ponderare consiliò, priusquam ensis vaginâ exeat, & gravi judiciò duobus armorum eventus examinare, antequam præcipiti ardore furor Martius in noxias belli flammæ erumpat.

Gnavi belli Ducis prima, & suprema regula est, ut bellum, quod prudenter suscepit, fortiter gerat, si velit finire feliciter, & gloriosè. In quo maximè indoles Regum, ac Principum consideranda est, an eorum genius in fortitudinem magis proclivis, vel mollioribus inherens principiis, belli labores, & incommoda fugiat magis, quàm ambiat. Vix enim magni quid speres à Principe, cui vera desit fortitudo. Platonis in definitionibus Speu-

Hippus eam vivis coloribus depictam ita exhibet : fortitudo est, inquit, habitus animi intrepidus, militaris audacia, peritia illorum, quæ ad bellum spectant, consonantia animi adversus illa, quæ terrere possunt; audacia prudentiæ pedissequa, intrepiditas in mortis expectatione, affectio servans in periculis rationale propositum; robur contra periculum obfistens, vigor tolerans omnia virtutis gratiâ; perseveratio animi in his, quæ rectæ rationi audenda, vel metuenda videntur; observatio eorum, quæ ratio dicit in rebus expavendis; rei militaris peritia; habitus in lege immobiliter perseverans. Breviùs ipse Plato in Lachete: *Fortes non turpi timore timent, ubi timent; nec turpi audaciâ audent, ubi audent.* His legibus prohibetur semper vesana temeritas, nunquam prudens audacia. Si bellum gerendum est, per Principem, uti superiùs dictum, gerendum est. Pugnando in acie formantur Principes; non figuris, quæ ab hominibus rei bellicæ imperitis in charta notantur. Acies schola est, exercitus discipuli, arma pennæ, quæ tinctæ hostili sanguine historias scribunt in carne, unde gloriosius est clarescere apud posteros gestis in bello, quàm in Musæo. Qui

jus militum in alium transfert, imperiô se quasi abdicat; nisi omnino juventâ rudis, aut senectâ gravis Princeps in eam necessitatem impellatur, ut uni committat summam belli, pacisque tempestatem, de cujus tamen fide, & prudentia ita sibi, & Reipublicæ cautum esse oportet, ne ex usu imperandi, imperii etiam ambitio succrescat, & vicariam tempestatem pessimè transferat in supremam; unde dein plus mali, quàm præsidii evenire solet, cum nunquam etiam è subditis deerunt, qui partes, & fortunam Ducis, vel spe majoris emolumenti, vel dilatæ promotionis vindictâ allecti sequantur; nempe, ut ex hasta, quantumvis longa, solus ferreæ cuspidis palmus plagam facit, ita sæpè unius ambitione reliqui inflantur, ac motu turbido agitantur; cum cætera dein turba horum accessio fiunt.

Haëtenus, quid agendum Principi, & quo consilio agendum, fusiùs dictum est, necdum quo fine. Optimus est ille Princeps, qui in æstu acceptæ injuriæ, damni que aut jam illati, aut meritò metuendi, non à scopo suo aberrat, sed sola justitiæ lege, quasi invitus in infensos belli impetus abripiatur. A fine bono plerumque bo-

nus est exitus. David Rex prudentissimus bellum movit nullum, nisi Deo prius in consilium vocatô. Judas Machabæus prælium iniit nullum, nisi Deo præmissis precibus placatô. Nec ipsis Græcis, Romanisque bellum indicere licuit, nisi victimas prius Diis immolâssent, & Oracula antè, Vatesque consulissent. Quod ad negotia justitiæ, oblectamenta Principis, præmia bonorum, malorum pœnas, distributionem officiorum attinet, ea cum familiari aliquo communicare solent Principes; at de belli negotiis cum Deo prius consultare, & certi aliquid statuere debent: nunquam enim plenam de hostibus victoriam sperabit Princeps, nisi querimoniam prius suam in manus Dei deposuerit. Nimis sanè difficile, & periculosum est negotium belli, si verum illud, quod communi asseritur opinione, nullum in mundo bellum tam justum esse, quin aliquem inde scrupulum Principes reportent, solam Religionis causam si excipias, quam omni tempore, omni loco Principes & suo, & suorum periculô tueri debent. Variæ justi belli causæ numerantur, inter quas primum locum sibi vendicat salus Religionis. Deo militat, qui pro Religione pugnat. Huic

suc-

succedit Reipublicæ incolumitas, vel deprædationibus, vel detentione rerum infracta. Princeps, qui Rempubli-
cam non defendit, æquè peccat contra justitiam, quàm
qui aliena invadit, & hostes ex impunè illatis injuriis au-
daciores, difficiliùs dein rejiciuntur, vel de pace extorta
insolescunt acerbìus. Cavendum tamen summopere, ne,
nisi gravissimis ex causis Princeps vicino infensus, alienis
Provinciis ingruat; felicitas (9) enim major est, vicinum
bonum habere concordem, quàm malum subjugare
bellantem.

Pessimum omnium bellum est, dominatûs tan-
tùm, & ditionis ampliandæ causâ susceptum. Impru-
dentium (10) ista fiducia est, fortunam sibi spondere, &
plerumque ita atteruntur, & exhauriuntur Principes uni-
cò bellò leviùs suscepto, ut totâ postea Regni sui vitâ fat-
cire detrimenta nequeant. Nec etiam omnis ulciscendæ
injuriæ causa ad suscitandos belli motus sufficiens est; cùm
multi in bellum proficiscantur una tantùm re læsi, redeant
offensi multîs. Nostrò ævò, quod dolendum, planè in-
valuit, ut status, & belli ratio, ut vocant, injustitiæ
principium, cupiditatis patrocinium sit, quo pleraque

R 2

cru-

(9) *S. Aug. 4. Civit. 15.* (10) *Seneca 4. benef. 34.*

crudelitatis , atque iniustitiæ famam incurrentia commendant , aut excusant. De his causis belli optimè statuit Maximilianus in monitis suis paternis , quibus ulteriùs quid addi possit, haud video. Apage bellum, ait, quod inferitur ab ambitu , odio , cæterisque sequioribus animi furiis , & affectibus. Arma cum bono Deo capies pro tutanda Religione, fide reddenda Cæsari, præstandis, quæ promiseris in fœderatorum sociorum causas; pro auxiliis, & salute patriæ; pro amoliendis iniquorum injuriis; pro defensione subditorum , próque jure , quod solis armis potest obtineri. Nunc ad reliqua , quæ Principi in bellum profecturo priùs spectanda sunt, descendamus.

Quisque belli Dux in decernendo bello id præ aliis cordi habeat, ac summâ curâ intendat, ut providè omnia præviè disponat, quæ dein in executione deesse non possunt sine causæ , & gloriæ dispendio. Antiqua militiæ regula est, belli necessaria maturè , & in pace comparanda esse; Et hæc quidem omnium sententiâ quatuor hîs articulis continentur ceu compendiosa , sed sumptuosa suppellex: militi ne stipendia, & habitus, castris ne desint commeatus, & tormenta bellica. Hæc si præstiterit belli Dux ,

priùs-

priusquam exercitum in hostium agros eduxerit, meritò victoriam sperare poterit, raróque fortuna illius curis, & magno animo erit perfida. Uti vicissim nunquam feliciter bellum geritur in hostium exuperantia, & num̄orum penuria. Marcet sine stipendio virtus bellica; disciplina militaris languet, si non emoritur; licere putat omnia, qui omnium eget; nihil est inausum militi penuriâ presso; plerumque etiam impunè, & inultum, Duce ad puniendum invalido, si ad solvendum. Equidem habitus animos non addit pugnantibus; indigna tamen egestas alacritatem exuit, induit odium, & contemptum. Eadem de com meatibus ratio. Disciplinam nescit servare jejunus exercitus, & , qui com meatum non præparat, vincitur sine ferro. Etsi enim pro patriæ salute miles se devoverit, non tamen fame, sitique, & tanquam timidè se mori sustinet. Prudentiæ militaris leges imperant amplissimam penam per viciniam illorum locorum, qui petuntur, antequam institutum procedat; adeò, ut nemo in hostilem Provinciam descendat, nisi sequantur jumenta clitellaria, & currus annonarii, queis militi de sibi necessariis in aliquot saltem dies provisum sit. Dico de

necessariis, cùm hisce temporibus per abundantiam victus, luxumque epularum, quibus maxima pars, & in primis Duces assuevère, & sobrietas, & temperantia, ipsa etiam laborum extra ordinem tolerantia infringitur. Quæcunque sanè Nationes sese deliciis minus dedère, præ aliis bellicâ laude claruerunt.

Fallax, & vana spes illa Ducum, qui ex hostium Provinciis annonæ commeatum sibi spondent, ubi eas necdum expugnârunt, eumque ipsum, si victores evadunt, cum impetu corradunt, ac dein velut insufficiens, ac infensissimis exactionibus partum subsidium plerumque sine fructu dissipant. De utroque optimè, ac prudentissimè cautum voluit Maximilianus Primus, cujus sententia aureo digna stylô in ultimis tabulis ita extat: Miles se Regi non finit, nisi vestitus, calceatus, satur, & habens aliquid nummorum in zonnula; si defuerit annona, vinceris sine ferro; rarò sine periculo, aut clade paratur commeatus ex hostico. Quòd si ex subditorum, aut amicorum spoliis comportandus sit, non est militis, sed Principis culpa. Ita Maximilianus.

Romanorum in hoc genere industriam Vegetius ita describit: Habet præterea Legio fabros lignarios, instructores,

car-

carpentarios, ferrarios, reliquosque artifices, ad hybernandum ædificia fabricanda, ad machinas, turrésque ligneas, cæterosque apparatus, quibus vel expugnantur adversariorum civitates, vel defenduntur propriæ, qui arma, qui vehicula, cæteraque genera tormentorum vel nova facerent, vel quassata repararent. Habebant etiam fabricas scutarias, loricatas, arcuarias, in quibus sagittæ, missilia, cassides, omniâque armorum genera formabantur; hæc enim erat cura præcipua, ut, quidquid exercitui necessarium videbatur, nunquam deesset in castris. Si quis ad hoc Romanorum belli sumptuum paradigma mutato armorum genere, queis hodie pugnatur, castra, & armamentaria munierit, audacter in hostem procedat, audaciùs speret victoriam. Necdum tamen ex integro satisfactum militiæ regulis per necessariam istam rerum bellicarum copiam; circumspèctus etiam sit oportet, qui providus audiet belli Dux.

Tria præcipuè hac super re Ducibus, & exercituum Præfectis consulunt Annales veterum. Ut paratas semper habeant ad pugnam copias; ut prævertant hostem, & ut foedera cum vicinis hostium feriant. Nec enim copiæ

omnes, & qualicumque modo conductæ ad prælium aptæ; nec in numero, sed in robore, ac virtute militum victoriæ positæ sunt. Justus Lipsius carpit Duces, qui emunt militem, non legunt; milites verò omnino è castris ejicit, qui ad sonitum tympani coëunt, ignoti inter se, purgamenta urbium suarum, quibus ob egestatem, & flagitia maxima peccandi necessitudo est, assueti latrociniis, laborum insolentes. Probus sit miles; semper enim timida nequitia. Laboris patiens sit, & obsequii, & si fieri poterit, è subditis, iisque potiozem partem colonis, non è civibus urbium deliciis assuetis, conscribatur. Fortior(11) *miles ex confragofo venit.* Ne dixerim tamen, majora præstari militis munia è magnitudine corporis. Interim & hæc consideranda est; quia vires addit, uti nimia parvitas facilè in contemptum abit. Imperatoriè planè Pyrrhus: *Tu grandes elige, ego exercitatione fortes reddam.* Atque per hanc ipsam exercitationem, quæ Ducibus etiam in pace sæpiùs repetenda, ac diligentius observanda, miles in Ducis gloriam, & in patriæ salutem formatur. Monui superiùs, plurimùm interesse, si miles è subditis, non ex diversis Nationibus conscribatur; sunt enim

(11) *S. Hieronym. ad Theodos.*

enim nonnunquam in bellorum casus; ut exterorum omnino utendum sit suppetiis, cui penuriae quandoque etiam Principes subjacent. Dubium tamen non est, quod iterato dixerim, prudenter, si possit, iis careri; cum neque virtute, neque fidelitate ad audendum subditis æquipolleant; lucro potius, ac commodo suo intenti. Subditi in obsequio perstant, & dum pro fortunis propriis depugnant; gloria etiam propria, & quod maximum, obsequio, & amore in Principem suum stimulantur. Ab exteris, & mercenariis rarior obedientia, rara constantia, nulla disciplina castrensis habetur, licentia, protervia, & sæpè seditionibus se magis distinguunt.

Quanti verò intersit, hostium insultus, seu stragemate bellico, seu vi armata prævertere, pater ex innumeris belli eventibus, quorum exitus plerumque à felici, vel infelici judicatur initio. Si prima vice miles animò dejicitur, rarò ad insequentia pericula non contremiscit. Adde, quòd etiam vicini fortunam potius, quàm belli causam suspiciunt, & sequuntur, ita, ut dein fœdera velut coacti ineant cum victoribus, aut leviùs rumpant cum victis. De fidei integritate abundè dictum: hæc enim sola

T

est,


est, quæ Principem commendat sive in bella abeuntem, sive ex iis reducem. Inde cum plura vix supersint, quæ Principi in bellum properanti notanda sunt, felicem illi gratulemur jactæ jam aleæ eventum. Eat Deo auspice, duce virtute, comite fortuna; si tamen (quod præ aliis considerandum) Princeps statum suum majori periculo sive interno, sive externo, non exponat; neque successiorem suam in discrimen adducat. Quæ, dum in casu speciali seriò examinanda sunt, in universali gloriæ Principum, & boni reipublicæ principio obstare non possunt, quin Rex, & Princeps ultimum felicitati Regni sui pondus tribuat ex præsentia sua non jubendo in periculis labores, & fortitudinem, sed monstrando, quid tolerandum, quid agendum sit, exemplò suò, sua virtute.



DIS-

DISCURSUS II.
 PARS SECUNDA,
 POLITICO-HISTORICA.

OTTO
 WITTELSPACHIUS.



Uobus, & amplius sæculis Ducum Bo-
 jorum gloria, & Augusta Carolinæ gen-
 tis Majestas sub tenebroso Comitum
 Schyrensi titulo usque ad Ottonem
 Wittelspachium delitebat, cùm tan-
 dem in illo, quasi ab angulo tralucens per rimas,
 accepit lucem, quæ periculis aliquamdiu, & concussio-
 nibus attrita splenderet nitidior, &, excussis nubibus, glo-
 riosior populis illuceret. In ipso statim gloriæ suæ initio

publicum gloriæ testem adjecit, Magni cognomen, ipse velut tabula littori appulsa ex atroci gentis suæ naufragio, è cujus aspectu facile intelligas, majora esse, quæ fluctibus hausta interciderunt. Erubuit nempe fortuna, viso in armis Ottone, tot injuriarum memor, quibus stirpem Ottonianam adeò pertinaciter erat persecuta, nec repercussos è galea, & lorica virtutum radios diutiùs sustinere potuit, quin jam ultro fateretur se impiam, Augustam verò gentem hanc semper dignam fuisse avitis honoribus. Fecit igitur Otto sub Friderico Ahenobarbo totus ferreus, ut & ipse, & tota ejus posteritas inter reliquos Imperatores purpuratus incederet, eo etiam omine felici, ut postea ipsa suprema Imperii Majestas in ejus progenie priorum calamitatum ærumnas, ac damna repararet, primæque originis Insignia toti orbi, uti fataliter ablata, ita feliciter restituta monstraret. Atque hæc gloria laborum præmium fuit, quibus Otto Friderico Imperatori in bello socius, spreto omni vitæ periculo, & sibi pristinos honores, & Cæsari victorias, ubicunque ipse militaret, asserere voluit. Nec mireris, quisquis Ottonem inter omnes Duces præcæteris conspicuum probè consideras. Regiam

giam aquilam ferre solitus, eam sine victoriæ applausu nullibi explicavit. Præmissus cum Conrado Friderici fratre, Bertholdo Zaringio Burgundionum Duce, & expeditis cohortibus, in obsidione Berthonis ad explorandum urbis situm, cum eodem Zaringio Berthonenses ad deditionem coëgit. Quis enim resistere auderet Leoni, quem comitabatur aquila? Leo ab origine Rex, in terris nihil sibi impervium putat. Aquila ad imperium nata, sola Solis radios non expavescit, solam expavescunt aves reliquæ omnes, uti volatu, ita indole superiorem. Qui in animo Leonis spiritus, sub aquilæ auspiciis aquilæ causam fovet, vinci vix potest. Hac comite montium præcipitia, ac inaccessa petrarum repagula transcenduntur; illo duce concidunt mænia, ac fortissima urbium concussâ propugnacula ipsâ suâ ruinâ eò gloriosiore viam aperiant, quò nullum, & nemini in ea aditum fore superbiùs jactarent. Vidit in Ottone utrumque Fridericus, & miratus est Leonem simul, & Aquilam, dum ex Italia ad Pylas, occluso transitu periclitaretur; si tamen periclitari potuit sub tali vexillifero. Repetam hîc narrationem P. Prunneri Soc. Jesu; nec enim meliorem vel ego un-

U

quam

quam faciam, vel etiam vix ullus : Penetrandæ fauces
 erant, quas in arctum hinc lapsus per confragosa Athe-
 sis, inde imminentes fluvio rupes cogunt; relinquitur
 angusta femita, quam si ex alto vel pauculi infestent, to-
 tes impunè exercitus obruent. Id jugum Albericus e-
 questri familia apud Veronenses ortus cum latronum
 globo occupaverat. Ij, aliquàm multis sine noxa trans-
 missis, in proximè subeuntes saxa provolvere cæperunt.
 Ad eos Cæsar Garzabanum, & Isaacium Veronæ magnò
 locò natos misit, qui civibus suis authores essent male-
 ficio temperandi. Ij ad colloquium admitti, lapidibus
 eminus salutabantur. Eadem injuria etiam in alios re-
 petita, additaque minæ, nisi qui suò illis equò cessisset,
 aut loricâ, transiturum illac neminem; Cæsari ipsi aurò
 aperiendam viam. Ille perditissimorum hominum execra-
 tus impudentiam, consilium à virtute, cui nihil invium
 est, petit, hortatúsque Wittelspachium, ne latronibus
 ludibrio esse sineret Cæsarem, quique ferrò Italiam sub-
 egerit, pro capite nuper coronato aurum pacisci. Dur-
 centos expertæ animositatis juvenes, quidvis pro gloria
 ausuros ei associat, rimarique ferentes, ad cacumen adi-

„tus jubet. Illi gladiis, hastisque armati iter ingrediuntur;
 „ad prærupta ubi ventum, quadrupedes reptare, extan-
 „tia prensare virgulta, fidò vestigiò nixi vacillantibus ma-
 „num tendere, vel adminiculari humeris; audacissimi
 „prætentare ignotos calles, & insolentiâ dubii itineris ti-
 „midos audaciâ exempli confirmare, quærere compen-
 „dia, inter faxorum hiatus hastas defigere, aut compone-
 „re in scalarum gradus, atque his demum conatibus in
 „cacumen eniti. Hic Otto, quod involutum gestaverat,
 „vexillum explicuit, eoque signò captum verticem ostendit,
 „simul totis castris clamor tollitur, & inter sonantes
 „lituos rectà adversus latruncolorum latibulum acies eri-
 „gitur. Id velut inane terriamentum primùm irrisui
 „fuit, donec à tergamento exaltabunda se cohors ostendit,
 „quam, nisi pinnata foret, eò evasuram ne suspicio quidem
 „fuerat. Illicò desperatum est, cum iis, qui naturam
 „vicissent, posse certamen suscipi; útque ferè mala mens
 „eadem etiam timida est, nihil fugâ potius visum; sed
 „id quoque consilium locus irritum reddidit, iniquior fu-
 „gientibus, quàm ascensuris. Passim ergo præcipientes
 „volvebantur, lacerisque inter cotes artibus multati par-

te membrorum, aut exanimis etiam contingebant solum. Reliquis ab Ottoniana cohorte caesis, duodecim ex quingentis (tot enim fuere) cum Alberico praedonum primipilo vivi in conspectum Caesaris adducti sunt. Acti in furcam omnes, praeter Gallum equitem, qui se in illud spoliarium fraude pellectum testatus, miserò ministeriò sociorum carnifex factus, vitam redemit. Sic aquila victrix infames vultures partim suffocavit in nido, partim ex eo deiecit, indignos, qui alia perirent, quàm infami nece. Aquila Græcis ideò dicitur Aquila, quòd semper augurium ejus veridicum esse soleat. Fuit in nullo magis, quàm in Ottone, in cujus scuto gentilitio sub Ludovico ipsa dein apparuit, expansis alis totam Romani Imperii Majestatem complexa. Verùm hæc Ottonis facta, quibus & petras, & penè naturam superavit, laudanda potiùs videntur, quàm imitanda, præcipuè acta à Principe, peragenda à milite plebejo; hujus enim salus nihil commune habet cum salute publica; cùm interea vita Principum totius Regni anima sit, quam nunquam incautè, aut temerè nimis discrimini objicias adeò propinquo, ut penè incolumitatem sperare vix possis. Pre-

tiosior

tiosior est vita Principum, & Regum, quàm ut eam simpliciter fortunæ confidamus, à quo caveant summopere Principes ii, qui æstu quodam vel ætatis, vel ambitionis abrepti quæsitam immaturè in periculis gloriam perdunt, sæpè & se ipsos. Dixi superiùs mirandum esse potiùs, quàm imitandum, quod, transcendendo alpes, Otto egit, vires suas experturus cum feris magis, quàm cum hominibus, &, si fas est dicere, plus venator, quàm miles. Verùm nec militiæ injuriam facio, dum assero eam plurimùm debere venationi, nec huic sine certis legibus faueo. Nulla virtus est, ubi nimiùm. Sunt autem plurima, quæ Principi, ad bellicam nato, venationem quàm maximè commendant.

Natura nunquam absque omni negotio est, in Principibus præcipuè otiosa nunquam, & nullibi. Principis animus, qui ad leges virtutum, curâ Musarum, in aula formatur, in venatione ultrò se exerit, nec horrere pericula, nec fugere ardua, quin potiùs amare labores solitus. Nascitur enim animus fortis, non arte paratur, aut industriâ; atque hæc interior animæ dos inditi cordibus Principum roboris cum ipsa anima nullibi magis, quàm in vena-

tionē se prodit, luculentiusque apparet. Mollitiem aulæ alternant rudiora venationum studia, imò & corrigunt, manētque (1)

Sub Jove frigido

Venator teneræ conjugis immemor.

Venatio bellorum, præliorumque Progymnasma est, & bellicarum rerum meditatio verissima. Qui ad aras Dianæ litare solent, non myrtho, non lauro coronati, sed quercuum ramis superbi (nempe ex ea arbore, in qua olim trophæa victoriæ appendebantur) summo accedunt diluculo, longioris somnii, & protractæ quietis incurii. Venantem non terrent frigora, non retinent æstus; in utrisque indefessus nec sentit laborem, nec recusat sudorem. Ipsum etiam in venatione sæpè animum acui oportet, obiciente se periculo impræviso, aut bestiam ferociore, quæ cædenda, aut cadendum est, usque adeo, ut quis haud facile reperiat, quidnam eorum à venatione absit, quæ bellum habet. Tenui victu, potu leviori diem totum consumit, qui feras sectatur, neglecto sæpius prandio, ne negligatur venandi occasio. Quod etiam à Regibus, & Principibus fieri amat, ut fami, sitique affueti præstare possint,

fi

(1) Horat. lib. 1. ode. 1. Fererius.

si quid tale in bello usus, casusque postulat. Sub Dianæ signis militârunt Imperatores, Reges, & Principes, quotquot dein Pallas numeravit Heroes; E castris Dianæ lecti sunt exercituum, & Gentium victores. Alexander Magnus prius venationibus subacto corpore & plura pericula expertus, tum demum Magnus auduit orbis dominator, ita ut dum lanceâ conficeret jubatum leonem, à Legato Lacone moneretur: instaret acrius, ac cum leone de Regno certaret. Viriatus Lusitanus, cum pastor esset, militarem disciplinam ex sola didicit venatione, à venatoribus Dux factus, nullâ aliâ generis, aut majorum commendatione clarus, universum Hispaniæ exercitum magnâ cum laude integrò decenniò contra Romanos duxit, passim victor, & è venatore tot copiarum Imperator. Unde satis, ut opinor, constat, ludos, & maximè venationem, (2) imitationes esse earum rerum, quæ seriò postea sunt subeundæ, nempe quæ jam olim Principibus viris præ aliis convenire judicabatur, ut rei militaris comes, (3) rerum bellicarum meditatio, & studium heroicum, ac Regium, usque adeo, ut venationem, quam omnes penè amant Reges & Principes, honore etiam particulari

(2) *Arist. polit. 7. c. 17.* (3) *Julius Peltax lib 5.*

distinguantur inter suos. Inter (4) officiales Palatii Constantinopolitani primas tenuit Proto-Cynegus. (5) Imperatore equum conscendente, nullus alius, sed ipse solus, si præsens aderat, stapedem tenuit. Si contingeret aliquod ex vestimentis Cæsaris sanguine aspergi in venatione, illius erat ex munere suo. Inter proceres, per quos palatium Carolomanni dispositum erat, nominantur venatores principales quatuor, ita ut ubique & prisco etiam tempore suus habitus sit venationi honos, sua dignitas. Neque enim etiam Viris doctis, & litteratis indebita fuere venationum studia, nec ingloria. Xenophon Atheniensis, Socratis Discipulus, ob eloquentiam suam Musa Attica dictus, venationem imprimis coluit, exercuitque. Nullis, nisi ignavis, exosa fuit Diana Palladis togatæ æquè ac sagatæ fida comes. Verùm habet & illa leges, & limites suos. Uti nec omnibus venari licitum, ita nec ubique, nec semper. Nec enim feræ, volucres, & cætera animalia, jure naturæ, sunt communia positivè, & affirmativè, quasi omnium propria, communis dominii causâ, sed negativè, quia nullius sunt, & jure naturæ nulli applicata; idcirco lex humana potest ea uni potius, quàm alteri

(4) *Codinus Chropalata de officiis Constant. c. 2., & c. 5.* (5)
Magnus venator, seu venatorum Præfectus.

alteri ex causa concedere. Quo patet, venationem jure naturali omnibus permissam, variis ex causis posse per Principem prohiberi. Multa (6) sunt jure naturali licita, prohibentur tamen per legem humanam, inspecta Reipublicæ utilitate, & juxta æquissimum communitatis regimen. Inter istas rationes præcipuè notantur, ne subditi sub specie venationis, quæ sine armis exerceri nequit, res novas moliri, & quietem turbare publicam anniantur; tum ne agriculturam, & alia vitæ genera in emolumentum reipublicæ summè necessaria deferant, & tandem ne omne ferarum genus per iteratas, & promiscuè omnibus permissas venationes funditùs extinguatur. Interim teneri Principem, venationes prohibentem, resarcire subditis damna à feris ipsis, vel à venatoribus facta, haud negaverim, uti vicissim constat, esse in arbitrio Principum, qualem transgressoribus decernere velint pœnam: multam pecuniariam, carcerem, relegationem. In arbitrio enim quæ sunt, extensionem, & restrictionem admittunt. Acerbiùs in eos agitur, quorum contumacia incorrigibilis, cum contemptu Principis conjuncta, pœnam auget, & aggravat; ubi tum ista potiùs adhærentia

Y

cri-

(6) *Franc. de Amaga, de venat, fer. n. 42.*

crimina puniuntur, quàm ipsa venatio contra legem exercita. In legem etiam venatoriam offendunt ii, qui tempora, & modum transeunt. Abusus venatorius est, imò servitus indigna, si quis ita eam amat, ut & Superis debita, & suo officio congrua omittat negotia, quò fit, (7) ut non usus venationis, sed libido in culpa sit.

Habent & ipsæ ferarum strages statuta tempora. Nec enim aprum eo mense transfiges venabulo, quo cervus in retia ruit, aut globo trajicitur. Adeo providè cuncta disposita sunt, ut alternis temporibus & venationum studia varientur, & per ipsam varietatem voluptati Principum æquè ac conservationi ferarum abundè prospectum sit, cum, neglectâ hac lege, intra breve tempus venandi facultas intercideret, facta ferarum strage indebito tempore, & prævalente pruritu venatoris immaturo. Servilis est venatio, quæ pro lucro, nobilis, & regia, quæ ob relaxationem animi exercetur. Illa vel avaros, vel indigos occupat, sæpè ad ignominiam proclivis, hæc Principes summè decet, utpote quos graviora fatigant negotia, & curæ premunt graviores. Diana, dum arcum tendit, chordam relaxat negotiis, sed non solvit, nempe repe-

tenda

(7) *S. August.*

tenda sunt suo tempore, intermissa temporis beneficio, uti nec continuanda sine intervallo, ita nec omittenda cum præjudicio. Haud abs re fuerit, opinor, hæc transgressio, licet præter spem longior, cum vix ullus Principum sit, qui castris præesse noluerit, qui non prius ventionibus corpus, & animum ad audendum, & tolerandum quodvis arduum exercuerit.

Redeo ad Ottonem à venatore ad militem, quem, susceptâ hac adeo periculosa expeditione nimia, si qua foret, audaciæ reum excusat, quin etiam commendat injuriæ atrocitas, & ultima communis boni necessitas; neutrum pati diutius poterat innata Bojci sanguinis virtus, cujus cognitione quotidiana monitus Fridericus Ottonem magna audentem, & majora ausurum præ aliis elegit liberatorem publicum, & injuriæ illius vindicem, qua Imperatori à latronibus liber transitus prohibebatur, Majestas Imperii jugulabatur in faucibus montium à perduellione, germanici exercitus robur allidebatur ad infames scopulos è paucis concretæ mortalium facis. Hac victoria eò magis insperatâ, quò desperatiores res erant, prohibuit Otto, ne aurò redimi debeat vita, salusque Imperatoris, uti postea

idem impedivit, ne, acceptò aurò, ejusdem Imperatoris, gloria periclitaretur. Explico scrupum. Hærebat in Tarpejo, aut Capitolino fastigio atra nubes, quæ fulmina minabatur è Vaticano in Germaniæ planitiem, sævitura præcipuè in supremam ipsius Imperatoris Majestatem. Sperari vix poterat, funestam adèò tempestatem sufflantè mitiori aura dissipandam, & molliores Adriano Pontifici in Cæsarem animos fore. Sereniorè induxit aërem fama adventantis in Italiam Ottonis Wittelspachii, & Reinaldi Cancellarii, qui irato in Romanis nubibus Jovi paratum fulmen subtraxit. Primum eorùm in Italia opus fuit Rivola, faucium Veronensium inexpugnabile Castellum; virtus enim in arduis primùm clientes suos experiri solita primò lætatur exemplò, ne, quid possent in minùs arduis, alii dein tristiùs experirentur. Id solâ nominis famâ expugnatum, reliquas urbes, quæ se ultrò dedere, & invitavit, & excusavit. Sæpè in magnis Viris minuit præsentia famam, in Ottone augebatur, quocunque pergeret, receptus, habitùsque ubique eâ dignatione, quam Cæsares exspectarent. Tanti est, partam semel gloriam pacis, bellique artibus nôsse conservare. Nec semper in-

vidia

vidia virtutis comes arrodit laurum Martiam. Post hâ-
 bitos Cremonæ celeberrimos conventus, oram legebat
 Otto Adriatici maris, littora Græci navigiis, qui mariti-
 mas civitates pactô auri pretiô nundinabantur. Auri fa-
 mes inter Italos (quod maximè mireris) fidem Græcis
 comparavit habendam aliàs à nemine, cùm nulla sit fides,
 quæ Græca. Certè Ravennatibus (7) aurô pulsa fides,
 aurô venalia jura publicam perfidi commercii notam affi-
 xit. Otto illius Regionis primores ab his infamibus nun-
 dinis reduces, dum in via offenderet magnô suorum nu-
 merô stipatos, exertô gladiô aggressus à proposito dejecit,
 minis tanti Herois adeò exterritos, ut nobilissimum ex
 comitatu Guilielmum Ottoni captivum cedere maluerint,
 quàm irritare acriùs ad sumendum supplicium, quod ex
 facti enormitate ipsa præfagiebat conscientia. Vilius (8)
 argentum est aurô, virtutibus aurum. Vibratus ab Ot-
 tone mucro ferreus & argentum, & aurum pretiô supera-
 vit; ut enim ferrum sævitiâ feriendo domat reliqua mē-
 talla, attenuat, & extendit, ita ad virtutem Ottonis eru-
 buit auri avaritia, &, quod rarum, pudere potuit, quam
 aliàs nec laudis incitamentô, nec vituperiô vitæ fordidiffi-

Z

mæ

(7) *Propert.* (8) *Horat. Ep. 1.*

simæ domabis, nisi, ut ajunt, ferrum natate doceas; omnia enim cætera vitia senescente homine senescunt, sola avaritia juvenescit. Latuère interea Græci Anconæ auctiores mali: ejecit & hinc pestem superveniens Otto, & ne contagio ulterius serperet, pestiferos aurâ pelagi sanandos clam abire passus, punire satius duxit, quàm favere negatis in fugam navigiis. Ita præsentiam Ottonis ferre non potuerunt & Græci, & Ravennates, futuri nulli Præfectorum tam pacatè obsequiosi.

Nova & magna fuit Ottoni laus ex obsidione Mediolanensi, quam cumfratribus suis Friderico, & Ottone minore egregiè, atque ita promovit, ut post exustum, Ottonis ductu, pontem, cives jam ultima timentes, deditione facta, fidem Cæsari promiserint metu majoris periculi, non animò à tacitis perfidiæ conatibus liberò, si qua foret post discessum Cæsaris occasio, uti eventus docuit. Adcò metus haud diuturni officii magister est. Verùm cum ex hac occasione Otto non omnem unus sibi vindicat laudem, satis est, eum habuisse maximam, animatis in omnem insultum militibus non verbò, sed exemplò, pari suò, ac fratrum suorum præconiò. Vetust est apud Gallos paræmia: Ge-

nero-

nerosum (9) equum nullâ fieri posse degenerem senectâ. De Ducibus Bojis constans est veritas, nullam dari Bojorum Leonum degenerem prolem. Hujus leonis rugitu exterriti Ferrarienses, unguis experiri noluerunt. Cùm enim Otto à Friderico in eam regionem missus domandis Ferrariensibus, Padum vado, omnibus mirantibus, transiisset (quî enim aqua resisteret, cui cessere montes?) patrimonium Mathildis circumpadanum, à Ferrariensibus occupatum, vindicaturus, hi per quadraginta obsides pace redempta, iram Ottonis pacavere, Otto convulsam Imperii dignitatem novô virtutis bellicæ exemplô stabilivit.

Immortalem Vindicis Majestatis Cæsareæ, & Liberatoris publici memoriam veneramur quotidie, ubi in Insignia Ducum nostrorum inspicimus. Redditâ Augustæ Genti pristina dignitate, licet multum mutilatâ, Fridericus in Comitibus Schyrensibus Carolinam tot sæculorum durationi debitam stirpem agnovit, & Ottoni Bojcum Ducatum non donavit, sed restituit, ante annos ducentos triginta tres à legitimis hæredibus, properantibus ad alias familias fatis, alienatum, tenuè fanè, nempe ex alieno datum, Cæsareæ munificentiae præmium, nullum penè, si

(9) *Bon cheval ne devient jamais rosse.*

jus Ottonis avitum spectas , aut Ottonem ipsum , cujus
 facta penè tot fuère miracula , fortunâ ubique fortunam
 adeò fideliter comitante , ut nuntquam effugeret , & , si
 maximè posset effugere , ut nunquam vellet. Constan-
 tiam hanc fortunæ aliàs insolitam Otto evicit animi ma-
 gnitudine , prudentiâ , & dexteritate in rebus agendis præ-
 stantissimus , quâ sive Legatus in Italiam , & Constantino-
 polim ad Imperatores Orientis res sibi commissas fideli-
 ter , & feliciter est executus , sive miles , & optimi Ducis
 & invicti militis partes summa cum laude implevit , pro-
 bè doctus æquè decernendi ratione opportunè uti , ac de-
 certandi fortitudine ; sine utraque (10) *temerè in acie
 versari , & cum hoste confligere , immane quid-
 dam est , et belluarum simile.* Diu magnum , in-
 quit Salustius (11) inter mortales certamen fuit , vi ne
 corporis , aut virtute animi res militaris magis procede-
 ret ; nam & priusquam incipias consulto , & ubi consu-
 lueris , maturè factò opus est. Ita utrumque per se indi-
 gens , alterum alterius auxilio indiget. Otto utrumque ,
 junctâ prudentiæ fortitudine , mira , & ex mutuo harum
 virtutum , eoque inviolabili nexu magnâ præstitit ex me-
 ritis

(10) *l. l. offic.* (11) *In Catilina.*

ritis potiùs, quàm ex ascitio cognomine Magnus. Antiquis Romanis Janus geminam prætulit faciem, ut quæ ante, quæque post tergum essent, intueretur. Talis debet esse vir prudens, ut benè consilium det, vel capet, præterita meminerit, præsentia consideret, futura conjectet, quo fiet, ut nec tarditas consilii officiat operi, nec hujus celeritas consilio, quæ duo in summis belli Ducibus quasi prima militiæ elementa sunt. Placuit præ aliis Augusto Cæsari Proverbium: *Festina lentè*: Hoc ut significaret Titus Vespasianus Magni Vespasiani filius in stemmatibus suis Delphinum anchorâ circumvolutum depinxit, quo se matura cuncta consilio facere significaret, ac consulta pari velocitate exequi. Delphinus celeritatis, anchora tarditatis symbolum. Sapiens ea unit feliciter, stultus separat inauspicatè. *Consilia (12) callida, et audacia prima facie læta, tractu dura, eventu tristia sunt, et omnia inconsulti impetûs cæpta, initiis valida, spatio languescunt.* Prudentissimè Senatus Romanus in bello Punico secundo Terentio Varro juveniliter exultanti ac nimum temerario Collegam

A a

dedit

(12) Tacitus l. 2. bis.

dedit Paulum Æmilium, ætate maturum, & consiliò, qui suâ prudentiâ fervorem alterius temperaret. Sic aliis sumpto à prudentia rerum agendarum principio celeritas victoriam, & gloriam dedit, aliis cunctatio. Julius Cæsar celeritate imperium occupavit, ut meritò usurparet: *Veni, vidi, vici.* Vicissim Fabius Maximus belli Dux difficillimis Reipublicæ labascentis temporibus creatus afflictiſſimæ Reipublicæ *cunctando restituit* rem. Primum Ottoni adscribi poterit alpes transgresso, alterum in arduis negotiis Legato. Hac prudentiâ antesignanâ ex vestigio Ottonis nascebantur lauri semper gloriosæ, futuræ tamen ampliores, nisi, antequam in coronam flecterentur, pulcherrima etiam folia Fridericus avulsisset, qui, demptâ à Ducatu Bojco Austria, & Meridionalis limitis Tyroleos Præfectis, quique Styros, & Carinthios vicariò rexere imperiò, dignitate Principibus exæquatis, cum omnia Ottoni negare non potuit, omnia dare timuit potius, quàm noluit, ne virtus tanti Principis tot incrementis aucta, tandem omnia, quæ gentis suæ erant, repeteret, avulsa fatis in Carolinam stirpem adeo pertinacibus, ut tanti Fundatoris progeniem extinguere cum non possent, illius

poten-

potentiam ubicunque locorum infringerent, etiam vix spe relicta pristinae dignitatis, nisi hæc augusta Propago, quod prudentum est, cessisset temporum injuriis, indebitum passa Comitum Schirensium titulum, usque dum virtus, omni invidia superior, primevæ gloriæ memor, jam in Ottone Carolum reflorescentem agnosceret, ejusque progeniem in pristinas prærogativas, non uno tamen saltu, sed per succedentes honorum gradus restitueret. Quo factum, ut posteris hæc gloria hæreditariè relicta eos animaret acriùs, parî exemplò, pari virtute monstrarent orbi, quâ potentiâ, qua sint ab origine nati.



1871
The following is a list of the names of the persons who have been
admitted to the membership of the Society since the last meeting.
The names are given in the order in which they were admitted.
The names of the persons who have been re-elected are given in
italics. The names of the persons who have been elected as
honorary members are given in small capitals. The names of the
persons who have been elected as corresponding members are given
in small capitals and in italics. The names of the persons who
have been elected as foreign members are given in small capitals
and in italics. The names of the persons who have been elected
as life members are given in small capitals and in italics.




1871 1871



LUDOVICUS IV.

DUX. BAV.



VITA
MORTU
ORUM
MEMORIA
VIVORUM.

zreiter:
Vind. Augustae
cia: Domus
bari: Boica.

Athenis

AD
LUDOVICUS
IV.
defensus Aulh. D.
Horwart.

1875

1875
1875
1875
1875

DISCURSUS III.

PARS PRIMA.

THE SIS.

Cætera Principi statim adsunt, unum in-
 satiabiliter parandum, prospera sui
 memoria, & fama.

Tacitus l. 4. Annal.



Regum est nasci in purpura, unde Por-
 phyrogeniti Regum in ipsis cunis thro-
 num, & cum prima luce debitam Na-
 talibus majestatem aspiciunt. Educa-
 ti in spem Regni, solatium patriæ, au-
 gusta perpetuandæ stirpis columnina adolefcunt inter primos
 gentis Proceres, quorum virtus, & prudentia teneris sen-
 sim animis illustria Proavorum exempla insinuat. Crescit

Bb

cum

cum ætate Aulicorum famulatus, nihilque deest ad pompam, quàm ubi jam omnia possident, cæpto Regni gubernaculo, tum enimvero continuis votis id unum expectunt, optantque, quod neque ab Augustis parentibus accipere, nec è scuto gentilitio educere, nec omni divitiarum affluxu, sed præclaris solummodo factis comparare possunt, nempe *famæ gloriâ fieri immortales*. In (1) gratia, & fama esse velle hominum, homini est insitum, sed maximè apud Illustres. Hoc naturæ thesauris reponimus, quod famæ commodis applicamus. Sapientissimus Rex Salomon coaceravit sibi argentum, & aurum, substantias Regum, & Provinciarum: fecit hortos, & pomaria: exstruxit piscinas, supergressus (2) omnes opibus, quæ ante se fuerant in Jerusalem, & in his omnibus vidit vanitatem. Dedit cor suum, ut sciret prudentiam, & sapientiam; usque ad eò tamen ægrè tulit, etiàm in multa sapientia inesse indignationem, & scientiæ additum esse laborem, ut quasi indignabundus omnia damnaret vanitatis vanitatum. Nihil in vita durabile; non opes, non imperium, non potentia, & nulla felicitas tempestatis, aut doloris est expers ulla, cum qua non existat etiàm aliquid,

(1) *Seneca*. (2) *Eccl. 2*.

quid, quod hominem mordeat. Rosa, licet fragrans, crebris horret spinis. Vultum Solis nubes interdum caligine quadam obvelant. Invidia comitatur eos, qui virtutem colunt, omnisque sancta prosperitas, & vita splendens in hominum oculis, admissam quandam infelicitatem secum trahit. Quod tandem Salomon ex divitiis plus tædii acceperit, quàm solatii, non miror; doctus à piissimò parente: divitiæ si affluant, iis cor neutiquam esse apponendum. Quod & ipse monuit, multos periisse aurò, & argentò, nihilque esse iniquius amore pecuniæ, quo ipsa anima venalis exponitur, Aurum est materia laborum, periculum possidentium, enervatio virtutum, malus dominus, proditor servus. Verùm, quòd etiam in sapientia, quam præ divitiis à Deo unicè expetiit, vanitatem arguat, hoc penè videtur esse non sapientis. Diogenes fanè ita syllogizat, ut doceret, sapienti nihil deesse: Deorum omnia sunt; Deorum amici sunt sapientes, & amicorum omnia sunt communia, Sapientùm igitur sunt omnia. Id ipsum fassus Salomon, cùm sapientia omnia pariter accepit bona. Adeò magno labore Salomoni sapientia non constitit à Deo data, non parta studiò.

B b 2

Ion-

*Psal. 62. Eccl. 5. Eccl. 10. S. Aug. de verb. Dom.
Laërt. l. 6.*

longo, aut curis assiduâs, qualiter Dii cæteris mortalibus laboribus omnia vendunt; animadvertit tamen, in hoc esse vanitatem, questus fatis amare, nihil sibi profuisse, quòd majorem sapientiæ dederit operam, si & suus, & stulti unus, idémque occasus sit: unde renuntiavit ultra laborare sub sole. De potentia unde conqueratur, aut ejus vanitatem reprehendat, æquè injustum videtur. Nul- lum ille hostem, omnes Reges amicos, vel etiam tributa- rios habuit. Rex parens continuis jactatus calamitatibus, à filio persecutionem, inter liberos parricidium, inter sub- ditos ab aliis perfidiam, ab aliis contumeliam, irrisum, ac contemptum ab uxore tulit vix non oppressus, ut arden- tissimè à Deo opem flagitârit: Eripe (3) me de inimicis meis, Deus meus, & ab insurgentibus in me, libera me. (4) Conculcaverunt me inimici mei tota die; quoniam multi bellantes contra me. Estque hæc penè omnium Regum conditio, ut fortuna utrasque vires suas in lon- gioris vitæ Regibus ostendere mortalibus præclarum du- cat, &, qui Duces nullam, nisi secundam, in summis conatibus semper experti dicebantur, juvenes ferè fatò functi sint. Ita Numini visum, ne res humanæ veram,

foli-

(3) *Psalms. 58. v. 1.* (4) *Psalms. 55. v. 3.*

solidámque felicitatem dare posse viderentur. Salomoni potentissimo pacata omnia , æquè prospera , quàm diuturna. Possedit seruos , & ancillas , multam familiam , armenta quoque , & magnos ovium greges , cantores , & cantatrices , ac omnes delicias filiorum hominum. Nihil eorum negatum oculis , quæ desideraverunt , nihil cordi , quin omni voluptate frueretur ; hæc omnia tamen quantumvis magna , nulli Regum vel cognita priùs , vel speranda deinceps spreuit , damnavit ut vana. Unum præ omnibus placuit Salomoni , unum interiturae vanitatis quasi expers , & semper durabile sibi visum commendavit: *Curam habe de bono nomine ; hoc enim magis permanebit tibi , quàm mille thesauri pretiosi , et magni. Bonæ vitæ numerus dierum ; bonum autem nomen permanebit in æternum.* Nihil magis vota , & animos mortalium occupat , quàm vita longæva. Quid aget spes immortalitatis ? Vivere diu lætum , nunquam mori divinum ; dissolvitur compago corporis , animus æterna petit , remanet ex utroque pars aliqua , meliores hominis inter homines reliquæ , fama

virtutis, & gloriæ : hanc nec in busto comburimus, nec Charonti pro nauulo deponimus. Virtutem cole, dum vivis; famam invenies in sepulchro. Nominis tui memoria Phoenix erit cinerum tuorum, vivésque diutiùs, & gloriòsius, collapsò in pulverem cadavere sparsâ per orbem famâ, quàm, hac itacente, inter tuos vixeris. Magna sæpe facta magnorum virorum vel supprimit livor, vel, si plus præstare non potest, minuit, quantum potest; vitæ hominum rarò superstes est invidia. Parentat Heroibus veritas, & vivorum æmulos ad invita mortuorum cogit præconia. Noscuntur merita, cùm ea optamus denuo, spreta priùs quasi communia ex consuetudine. Sed famam extendere factis, hoc virtutis opus. Nemo est adeò inops, abjectus adeò, qui opimam nominis sui hæreditatem posteritati relinquere nequeat, qui priùs amplos virtutum thesauros collegit, quos aliis in exemplum relinqueret. Antequam tamen opulentam hanc hæreditatem adeas, necesse erit, scire testatoris divitias, queis succedas, voluntatem, qua hæres sis. Utrumque paucis complectar. Ut sit fama durabilis, aut vitæ sanctitas, aut gestorum claritas, aut insignis scriptorum præstabit ele-
gan-

gantia. Ecce hæc portio, hæc hæreditas tua, quisquis per famam nominis tui eriscundæ immortalitatis particeps esse cupis.

In memoria æterna erit justus. Non omnium est, ingentes exercitus in campum educere, generoso conflictu dubitanti fortunæ victoriæ palmam avellere, impervia penetrare, & superare, vivo cataphracti equitatûs ponte impetuosi fluminis utramque ligare ripam, in summis montium jugis concreta rupium claustra expugnare, & audaciâ penè plusquam humanâ naturæ, mortalium ausus provocantis, castigare superbiam, aut sociatam artis conjurantis insolentiam domare, ac sic factis præclaris immarcescibilem gloriæ lauream à Marte acceptam inter trophæa famæ immortalis affigere. Non omnibus licet adire Corinthum. Omnibus liberum est, justum esse: & hinc probus nullus exclusus ab immortalitate nominis sui. (5) Gloria, & gratia probis pretium est, & longum (6) probitas perdurat in ævum. Maximè tamen hæc dicta velim de justo Principe. Justo (7) non est lex posita, ait Apostolus; quod pessimè interpretaris, si ex in probari putas, justum quemcunque, præcipuè Regem, ac Principem

C c 2

nul-

(5) *Plautus.* (6) *Ovid.* (7) *Roman. 13.*

nullis subjacere legibus, postquam, cum Davide pænitente, soli Deo delicta sua fateantur. Potestatibus sublimioribus subdita omnis, etiam Regum anima. Hæc tamen sponte sua præstat, quod legibus præscribitur, amore virtutis, nullo legis metu, coactione nulla, utpote quæ in Principes non cadit, uti vicissim cura omnis, ut ex elogio probitatis nomen suum fati gloriôsè inscribant, caveântque à calumnia famæ iniquioris. Garrula nemini minùs parcat, quàm Regibus, & Principibus. Magna fortuna nihil tectum, nihil occultum patitur; ignobilium facta plerumque in obscuro, eorùmque fama, & fortuna pares sunt: subditorum facta pauci sciunt, facta Regum, ac Principum, eorùmque dicta conspiciuntur in ipso dignitatum excelsò culmine, eò vel utilia, vel noxia magis, quò nunquam sine suorum maneant exempli boni, malive æmulatione. Unde non immeritò Seneca singulos monet: sic statuant, quidquid statuent, ut causam suam, famamque in arcto stare, & ancipiti sciant. Non tenebræ, non solitudo obstat, quò minùs in vulgus dimanet, quidquid egerit Princeps. Nam lux Principatùs omnia reddit conspicua, intentaque tot in se virorum ora fallere,

ut

ut maximè velit, non tamen potest : loquax enim fama vel abditissimos recessus explorat, ac patefacit. Gloriæ, & Majestati Regum, Principumque ut consuleret sapiens, cautum summopere voluit, ne famæ suæ maculam imprimerent; melius enim esse nomen bonum divitiis omnibus, argenti, & aurum gratiam bonam. Nempe, quod agimus, nostrum est, quod habemus, alienum. Ex sola virtute fama transit ad posteros, si bona, si mala, ex vitiis, in neutro mediocris, cum ad summa evehit, quem laudat, ad ima deprimit, quem vituperat. Quantum nonnunquam is erubesceret, qui nosceretur talis in publico, qualis erat in occulto? Insanus ad scelera stimulus est, confidere, ignorari turpitudinem. Nihil occultum sub Sole. Fama nec palatiis parcat, nec mapalibus, ibi tantum benignior, ubi ex defectu materiæ plus malevola esse non potest. Est

Monstrum horrendum, ingens, cui quot sunt corpore
plumæ,

Tot vigiles oculi supter (mirabile dictu)

Tot linguæ, totidem ora sonant, tot surrigit aures.

Nocte volat cæli medio, terræque per umbram

D d

Stri-

Stridens , nec dulci declinat lumina fomno.
 Luce sedet custos , aut summi culmine tecti,
 Turribus aut altis , & magnas territat urbes,
 Tam ficti , pravique tenax , quam nuntia veri.

Dolemus , quoties secretum animi ab amico propa-
 latum comperimus , inimico proditum indignamur , neu-
 trum ut fiat , maximè cavemus ; interim famæ vel ami-
 cæ , vel inimicæ incurii , parùm angimur , qua tuba per
 orbem resonet nomen nostrum , an dextrâ encomii , an
 sinistra vituperii. Jam olim communis sententia fuit ,
 contemptu famæ contemni virtutes , ita , ut Plutarchus
 audacter statuerit , *contemptionem boni nominis vi-
 tium esse cum imprudentia , & insania quadam
 conjunctum* , quod uti nulli Principum felicioribus no-
 stris temporibus adhæret , ita iis solummodo commune
 est , vitium merè plebejum , qui per saltus , aut erogata suf-
 fragia ad quæsturam quandam promoti , prioris tenuitatis
 immemores , famam omnem sus deque habent , dum-
 modo fixo supercilio , animo interim inquieto , nec sibi ,
 nec aliis satis probo , coacervatos quocunque titulo num-
 mos inspicere possint corpore , & animo immobiles ava-
 ritia

ritiæ statuæ. Principibus altior dignitas altiorem subdit spiritus probè gnaris, regnantis facultatem tunc fieri ditio- rem, cum acquirat thesauros famæ; neglectâ utilitate pecuniarum. Alii sunt, qui, ne Venerem minus colant, famam omnino negligunt, pessimè omnino nescii, hanc omnes vindicare injurias, & uti olim Vulcanus in retibus ferreis, Marte captivo, Veneris turpitudinem Diis prodidit, ita fama amat lascivorum commercia primò vicinis detegere, mox plenis buccis per alta, & infima divulgare. Nihil illa (8) vel obumbrantibus plurimis filere potest. Ubique cognoscitur, quisquis fama teste vel laudatur, vel vituperatur. Plurimum proin & Principis interest, & Reipublicæ, ut Princeps ex dilatato summæ probitatis encomio ubique celebretur, & ut Respublica tantæ virtutis moveatur exemplò. Vetus est adagium: qualis (9) Rex, talis grex. Sunt exempla tantò efficaciora, quantò personæ digniores. Ad exemplum Regis non aula tantum, sed totus componitur orbis. Similem rarò natura dedit, frequenter imitatio. Quantum bonum, si virtus ex uno tot habet asseclas? quantum malum, si & scelera suos habent æmulos? frequens imitatio transit in mores,

D d 2

Nul-

Cassiod. l. I. Ep. 3. (8) Ammon. Marcell. l. 16. (9) S. Thom. Aq. ex Hieronymo.

Nullam (10) mercedem virtus præter hanc laudis, gloriæque desiderat. Non ideo summi Reges, & Principes, magni Heroës res arduas susceperant, ut à coætaneis tantùm celebrarentur, sed, ut ea, quæ dicimus, qui vivimus tot sæculis posteriores, diceremus. Amore famæ summa pericula non devitârunt, sed procurârunt. Hanc gloriam imitentur Reges, & Principes, factis præclaris antecessorum æmuli, posteris exemplô prælucentes Duces. Honestus (11) est ambitus, quos sequimur tempore, velle præconiis antecire. Verùm laus, & gloria non nisi laborum, & periculorum est merces. Nullus est, qui in omnibus unus omnes imitabitur, nullus sit, qui nullum, optimus erit, qui plures.

Scio, nec Majestati Regum convenire, accipere à subditis, & audaciæ subditorum esse, dare Redibus dona. Audacior hodie Principem meum accedo, eique ex monumentis antiquitatis, quæ semper placent, etiam vetustate obesa, donum offero. Est illud annulus Catonis Censorii, sua pretiosior inscriptione, quàm metallô. *Esto amicus unius, et inimicus nullius.* In qualibet virtute unum ex Augustis Majoribus ad imitandum delige, negligi nullum. In singulis relucet

(10) Cic. Philip. 5. (11) Cass. 9. 7.

cet ea præclarissimorum factorum memoria, ut supervacaneum sit, exempla à fastis Romanorum mutuare.

Tot populos, tot periculis, tot victoriis domuit Carolus Magnus, Augustæ Gentis tuæ fundator, ut parùm illi fuerit, debellare rebelles, si non legibus etiam sacris formaret gentes idolorum cultu barbaras: atque ex hoc Religionis zelo æternum Magni cognomen illi hodiedum in memoria posterorum adhæret, meliore laude, quàm olim celebrabatur Lyncurgus, ob leges Lacedæmoniis datas. Idem ille est, quem sancta sedes vidit, & continuò memorat elogiò, in cultu divino assiduum, in templis ad aras Sanctorum piissimum. Hujus fama longè præstantior est illa, quàm Romani Numam Pompilium, quasi semi-Deum coluere. Ignovit hostibus Ludovicus Imperator, & cum ulcisci posset injuriam victor, indigna, quæ passus odia, beneficiis vindicare maluit, quàm redditâ in vicem contumeliâ: miraturque summam animi moderationem omnis posteritas, cujus gloriam annales istius temporis perpetuam effecere. Longè inferior est laus Julii Cæsaris, quem Roma miris extollit laudibus suetum parcere subjectis. Desudârunt in Octaviani præconio Romanæ Musæ, quòd

populo charus esset, eúmque volunt ex nominis sui gloria immortalem. Dejiciet ex Tarpejo monte Octaviani statuam, quisquis nóverit, quo amore tota Bavaria, summi, & infimí, in utraque sorte penè adoraverint Maximilianum Emmanuelem, sui populi delicias, obstupescen-
 tibus hostibus infractam fidem inter oppressorum calamitates bellicas, æmulantibus patriæ amorem nationibus exteris, quibus tam benignum Principem nosse datum. Nec video, cur adeò Antiquitas glorietur de Ulyssè Græco, viro, cui nulla obstabant pericula. Tacebit sanè verecunda magis, quàm superba, in hoc solùm veniam merita, si facta prudentis audaciæ, non vesanæ temeritatis perle-
 gat Magni Ottonis Wittelspachii, & vix credat. Hæc Hector Trojanus, ut bellator animosus omnium Poëtarum fatigavit ingenium? Non fictione antiquitatis inani, sed veritate præcone, Maximilianus I. omni in ævo Magnus audiet; nec hoc cognomine virtutibus suis pari, queis, in quamcunque Provinciam arma intulit, quósque demum vidit, vicit hostes. Pedibus saxa projicere, quibus levandis vix duorum sufficit virorum robur, equites cataphractos ex ephippio in arenam effundere solitus Christophorus Ba-
 variæ

variæ Dux coram Imperatore, miraculô virium, plus clâ-
ruit provocatæ Germanorum Nobilitatis vindex, quàm
olim à figmentis renascentis Hydræ, & latrantis ad fauces
tartari Cerberi famosus Hercules. Si spectas restauratum
Dachavium, resuscitatam Starinbergam, erectum Clin-
gium, Regias Principum arces, Wilhelmi IV. monumen-
ta, si vides Wilhelmi V. Basilicam sancto Michaëli sacram,
Religiosorum Collegia, Gymnasia litterarum; si miraris
Maximiliani I. palatium, sedémque plusquam Regiam;
si contemplaris vastitatem, & magnificentiam arcis Schleif-
heimensis, domum Imperatoriæ aptam pompæ, Nym-
phenburgi amænitatem, sumptuosa Maximiliani Emma-
nuelis ædificia, ac hoc ipsum Nymphenburgum nuperrimè à
Carolo Alberto novæ penè civitatis amplitudine au-
ctum; nihil supererit, unde Trajano ob extructa ædificia
celebrem adèò Romanis famam invideas. Fuit Albertus
Pius pater pupillorum, subditorum potiùs commodâ cu-
rans, quàm suâ, patriæ salutis studiosior, quàm augmen-
ti opulentia domesticæ. Quid est, cur in Titi Imperato-
ris famam, noménque inquiras? Marcum Aurelium, quot-
quot de eo scripsère, dixère optimum, quòd omnes do-

etrinâ, & sapientiâ superaverit. Vellem illos adesse Panegyristas pro Alberto sapiente, quos feliciora tempora dedere Aurelio, facundior, uti facundior de Alberto foret oratio. Videremus in singulis magna illa æternæ memoriæ monumenta, per quæ ad nos usque præclarissimi viri, illa Romanorum, Græcorumque miracula, nominis sui famam transmisere, ita, ut exterorum incitamentô non egeamus, sed domestica augustæ virtutis exempla abundè sufficiant, stimulando identidem unam infatigabiliter parandam prosperam sui nominis memoriam.

(12) Quis dubitet nomina tanta sequi?

Repetere tamen volui, unum in singulis sibi proponat Princeps, quem imitetur, ne, dum omnes æmulari cupit, assequatur nullum: hominis non est, ut omnes in omnibus unus virtutibus æquet, uti Principis non est, malis, si quæ sunt, exemplis instare. Inter cæta qualiscunque sit, factis præclaris magnus, cum vita laudem omnem deponet, nisi litteratorum elegantia defuncti cineres in urna scriptorum asservaverit, famâ in omnes plagas dimissâ, quæ ubique terrarum, stabilitâ æterni nominis memoriâ, triste fatum ulcisceretur.

Vixê-

(12) *Ovid. Trist. 2.*

(13) Vixere fortes ante Agamemnona

Multi : sed omnes illacrymabiles

Urgentur, ignotique longa

Nocte, carent quia vate sacro.

(14) Regum fama perit, pereunt ubi carmina vatum.

(15) Jacerent in tenebris omnia, nisi litterarum lumen accederet. Bis vivimus omnes, præcipuè Principes : semel, sæpè nec satis diu, ac tum morituri, victuri vivimus etiam jam mortui. Primam vitam longævam ut habeamus, jubet Deus parentes diligere : alteram si velimus, litteratos amemus oportet, quorum doctrina vitam à parentibus simpliciter acceptam virtutibus excolit. Monumenta factorum nunquam mori Principem patiuntur. Pudeat vivere, cui nulla rectè vivendi cura, hanc à litteratis accipimus, vitâ à parentibus datâ penè potiorem. Dubitas ? hanc epistolam lege.

Philippus Alexandri Pater Aristoteli salutem.

Scito, mihi filium esse : qua de re ingentem Diis habeo gratiam, non ideo, quia natus est,

F f

sed


(13) Horat. (14) Ovid. (15) Cic pro Arch. Pœt.

Sed, quia Aristotelis, à quo potest erudiri, natus est tempore. Spero fore, ut edoctus abs te dignus fiat regnò paternò. Siquidem nullus est, quem oporteat vel plura, vel meliora scire, quàm Principem. Vale. Hæc Philippus, Alexan-

drum filium sæpe dein monere solitus: *ne multa committas, quæ me fecisse nunc pœnitet.* Bella, quæ gessit Alexander, passim nota sunt, ignota tamen multis ea, quæ eum ab amore in litteratos celebrem faciunt. Magnus ille orbis domitor, quocumque pergeret, Iliadem Homeri (quam expeditionis suæ vocitabat viaticum) secum portabat, adeò sibi pretiosam, ut eam in scrinio gemmis elaborato includeret, quod in Regia Darii præda inventum condendis lapillis aptius amici putabant, quibus non eam, quæ Alexandro, litterati hominis æstimatio fuit. Xenophontis opus, Pædiam Cyri, bellorum, & victoriarum suarum comitem habuit, hanc, si à se dimitteret, vinci veritus. Magnus uterque & Alexander, & Scipio, omnem, quam habent, immortalem gloriam debent hausta e litteratis sapientiæ, quæ etiam Alphonso opulentissimo

Arragonum Regi tanto fuit in pretio, ut publicè fateretur, se ex immensis, quas possidebat, divitiis deventurum inopem, si sapientia venderetur. Quantum oraculum! quantum documentum Regibus! omnia bene cedunt Regno, cui dominatur sapiens. Ea sanè causa fuerit, ut potentissimi Reges præcipuos in comitatu suo habuerint viros prudentissimos, Alexander Aristotelem, Darius Plotinum, Augustus Pistum, Pompejus Plautum, Titus Plinium, Adrianus Secundum, Trajanus Plutarchum, Antonius Apollonium, Theodosius Claudium, Severus Fabatum. Extat de Plutarcho Epistola ad Trajanum scripta, quam ita absolvit: *Ecce disciplinam morum, et viam virtutis descripsi tibi: huic si obtemperas, Plutarchum habes vivendi auctorem, alioquin præsentem epistolam testem invoco, quòd in perniciem Imperii non pergis auctore Plutarcho.* Quod Cæsar Sigismundus edixit, inter Proceres suos delectum faciens: eos se amare magis, quos natura donis suis antestare aliis voluit; id Alexander severus præ aliis usitavit, litteratos, & maximè eos, qui historiam nôrant,

requirens, quid in talibus causis, quales in disceptatione versabantur, veteres Imperatores, vel exterarum gentium fecissent. Nec diuturna, nec felicia fuere regna Michaëlis Balbi, & Licinii. Unus calcavit litteras; alter libros vetuit, neuter dignus, ut memoretur posteritati, nisi ad ignominiam. Pessimus est Reipublicæ status, ubi hæc valent principia, & ubi ditescendi insatiabilis furor non solummodò scientias expellit, sed ipsam pene humanitatem. Unde illa inter Ottomannos seditionum frequentia. Cùm igitur Regibus, & Principibus ab origine sua nihil Majestatis, & pompæ desit, desint verò omnia, deficiente nominis sui famâ, prima, ac potissima illis cura sit, ut hanc acquirant probitate vitæ, & morum integritate, augeant imitatione præclarorum factorum, conservent litteratorum scriptis, & factorum elegantiam. In intimo conclavi, in consilio, in omni expeditione, semper, & ubique, ut se immortales reddant, dictum illud Sidonii in animo revolvant: *Mens, et gloria non queunt humari.*



DIS-

DISCURSUS III.
 PARS SECUNDA.
 LUDOVICUS
 OTTONIS MAGNI
 FILIUS.



N hoc nati Reges, & Principes, ut reliquis mortalibus in exemplum sint, non ita tamen, ut exin rarus apud ipsos fit exemplorum usus, queis conforment se. *Fidelissimum præci-*

piendi genus exemplis doceri. Sæpè ex paucis, quæ olim facta consideramus, magnarum momenta rerum pendent. Quantum ipsi Reges valent apud subditos bono exemplò, tantum etiam in ipsis operantur Majorum

fuorum exempla, pari gloriæ incitamento, pari stimulo, quo æternam nominis sui memoriam sibi comparent, & per quam vivant, etiam mortui.

Principibus bene audire alterum, & optimum patrimonium est. Ludovicus Dux Bojorum, Magni Ottonis filius, magnas patrii sanguinis virtutes egregiè æmulatus, dubium reliquit, an ex patre filius, an à filio pater gloriosior esset; adeo vetus verbum sæpè mendax est: *Heroum filii noxæ*. Ubique, quo ibat, magna, ubi morabatur diutius, majora, ubi sedem fixerat, maxima posteris reliquit virtutum monumenta, ita ut nullibi, & nunquam deesset gloriosa nominis sui memoria, ubi semel adfuit. Videbatur fama, præter solitum fida, Ludovici vestigia non legere tantùm, sed passim novis gloriæ monumentis notare, sive ea celebrare statueret, quæ pietatis erant, sive ea, quæ summæ prudentiæ, seu demum exempla illa, quæ bellis acta.

Ordiri fatiùs duco à pietate, Ludovico in sanctam sedem, fide erga Cæsarem, amore in patriam singulari, ducto ex singulis speciali honoris trophæo.

Manebat Ludovico altè impressus dolor ex infamia sceleris, quam nomini Wittelspachio inusserat Otho Wittel-

tel-

telspachius Ludovici patruelis, Philippi Cæsaris parricida, crimine nunquam satè expiando. Ludovicus probè gnarus, æternam fore nominis ignominiam, cùm illius memoriam è scriptorum animis eradere non posset, monumentum saltem Wittelspachii nominis oculis hominum subducere statuit, si qua fortè spes foret, tractu temporum, & ex substitutis sacratoribus auspiciis notam sceleris posse obliterari. Diruta gentis avita sedes, Wittelspachio è fundamentis everso, expiabatur templo, areæ superimposito, Deiparæ sacro, ac sic impietatem Ottonis in ima deprefam Ludovici pietas novo Virginei cultûs monumento correxerit. Quantæ molis erat dictum castrum Wittelspachium, ex eo colliges; urbem Aicham surrexisse è ruderibus, templo jam absoluto. Ex fragmentis Colossum metiaris. Arguebantur, nec vanè, sceleris socii Andecenses, vel suo crimine, vel ab Ottone Rege, Phillippi æmulo, in eandem conjurationem pellecti. Eadem fortuna fuit Andecensis Castri. A Ludovico pariter solo æquatum, adnittentibus Ottone Phaleiæ Comite, & Henrico Calatino, magnitudinis suæ tenues reliquias habuit oratorium, sanctæ crucis imagini cultui relictum, quæ priùs imminentis cladis pro-

digioso sudore vates fuit. Restauratum meliori fato posterorum pietate, ex natali Principum, tunc temporis tanti criminis reorum, solo hodie cælitum sedes, afflictæ patriæ aylum est, & solatium, felici transitu ab arce in Monasterium, Sanctorum reliquiis, & Monasticâ S. Benedicti disciplinâ nunquam satis commendandum. Olim Nycostratus subjectis Ephesino Dianæ templo facibus illustri esse voluit ex crimine gloriam captans. Everfis castris ubi Ludovicus templa substituit ex cultu Divino perpetuâ nominis famâ gloriosus audit. Memor ille fuerit moniti Poëtæ:

*Delicta Majorum immeritus lues,
Romane, donec templa refeceris,
Ædèsque labentes Deorum, &
Fæda nigro simulachra fumo.*

Magno incremento vidit avitæ sedis ex destructo Wittelspachio decrementum Ludovicus, auctâ, eo etiamnum vivo, Bojariâ Palatinatu, quem pro dote Otto filius cum sponsa, Palatinatûs hæredæ, Bojæ Domui vel intulit vel restituit, junctis cum maximo gentis emolumento Provinciis, ipse Sacri Romani Imperii Septemvir, & Elector.

SUCCESSORI in Imperio occisi Philippi Ottoni Ludovicus imprimis charus, in sponfalibus dicti Ottonis cum Beatrice Philippi Regis filia, Paranympus, illi etiam in expeditione Italica comes fuit, sed usque ad aram. Immutata fuit Ludovico in Cæsarem fides, quousque hic à Pontifice non deficeret; diris devotum deseruit, pio transfugio in castra sanctiora ab impiis. Junctis cum Episcopis, aliisque Principibus, studiis, Fridericum Siciliae Regem, Ottoni suffectum, Romam duxit supremo decore inaugurandum. Intimus cum esset Imperatoris Friderici consiliarius, qui eum in Procuratorem, & Tutorem filii sui Henrici per Imperium elegit, gratiâ ejus excidit; causâ nemini cognitâ, postquam per viginti annos omnia prudentissimè egit. Remotus à curia, ubi Kelhaimium cum filio secessit, ibi post cænam deambulans, sicarii manu percussus obiit. Hunc ab Imperatore subornatum asserit P. Brunnerus, (1) probâtque iis litteris Encyclicis, quas à summo Pontifice scriptas, atque illud speciatim in iisdem fuisse notatum ait, quòd Imperator ex Romanæ Ecclesiæ studio, quo præ aliis claruit Ludovicus, tanquam ex uno iniquissimi odii fonte, Ducem

H h

Bo-

(1) *In Excubiis Bojcis.*

Bojariæ, specialem Ecclesiæ Romanæ devotum, Christianâ Religione neglectâ, fecerit occidi. Fallentes falluntur, qui Ludovicum à Stychio Morione occisum dicunt. Percussor Ludovici ex gente Assassinorum erat: ferum illud, ac barbarum hominum genus ad omnia crimina natum inter Phœnices degebat. Intercedebat Imperatori fœdus, ac penè familiaritas cum eo, qui tunc temporis latronibus istis imperabat, unde cum aliis & hunc sicarium conduxisse arguitur, facto usque adeò infami, ut omnes sicarii, hodie assassini nominentur. Caveant summo per Reges, & Principes, ne in delectu domesticorum vel incurii fiat, vel nimiùm temerarii, præcipuè circa eos exterarum nationum, quos arctioris famulitii officiis destinant. Non frustra monuit Tacitus: Suspecta, (2) Majoribus nostris fuere ingenia fervorum, etiam cum in agris, aut domibus iisdem nascerentur, charitatè que dominorum statim exciperent; postquam verò nationes in familiis habemus, quibus diversi ritus, externa sacra, aut nulla sunt, colluviem istam non nisi metu coercueris, vel perniciosam habebis exitiò tuò. Interim manet immortale Ludovici nomen, indignò quidem fatò mortui, sed nun-

(2) *Lib. 4. Annal.*

nunquam sat dignis encomiis memorandi. Ludovici
 elogia , dicturus paulò post fusiùs , ex Heningio com-
 plector in compendio. Collegium Oettingæ veteris
 duodenùm Canonorum fundavit , à Conrado Epi-
 scopo Ratisbonensi Frontenhausen , Werd , Kunigs-
 werd , Teispach , Buros Vindelicorum , atque Norico-
 rum castella emit. Toparchias Bojorum plurimas suo
 juri , & possessionibus avitis adjecit , Xenodochium Ratis-
 bonense ad ripam Danubii in suburbio condidit , Strau-
 bingam ædificavit , Abudiacum excisum refecit , Palatium
 Rheni in Bavariam transferre voluit , electus in Palati-
 num Electorem à Friderico II. Imperatore post obitum
 Henrici filii Henrici Leonis ; verùm occupaturus Rheni
 oppida , capitur ab incolis , Boji verò , dato litro , ad quod
 Schirenses Monachi centum libras Bojarias pensitârunt ,
 eum liberârunt. Ita Henninges. Ego filium propositionis
 meæ repeto.

Mæsta Conjux Ludmilla , sævo violentæ mor-
 tis divortio à charissimo disjuncta marito , parentavit
 piïssimis manibus novo pietatis monumento , ex quo ut-
 riusque memoria , omni ævo celebris , aliis quoque pro-
 movendæ pietati foret in subsidium. Æmula ipsa funda-

ti à Ludovicò Oettingani Canoniorum Collegii, Landishutæ Parthenonem magnis impendiis statuit, cuius nominis omen, Felicis Vallis, continuæ castissimi cætus virtutes egregiè huc usque compleverunt, cultu, proin Divino tam Oettingæ, quàm Landishutæ mirùm aucto Ludovicus ubique in memoria æterna erit justus:

Dixi aliqua de Ludmilla, nec incongruum erit plurâ dicere, cùm & ipsa famam virtutibus suis fatigavit, formâ, integritate modestiæ, & solerti ingenio celebris. Fatibus functo Alberto Bogio Vidua per sexennium, trium filiorum mater Leopoldi, Alberti, & Bertholdi, non ad eò tamen ex prima fæcunditate felix, quantùm dein ex secunda, placuit Ludovico, is primò frequentius ad eam revifere, dein familiarius, ac demum confidentius, postremò haud amplius celare vota. Non respuit Ludmilla familiaritatem, inter Principes semper nobilem; verùm ut vitet omnes suspiciones, & quidquid de se fingi posset, magnâ prudentiâ amorem Ludovici vel omnino mutum, vel difertè facundum voluit. Matrimonii sanctitas statuebatur conditio petentis, & annuentis, & hæc quidem sancienda, iis, quos ipsa produceret, testibus. Tres optimi fan-

sanguinis Equites in lecticæ conopæo depicti adstabant. Hos monstrat Ludmilla testes futuri pacti, digito in picturam intento. Addicit prolixè Ludovicus matrimonium, pictos jocatus arbitros, nescius tamen, se cum fœmina Principe agere, cui, uti & omnibus tam natalium, quàm sexûs prærogativâ, indecorum est, cum procis jocari. Reducto sipario, successère illico picturæ vivi illi tres equites, palam professi, testes promissi à Ludovico matrimonii se fuisse, forèque in posterum. Miratus Ludovicus Ludmillæ ingenium, vincula amoris auspiciatissimo perfecit connubio, conjugis, & pio astu, & lata fœcunditate felix, pater Ottonis hæredis, cujus ortus magna dedit Bojariæ incrementa. Ludmillæ prudentiâ factum, ut fama, fœminis Principibus semper invidiosa, quod jam calumniari parabat, laudaret ubique, perpetuo honestatis encomio. Redeo ad acta Ludovici, queis in bello memoriam nominis sui æquè gloriosam effecit, qualem ex monumentis pietatis, ac prudentiæ.

Nonô post patris mortem annô vix baltheo militari cinctus Vormatiæ, Ludovicus vidit patriam intestino ardentem bellô, hostibus Comitibus Bogijs, & Ortenbur-

gicis. His auctoritate, & viribus Cæsaris partim domi-
tis, partim proscriptis successe Episcopi Salisburgensis,
& Ratisbonensis, qui protulere in patriam belli flammam,
quorum curæ, & officii erat restinguere ardentem. Omne
intestinum bellum utrique parti perniciosum. Hoc exo-
sus Ludovicus elegit sacratius, Asiaticæ expeditionis ex
voto comes primùm, dein ductor, non eo tamen succes-
su, qui ejus virtuti debebatur, & qui defuisset nunquam,
si Ludovico obtigisset cum hoste conflictus, non cum e-
lementis, quibus huc usque restitit nemo.

Diffidia, quæ fugit in patria, invenit in Asia, vix
eam ingressus, eò etiam periculosiora inter partes discer-
tantium, quò omnium intererat, cujus sententia præva-
leret ex successu: fit enim plerumque, ut consilia metia-
mur ab exitu. Pelagius Legatus Pontificius Cauri expug-
nationem persuadebat, medius monentem inter, & expro-
brantem, Brennus Rex occupationem Hierosolymarum.
Magnis utrinque argumentis certatum, de quorum ponde-
re hodie dùm vix certi aliquid statuas. Hic tutiora propo-
suit, ille utiliora, eaque, quæ magis ad incrementum
partæ jam gloriæ, quàm ad meticulosam securitatem ac-
cede-

cederent. Hoc illicto captus Ludovicus, primus in Legati partes transit, nihil nisi Martium spirans, memor natalium, & avitæ stirpis, cui eadem semper generosa fuit indoles, nunquam à sua virtute degenerare. Integris viribus adhuc ferox agebatur ardore, æstûque continuo, quo nomen suum posteritati facto insigni commendaret. A Legato Dux exercitui datus, præterito cunctatore Brenno, ducenta millia sub signis habuit; his, ad omne audendum promptus, usque ad Nili bivium castra promovit. (3)

Viri generosi est, honestis consiliis victoriam quærere, turpibus nec salutem quidem.

Primum egit Ludovicus satis feliciter, alterum extorsit summa, & communis necessitas. Spectante, & fremente hoste, alterum Nili brachium ponte junxit extemporalis. Quotidianis præliis cum hoste expertus tum ipse laceffens, tum laceffitus, victor penè quotidie, Ludovicus in uno præcipuè, stragem edidit, longè latèque productam. Sperabatur & transitus, & victoria ulterior, cum obicem posuere inimica Christianis elementa. Soldanus iniuriam acceptæ cladis ulturus, navibus Græcis ignes iniecit, quæis septingentæ quinquaginta periêre cum commeatu, iisque,

I i 2

qui

(3) *Plutarchus in Sertorio.*

qui custodiae erant. Conspiraverunt in perniciem cum igne torrentis fluctus Nili, non ut refringerent grassantem flammam, sed ut, superfluis aquis, totum haurirent exercitum. Incrementa Nili, quae Aegyptiis ad fertilitatem defectum pluviarum compensant, intercepta variis canalibus, & egestis aggeribus coercita, tum revulsis ab hoste obicibus, novum parabant Christianis diluvium, unde nulla salus, nisi in hostium arbitrio, aut accepta enatandi licentia, aut inevitabili pereundi necessitate; hanc praeter spem pactus est Soldanus, fixa conditione reddendae Damiatæ, ad cujus expugnationem, civibus penè omnibus in obsidione extinctis, Bertholdus Bogicus, Ludovici nostri Privignus, in Nilum effusus anno priore perierat. Damiatâ hostibus restituta, oppidanis Christianis multum quidem tergiversantibus, libera fuit Christianis facultas in reditum, licet tristissimum, statitque sua Soldano, ac major, quam Græcis, fides. Discedentes, com meatu adjuti, triginta è suis captivorum millia ex pacto recepere, hostium nemine dehinc remeantibus in itinere insultante. Atque hæc fuit expeditio Asiatica infelix licet, Ludovico tamen glorio-

riosa, cum proripiendæ victoriæ & ausis majoribus nec animus Ducis, nec voluntas militis obstitit, sed solum fatum, quò minùs sociaretur cæptis successus fortunatior. Idem fuit in Eccardo quondam de Saracenis in Palæstina victore sanguis, qui fuit Ludovico in Ægypto ab elementis victo, eadem est in utroque, fato licet dispari, avitæ magnanimitatis gloria; gentis enim, & familiæ non minùs, quàm arboris generositas ex fructuum probitate agnoscitur, & ex virtutis suæ merito diligitur. Quod quidem meritum, quo diutiùs in eadem stirpe per plures ætates transfunditur, eò certè pretiosior, atque generosior hæc haberi debet, & stemmatibus exornari splendidioribus. Id in Ludovico probè experta est tota Bojaria; aucta Palatinatu, aucta Septemviratu, quam dignitatem Eccardi peronati virtus meruit quidem, non obtinuit, usque adeò, ut, dum Ludovico minùs fida fuerit victoria, quàm Eccardo, in nullo tamen obfuerit, quin illius memoria ex præclaris factis æterna maneret in posteris. Defuit Ludovico à victo hoste triumphus, non defuit triumpho meritum. Equus generosus non à phaleris, sed ab animo, Leo Bojcus laudatur non à jubis, sed à sua in-

dole fortis, magnanimus, hunc in Ludovico vides æternâ nominis sui memoriâ gloriosum.

Supereſt explorare, quæ fama fuerit, ſitque hodie- dum ex reliâs ædificiorum monumentis. Nemo inficias ibit, magnam fuiſſe in Ludovico prudentiam, utpote qui, ut dictum, ſub Imperatore penè omnia regni curavit negotia, eumque magnum coluiſſe cum Viris doctis commercium, quorum conſilio tantis ſuffecit laboribus, tanta cum laude, quæ inceperat, perfecit; dolendum tamen, quòd, iniquiore tum ſæculo, Ludovico ſuus non fuerit Homerus, nec huic Bojorum Auguſto ſuus Virgilius, quorum ſtudiò, & operâ Ludovici facta præclara propinquiora ſciremus, & ampliora. Manet unicum poſteris ſolatium, mirari in conditis urbibus Ludovici potentiam, ac magnificentiam. Agreſtem, incultamque hominum in initio ſæculi vitam, à communione brutorum animalium, vel ferarum, prima urbium conſtitutio diſcrevit. In his nomen reipublicæ peperit communis utilitas. Ideo potentiffimi Reges, & Principes nullam majorem gloriam putaverunt, quàm aut fundare novas civitates, aut ab aliis conditas in nomen ſuum, ſub quadam amplitudine,

trans-

transferre. Vidimus superiùs ex destructi Castrì Wittelspachii ruderibus Aicham in urbis formam surrexisse. Nobilior fuit origo civitatis Landishutanae, urbium tum elegantissimæ. Situs loci præ aliis commodior prohibendæ latrociniorum licentiæ ei procuravit nomen Tutelæ Provinciæ, unde illi hodiedum tres galeæ pro insignibus. Sita Mospurcum inter, & Dingelfingam, longo Isaræ tractu, in circumpositis collibus vindemiam, lætissimam in planitie segetem legit, studiò Ludovici in pulcherrimum vicorum ordinem divisa. Ludovicus sanè nihil eorum omisit, quod olim Plato à curatoribus cujusvis civitatis exegit, cura illis sit viarum in urbe æquè, ac earum, quæ è regione ad civitatem tendunt, ut omnes secundùm leges fiant, formâ aliàs similiore urbis occupatæ, quàm divisæ; ut fontes justo modo, & purè progredientes civitatem ornent, simulque commodent. Specula primùm monti imposita, crevit in Regiam, urbs in Metropolin Bojariæ inferioris, meliore, & gloriosiore fundatore Bojorum leone, quam olim Romanorum lupâ, fraterno cruentâ sanguine. Eidem Ludovico Landavum, urbs pariter Isaræ adjacens, ortum suum debet, urbis formam Strau-

binga, quam suis impensis adeò illustrem præstitit, ut eam dignam præ aliis putârit, in qua filium Ottonem, exactâ adolescentiâ, equestribus insignibus exornaret, dilatis eò usque cum Agnete Palatina nuptiis, quò magis augetur : celebritas, affluente amplissimo regiæ magnificentiæ testium, spectatorùmque agmine. E Principibus fuere Henricus Rex Germaniæ, Leopoldus Austriæ, Bernardus Carinthiæ, Otto Meraniæ, Henricus Andecensis (tandem patriæ redditus) cum insigni omnes comitatu. Ex sacris Proceribus: Eberhardus Salisburgensis, Hermannus Wirceburgius, Ecbertus Bambergensis, Gebhardus Bataviensis, Sifridus Ratisbonensis, Siboto Augustanus, Henricus Aichstettensis, Rudigerus Chimensis, Carolus Secoviensis, Udalricus Lavantinus. Auxit hic celebritatem dilatâ pariter in hoc tempus festivitate, qua primùm mitram acciperet, nempe ut Otto, initiatus profanæ militiæ, haberet æmulum initiandum sacræ: quamvis ille reliquis animi dotibus, iis scilicet clarissimis instructus, comparari aliis infra se duceret Princeps vultu, staturâ, toto corpore ad dignitatem æquè, ac ad Palæstræ labores, agilitatémque aptato, dignus ostentari mundo, dignus

fan-

sanguine , quò prodiit , quem propagavit. Memorant annales Boji Ludovicum , captâ munitione Halensis urbis , vicinum montem operibus cinxisse , cui molitioni intercessit Antistes Salisburgensis , vel potius funesta Ludovici mors tanto Principi manu infami , ut dictum , sicariâ illata , quem sola invidiâ , necdum declivis ætas suo funeri , & mortalitati admovit , nunquam tamen , nisi æternâ nominis sui gloriâ in præclarissimorum Principum factis memorandum , utpote qui natus posteris in exemplum , ipse Majorum suorum exempla ad parandam gloriam prius semper probè consuluit. Et tu fac similiter , quisquis & vivus , & mortuus de regni tui regimine laudari , quantum debes , tantum desideras. Audi oraculum. Zeno Philosophus sapiens , dum , qua ratione honestè , & laudabiliter viveret , ab oraculo erudiri voluit , mortuos consulere jussus est , quod est , veterum sapientum libros legere , veterum facta præclara imitari , quorum virtutibus concolor fieri posset. Nulla efficacior est concio , quàm quæ per exempla ob oculos ponitur , quibus animus legentis ita feritur , & expugnatur , ut , vel lætitiæ amore , vel horroris metu inde percepto , ad desiderium virtutis , vi-

tiique fugam, & nauseam exstimuletur. Abjectâ Majorum suorum æmulatione, & neglectô virtutum exemplô, qui persuasione vanâ se suo metitur pede, & modulo, modicè sapit, vicissim Princeps imitando, magnorum virorum exempla, ex omnibus virtutibus summum decus decerpit, & alienis fruitur eloquiis, suâmq; facit, quam in aliis agnovit, prudentiæ famam. Quod Ludovicus noster adeò sibi charum, sanctûmq; habuit, ut, si de eo omnium temporum annales vel invitè fileant, & saxa loquantur.



DIS-





DISCURSUS IV.

PARS PRIMA.

CRITICO-POLITICA.

Rejicitur principium Pseudo-Policum: si
jus violandum, Regni causâ violan-
dum est.



Ura Regum plerumque in armis sunt.
Sæpè ex fa derato hostis, ex protectore
usurpator; qui potior viribus, potior
jure, aliena commoda suas injurias,
& quidquid proficuum, justum putat.

Viso Medusæ capite homines in saxa obriguisse, fabula,
ambitionis vitiô hominem hominem exuere, ferinam
induere rabiem, veritas est. Insurgit in pupillum tutor,
frater in fratrem, in patrem filius, regnare ut possit.

Nempe cupido (1) dominandi, cunctis affectibus fragrantior est, & licet arrogantes, qui opera sua non dierum, quibus victuri sunt, paucitate, sed cogitationum, quas de Imperio concipiunt, amplitudine metiuntur, & vita laboriosa maneat, & mors periculosa, imperium cupientibus tamen nihil medium inter summa, & præcipitia, dummodo ad thronum viam sternant. Ad eum affectus dominandi, ubi imperium cepit in homine, eum dissimillimum facit; cum non, unde venerit, respiciat, sed quò tendat. (2) Inde regendi sævus amor, ruptæque vices, jurisque secundi Ambitus impatiens, & summò dulcius unum stare locò.

Occidat, dummodo imperet, ajebat Mater Neronis. Ambitio naturam exuebat: quid mirum, si etiam pudorem? Cupidine Regni, quæ ipsi & fratre, & filiâ potior erat, nihil abnuebat, dum filius dominationis jus adipisceretur; utrumque Nero matri abstulit, & vitam, & pudorem. Idem fratrem Britannicum, ut Tiberius filium Germanicum, una dominandi libidine, non una morte sustulit. Magnum proin illicium animorum sit, oportet, corona regia, ut illius causâ Pseudo-politici jus etiam vio-

vio.

(1) *Tacitus.* (2) *Stat. l. 1. Thebaid.*

violandum arbitrentur, pessimè consulti; cùm nec causa ulla, nullus titulus inveniri possit, quo læsi juris (quo solo discriminamur à bestiis, conversamur cum hominibus) diluatur crimen; nec corona, qualiscunque sit pretii, ut tam carò ematur. De hac Poëta Tragicus, quasi cunctos monendo, sic exclamat:

O fallax bonum!

Quantum malum fronte, quàm blanda tegis!

Consilium hoc secutus ille apud Valerium Maximum, coronam ultro sibi oblatam humi deposuit, hïs verbis usus: tollat, qui te non noverit.

Verum equidem est, coronam Regiam ex auro factam pretiosissimis radiare gemmis, & unionibus; falsa sed luce micant, quæ eam illustrant; nullus est unio, qui non populorum sudor, rubinus nullus, qui non sanguis, nullus adamas, qui non animi quodammodo terebra. Unde Marcus Antonius dicere solebat, regnum grandissimam esse molestiam; & Antigonus Rex in monitis ad filium suum, regnum appellabat nobilem servitutem. Livius consulares fasces, curulèmq; sellam nihil aliud putabat, quàm pompam funebrem, hisque claris insigni-

bûs , velut infulis velatos ad mortem destinari. Illius fanè, qui nascitur, ut aliis imperet, animum, tria verme acerbo suspiria lancinant, eaque continua, dum vixerit : Cura conservandi, cupido acquirendi, timor amittendi. Et quis tanti emat pænitere ? Conveniunt ærumnæ regnantium in communi omnibus regnandi cura, ac inquietâ nimis diu, noctûque solitudine ; nempe quorum labores populi quies sunt ; disconveniunt tamen in sorte, & gradu regnandi.

Non omnis, qui regnat, à Natalibus suis coronam accipit. Rotunda quantum sit, non omni apta est capiti ; in quatuor partita partes, è quarum una sibi quisque coronam format, qui imperare ambit. Alius per victorias subactô Regnô, aut Provinciâ ; alius maritus Reginae Regni hæredis ; ille à fortuna, hic à Venere Rex coronatur. Tertius favore Magnatum, & populi per electionem ; quartus demum jure Natalium per successionem folium conscendit. De primo hîc primùm mihi loquendum puto, olim exemplô satis usitatô ; nostris temporibus, ex Religionis lege rariori, semper periculosô, rarè diuturnô.

Mag-

Magnum, audax, & gloriosum est, regnum sibi parare victoriis, ex arena prælii occupare thronum, mutare gladium sceptrô, loricam purpurâ, galeam coronâ, & quos quis vicit ut hostis, eos regere imperiô ut subditos, nunc amor, olim qui terror, gentis. Fortuna victorem, victoria dignum facit, qui imperet. In victore non Genealogia stemmatis, non Edictum publicum, quod Manifestum vocant, non Contractus matrimonii, non Natalium series, sola virtus, & martius vigor respicitur. Rex, cæso hoste, thronô vacuô, habetur, dummodo belli titulus, quocunque modo justus, appareat, qui nunquam deest ingeniosæ dominandi libidini. Armis potentiam suam debuit Roma, Orbis Domina. Monarchiæ Assyriorum, Medorum, & Persarum, Republicæ Græcorum, Atheniensium, Lacedæmoniorum, Spartanorum, & Thebanorum non alium, nisi Martem potentiæ suæ nôrunt fundatorem. Hodiedum, qui armis, & viribus potentior, augustior habetur Rex, usque adeò, ut, quantum vires constituunt primum jus Monarchicum, tantum victori ex victoria jus regnandi competere videatur. Verùm, si eadem repetimus, si eadem, quæ hîc ex

aliorum mente potius, quàm nostrò judiciò dicimus, accuratiùs examinamus, eadem non erunt, qualia appa-
ruère. Aguntur, quicunque nova imperia cogitant, im-
modico cupiditatis impulsu. In omni regnorum occu-
patione prætexuntur religionis, vel libertatis speciosa vo-
cabula; cùm interea effrenis dominandi ambitio veram
dat belli causam, & nihil minùs cogitat, quàm quod
alios cogitare cupit.

Roma equidem una civitas, ut Author Romanus
dicit; in humani generis perniciem nata, orbem subju-
gavit innoxium, non tamen armorum felicitati, aut mi-
litum in hostes devictos crudelitati amplitudinem potentia
sua debuit. Audiamus, quid Romanus Philosophus de
ipsa Roma ad concives suos dicat: Nolite aestimare, Ma-
jores nostros armis Rempublicam ex parva magnam fe-
cisse; alia fuere, quæ illos magnos fecere, quæ nobis nul-
la sunt. Domi industria, foris justum imperium, animus
in consulendo liber, neque delicto, neque libidini obno-
xius. Præ his nos habemus luxuriam, & avaritiam, pub-
licè egestatem, privatim opulentiam. Laudamus divi-
tias, sequimur inertiam. Inter bonos, & malos discrimen

mea nullum est. Omnia virtutis præmia ambitio possidet. Ista ille, qui solam regni gloriam virtuti tribuit, armorum potentiam, in qua rarò salus, ambitioni vicina, remotâque regna invadendi, & occupandi, fas sit, nefasque. Res plena periculi est, militum suffragiis creari Regem; aut Imperatorem; miles æquè facilis in vota pro Duce suo, ut elevant, quàm ut deprimat. Sæpè, quam victori imposuit coronam, eam detrahit regenti. Proceres æmuli ægrè obediunt, ægerrimè ferunt Regem, quem novèrè æqualem; quamdiu quisque idem præstare se credit, quisque idem tentabit. Unde bella, quæ victor in aliis finiisse putabit, excitabit nova, & quod pessimum, inter suos, & cum suis. Nullum diuturnum, quod violentum. Vix sæculum, unius vitæ tempus sanè nullum sufficiet firmandæ tranquillitati in novo regno, novo sub Rege, & mors erit citior, quàm fructus victoriæ. Adierunt initio studia populi, & Procerum, novarum maxime cupiditatum, & spe fortunæ melioris. His succedet contemptus, huic odium, utrique exitus funestus. Militum favore fuèrè Imperatores Galba, Otto, Vitellius, Maximus, Balbinus, Quintillus, Florianus, Silvanus,

·singuli non ultra duodecimum mensem Imperatores. Vidit antiqua Roma ultra quinquaginta Imperatores, Romano sanguine natos, Romanæ inconstantia, ferri, & veneni victimas. Videbatur fortuna eos omnes in summo imperio statuisse, ut ostenderet, quid summa vitia summo in imperio possent. Et quòd malè regenti potentia ipsa tristem semper parat catastrophem. His ritè perpensis haud video, coronam per victorias partam tanti esse, ut illius ambitione jus violandum foret.

Favorabilior videtur illa, quam quis per nuptias accipit, ductâ in consortem thori Regina, hærede, vel filiâ, vel viduâ, secundum illud.

Bella gerant alii, tu felix Austria nube:

Nam, quæ Mars aliis, dat tibi regna Venus.

Verùm non omnibus eadem conditio est, nec eadem fors eorum, qui cum facibus Hymenæis Regnorum fasces obtinent. Alia est illius, qui cum sponsa Regina, patrii Regni hærede pro dote novam regnorum possessionem adipiscitur, ipse jam prius Rex potentia non novâ, sed auctâ. Alia illius, qui in nuptiali Reginae thoro dignitatem Regiam accipit, perdit in throno regio, potestate re-

gia manente penès Reginam, titulô penès Regem. Ex prima nuptiarum forte ingens accessit augmentum Augustæ Genti Austriæ; secundæ plura exempla vidimus in Anglia, & Suecia; atque de tali corona, Regi, ut marito Reginae, mutuâtâ potiùs, quàm datâ ex integro, mihi hîc fermo est in finem meum, eam certè tanti solatii non esse, ut quis in tale solium ascendere ambiat per jus calcatum. Non abnuerim, fieri id plerumque delectu singulari, & ex iis meritis, quæ Principem Reginae in consortem commendare possunt. Exemplo sit Theodelinda Garibaldi Bojorum Ducis filia, Authari Longobardorum Regi matrimonio elocata. Hæc, Authare conjuge è vivis sublato, à Regni Proceribus omne Regis eligendi suffragium accepit, ea lege, ut, quemcunque illa sibi maritum optaret, idem regnô simul; & ejus connubiô potiretur. Non temerè egit Theodelinda; sed requisitô virorum prudentum judiciô, non amoris, aut formæ illiciô (quod in fæminis rarum) Agilulphum Turinatium Ducem elegit, virum fortem, & dignum Imperiô. Mirum, quantum potuit apud novum maritum Regina, Rege Authare contra vota, & preces Theodelindæ plus æquo obstinato, illius du-

Et Rex Agilulphus cum tota Longobardorum Natione, repudiatis Arii erroribus, sinceram fidei Catholicæ puritatem amplexus est, exemplò, quod penè miraculum est, quo tres potentissimæ totius Europæ Nationes, priùs nomini Christiano infensissimæ, unò, eodémque sæculò per totidem fæminas ad veram Ecclesiam sunt adductæ, Franci in Gallia per Clotildem Burgundam, Gothi in Hispaniâ per Ingundem, Longobardi in Italia per Theodelindam Bojam ad veram fidem conversi. . . . Atque hoc per transennam in novam laudem veteris pietatis Gentis Bojæ, illud verò, quod sequitur, ad institutum meum specialiter notare volui. Sexrus abierat mensis, ex quo Agilulphus in regium admissus thalamum Reginae maritus, necdum Rex coronabatur. Factum id denique Mediolani in publico Procèrum cætu. Agilulphus regni Insignibus donatus coronam accepit auream, ferreò annulo, Theodelindæ jussu, interiùs circumductam. . . . Hanc ex eo tempore in usu fuisse memorant, quoties peracta fuit Italiæ Regum inauguratio, nomine coronæ ferreæ referentò, Agilulpho, & aliis ad regna per nuptias elatis in continuam memoriam, ex inæquali metallorum mate-

ria inæqualem subesse maritum Regium inter, & Regi-
nam conjugem potentiam, atque autoritatem. Quæ
tranquillitas regno Longobardico ex hoc connubio, licet
sua ex parte dispari obvenit, aliis regnis sæpè ignota fuit
eventu infelici, vel eorum, vel alienò fatò. Duæ Regi-
næ Neapolis, Calabriæ, & Apuliæ, Johannæ dictæ, af-
sumptis in thorum exteris, sicut hæreditarii regni Reges no-
minentur ex connubio, ipsæ regnarent jure suo, infelicitè
regnârunt; obierunt infeliciùs. Adeò difficile est fæminis,
oblivisci, se fæminas esse; cum aliorum consilia, du-
ctumque sequi deberent, præsertim ubi rēgnare, & omni-
bus præesse, subesse nulli gustârunt, condimenti hujus
imperiosi tenacissimæ. Isabella Regina Ferdinando Regi
nupta, inter amplexus, & amores conjugales, ut com-
placeret marito Regi, nunquam eò usque assensum præ-
buit, licet omnibûs tantæ Principi debitâs virtutibûs præ-
dita, ut non in edictis publicis & illâ, & maritus Reges
appellarentur.

Philippus II. Rex Hispaniarum in secundis nuptiis
connubium ambiens Mariæ Reginae Angliæ Hæredis, eas
conditiones passus est, queis, dum illa vixit, in Anglia po-

tuit nihil, Rex quâ maritus titulô adeò imbecilli, ut modò Reginae voluntati, modò Parlamenti, ut vocant, suffragiis, dixerim potius imperio, si non obedire, certè se, mentemque suam accommodare debuerit, quod infrâ docebimus. Mirabitur, qui Annales illius temporis inquireret, Mariae ingenuam simplicitatem adeò prævaluisse Hispanicae Philippi politicae, ut illa omnia, hic nihil sine illius consensu statuere potuerit. Nempe sic melius sibi consultum putant, quibus Regni cura est sub regimine Reginae externis nuptiis ligatae, ut eò magis libera appareat dominatu mariti, quò plus est subdita iudicio Procerum, seu Magnatum regni, quæ dependentia Regibus in Anglia communis est, si coronam, qualicumque titulo salvam velint, imò & vitam.

Periculosum est, fateor, à fortuna regnum accipere, æquè periculôsum, à femina; illud tamen gloriosius, Utraque inconstans, quâ illa facilitate sceptrum dedit, eâ hæc datum repetit, vel omnino tenaciùs usurpat. Inter pacta dotalia Philippum Principem Hispaniarum inter, & Mariam hæredem Regni Anglici, communis erat in aliquibus regnandi authoritas, Philippo absoluta in nullis, Re-

ginæ in plurimis. Excipiebatur conditione singulari plena, ac libera beneficiorum, gratiarum, ac functionum distributio, soli Reginae reservata; quod tamen unum est vinculum, quo Reges Magnatum respectum, Procerum vota ambitione, subditorum animos spe sibi devinctos continent. Sine his Rex quis, aut qualis? sine his Ministrum Regis ages in concavo Lunæ, & quomodo Regem? his polis versatur orbis politici cardo. Si tristioribus temporibus motus interrumpitur, affluet felicioribus, cave à solstitio hyemali, lucebit parùm, calefaciet nihil. Hæc de Ministris primo favore dejectis; hæc de Regibus vel avaris, vel minùs potentibus. Certè, qui gratias, & beneficia largiri nequit, nec amabitur, nec timebitur, inter suos vilipendio, inter externos contemptui propior, quàm venerationi, quæ sola comes honoris. Talis Rex, Reginae maritus tantùm, Reginae primus crit subditus, ex illius favoribus eos accipiens, quibus aliis se Regem præstare possit. Primum illius munus, complacere, obedire alterum, res viro Principi gravis, despecta Proceribus. Irrepet sensim indifferentia, post hanc aversio, dein odium, postremò seditio. Hæc rarò abest, ubi ij non desunt, qui-

bus eadem nuptiarum spes, & ex indigenis titulus plausibilior. Id expertus Philippus necdum Angliam ingressus. Solâ nuptiarum famâ ex Anglis præcipuos rebelles habuit Petrum Careuum, & Thomam Wiatum sub auspiciis Comitis Suffolcij, & sub assueto seditionis nomine Religionis, & libertatis, armis, ut agebant, non contra Reginam, sed contra externi Principis dominatum pro patriæ libertate sumptis. Verùm etiam, si hos rebellionis titulos seponimus, alia erunt, quæ novos concitabunt motus. Reginâ talis Regis conjuge sine liberis mortuâ, eadem spe, eadem ambitione regni inter gentis suæ Proceres, Rex vel ejicietur regnò, vel abscedet ultrò. Illud erit, si vi vel suâ, vel fæderatorum, acceptam dignitatem pertinaciùs servare cupiat; hoc, ne successor denuo, & graviùs fiat subditus, quàm fuit uxori. In pactis nuptialibus Angli Philippo hanc etiam legem statuere: Reginâ sine liberis decedente Princeps nullum habeat in regno jus; sed liberum regnum ei, cui competet, relinquere teneatur; quo factum, ut Philippus, Reginâ Angliæ mortuâ, patria Hispaniarum, & Indiarum regna expectare, quàm in Angliam redire maluerit, suorum jure Natalium gloriosior, & po-

ten-

tentior, quàm externis sponfalibus, acceptò nullò ex Anglico connubio emolumentò, quod pro unico exemplo memoratur restituti, aut amissi feudi, cui Augusta Gens Austria per nuptias incubuit. Bipartitum proin regnum omne inter maritum, & conjugem rarò felix, tranquilum vix unquam est. Felix vicissim urbs, aut regnum, quod iussa unius Principis audit. Fæminæ, quibus omnia mollia, levia omnia, amorem conciliant, non reverentiam, ipsæ timidæ magis, quàm timendæ; unde non sine causa sacræ litteræ comminantur inter pessima: *Fæminarum imperiis subjectum iri.*

Fuère aliqui, quibus cum sponsa omnis regnandi potestas ultroneè concessa obvenit, sorte tamen vix meliori, quia parùm diuturnâ. Ex hac enim externi Principis auctoritate suprema inter Proceres, & plebem commune murmur, Reginam illustre esse mancipium. Rarò sincerus amor, semper gliscens contemptus, vel odium. Videbatur Maximilianus I. Friderici IV. Imperatoris Filius, Mariâ Burgundiæ, & Belgii hærede, Caroli Audacis filiâ in conjugem acceptâ, à Belgis æquè amari, ac à Burgundis, supremus, dum illa viveret, rerum arbiter, Princeps

eximiis animi dotibus, formâ egregiâ, & cui non minus auctoritatis inerat, quàm gratiæ, multum ingenii, multum artis; vel fortunæ fuit ad promovendam omnium voluntatem non in suis tantùm, sed, quod difficillimum, alienis etiam in Provinciis; ille tamen, Mariâ extinctâ, nec invidiâ, nec odiô caruit. Pro filio suo Philippo Belgis jus dicebat tutorio nomine, quod hi adeò ægre ferebant, ut Brugas ingressus, jam Rex Romanorum, à civibus in custodia habitus, multisque affectus sit ab insolenti plebe injuriis, ac ludibriis, hospitio mutatô semel, iterumque per civium violentam licentiam, usquedum Wolfgangus, & Christophorus Bojorum Duces, Alberti sapientis Fratres, Gandavenfes Brugensibus sociatos præliô vicerint, ac Maximilianum ad Fridericum Imperatorem ex captivitate indignissima liberum, dein Monachium ad sororem Cunegundem, Alberti conjugem, deduxerint. Quô exemplô abundè patet, exterum Imperium rarò esse tranquilum: præcipuè apud nationes, quibus nihil sacrum, nihil charum, ubi nihil lucri sperare se posse autumant, aut nihil timere; ita fanè, ut semper ambiguum, incertumque sit emolumentum illud, quod à corona per nuptias partâ

Prin-

Princeps sibi persuadere velit. Accedunt & alia, quæ tale regnum continuo fluctu, motuque adverso agitant: quibus ut obveniat Princeps, nunquam tranquillus, modò periculosa, modò violenta meditabitur consilia: factiones fovebit inter proceres, qui in partes suas transfrent, novis tum beneficiis, ac gratiis parati, tum empti aurò. In omnem casum exterorum Principum sollicitabit fœdera, & ne vires desint, thesauros reponet sibi in subsidium, singula communi periculò, quia communi subditorum odiò; cùm hæc sint prima seditionum illicia, & tituli. Noxium omne commodum proprium, oppositum publico, pessimus finis exhaustò, quod rebus administrandis debetur, ærariò, cumulandis privatim divitiis; omnia conspirant, quæcunque examinamus in eam sententiam, quàm blanda demum arrideat fortuna matrimonii, coronam è thalamo nuptiali, in throno regio repositam omnino non esse illius pretii, ut ex in injuria ipsi juri accedat. Rex, qui verè; & justè regnare ambit, Superiorem nesciat, nisi Deum; huic soli subditus, subditos habebit obsequiosos, omnibus superior unus, & supremus rerum suarum arbiter, in omnibus felix, & Augustus. Jam ad electionem.

Qq

Ma-

Malus nasci, eligi non potest electione, quæ fit viro-
rum prudentium consiliò, & virtutis, aut roboris præro-
gativâ, non electione fæminæ, quæ muliebribus affecti-
bus obnoxia, rarò felix, sæpè inconstans est; nec electio-
ne militum, quæ tumultuaria, plerumque electis funesta.
Regibûs nati sæpè in tenera ætate, sæpè in juvenili, regnan-
di jus accipiunt. Per electionem non nisi optimi, & ap-
tissimi regni gubernaculo admoventur, justâ, ac idoneâ
ætate, quam jam prævia rerum experientia exercuit, ali-
quorum tum pace, tum bellò factorum insignium gloria
commendavit. Non aulæ deliciis assueti, nec molliem,
necotium, sed vigilias, regniqûe curas acriùs foveant, qui
genti, cui imperare, quasi jussi, præsumunt, ex alieno suffra-
gio potestatem accipiunt, non ex sua ambitione; ubi in
Principium Filiis rarior laboris amor, curæque graves, ut
insolitæ, aliis potiora regni negotia committunt. Innu-
triti potentiæ parùm curant, quo onere prematur subdi-
tus, ut cupiditatibus, fastui, aut ambitioni satîs fiat. Hæc
noxa, uti non omnibus Principibus communis, in electis
tamen rarior est. Ex oppresso populo quis rapinarum
usus post mortem, succedente alio non ex stirpe sua? Mo-
dera-

deratior regendi forma sui desiderium in populo excitabit, in filios, si qui sunt, gratum animum, ita, ut eorum stemma ex grata defuncti memoria aliis in electionibus magnum emolumentum accipiat. In electione nulla, nisi à virtute spes; unus coronatur, incitantur omnes; unius præmium singulorum est stimulus.

Hæc, quæ electioni favere videntur, non probantur iis, qui pro successione opinantur. His suspecta sæpiùs electio dubium movet, an semper ii, qui optimi, eligantur, & si, quales apparebant, postea in eadem probitate permaneant. Antiquum, & simul recentissimum est, honoribus mutari mores. Si rem, & experimenta accuratiùs examinamus, tum publica, tum privata munificencia maximum pondus habet parandis popularium animis virtutis opinione, rectis studiosissimè vitiis. Rara electio, quæ sine privato cujusque affectu, aut respectu fiat: corrumpuntur suffragia donis, promissisque, hæc si defunt, odiò, aut amore. In plurimis electionibus de eo, qui optimè, & ex usu publico imperaret, paucis cura. Omnes, quem sibi opportunum, aut utilem putant, digniori præferunt. Sunt aliqui, visi Imperiò digni, nisi im-

perâssent. Secundam ferre fortunam non omnis potest. Eorum, qui ex privata fortuna ad regnum perveniunt, intolerabilior est superbia, quæ iis non est, qui Regibus nati, in purpura educati, magnitudini, & majestati assueverunt à cunabulis. Repentinus, & insolitus honorum usus tumidos facit, hebescentibûs oculis ex novo inexpertæ Majestatis fulgore; uti somnô repentè discussô evigilantes subita lux cæcutientes facit. Sit, Principum filios minùs cupiditatibus suis imperare inter continua fortunæ obsequia; meliori tamen educatione, & exemplis Antecessorum suorum instructi rarò degeneres esse volent. Non adeò periculosa regnis est ætas imbecilla successoris filii, quale est interregnum. Protracta electione, quod communiter fit, justitia, & leges silent. Nullo imperante penè omnes imperant. Vigent fraudes, & scelera, publicæ reipublicæ confusione, privatorum ambitione, & preffatione. Inde inter eligentes dissidia, sæpè & bella. Moderatius qui putant in electo regimen, videbunt etiam dissolutius. Illi sanè minor cura administrandis regni negotiis, cui res nec diu suæ, nec postea suorum sunt; quin potiùs, ut sibi, suisque consulat, arces, urbes, imò &

Pro-

Provincias vel liberis, vel agnatis, aut etiam exteris tribuet partim ex ærario sub alio titulo emptas, partim avul-
 fas à corpore, utrumque in regni præjudicium. Reg-
 num Juda quamdiu hæreditarium, tamdiu satis felix fuit;
 regnum Israël quot habuit electiones, tot passum est rui-
 nas, & casus infelicissimos. Quis ergo tantæ vesaniæ erit,
 ut regni electivi ambitione jus violari non indignum putet?
 Erunt pauci, qui præferant successioni.

Minore periculo accipitur, ait Tacitus :
quàm quæritur Princeps. Successio legitima sem-
 per tranquilla nec molestias interregni, nec æmulorum
 ambitionem, partiúmque diversa agitantium studia patitur.
 Regibus nati prærogativâ naturalî, & ipso jure Natalium
 regio succedunt throno simul, ac animis subditorum, qui
 amorem, quem tot annis æquè, ac fidem, & obedi-
 tiam patri servârunt, filio ultro offerunt; imò nonnun-
 quàm acriùs intendunt, tum ex novitate rerum, quæ
 semper vulgo placet, tum ex tenera successoris ætate, quæ
 ad amorem ingens illicium est, tum etiam ex spe melio-
 ris fortunæ; atque hoc in bene composita republica à sub-
 ditis sperandum est, uti vicissim in turbida obedientiam

commendabit timor vindictæ, quæ vitari ægrè poterit filio patris injuriam ulturo ut suam, compensaturo pariter novîs gratiis officia olim patri præstita. Utrumque boni Principis, ac successoris munus est. Iram Regis electi temperabit secessus in aliam Provinciam; unde sæpè in majora commoda est redux, qui ad tempus exilium passus est, favente Regem noviter electo, antecessoris offensa parvi, fortè etiam gratâ habitâ, præcipuè, si exuli aliqua sanguinis propinquitas, aut in nova electione potestas est. Sæpè premente Deo fert Deus alter opem. Et certè Majestatem personalem magis conciliat successio, & natales regii, plùs, quàm electio; licèt majestas in omni regno per ejus leges fundamentales communi consensu firmatas, realis cum ipso regno perennet, nullò interregnò interrupta; ubicunque enim imperium, ibi cura salutis alienæ, quæ defendenda est, sive latè regnetur, sive arcta sint pomæria.

Hinc crimen læsæ Majestatis omnium gravissimum, quia rei maximæ, vel ipsam offendit Personam Regis, vel omnes regni. Filios Patri in regno succedere receptum est non inani spe, sed ex longa experientia, ex nobilissimo sanguine procreatos, & in plena sanctitatis, ac pudicitia domo

mo educatos similes esse Majoribus suis. Justissima hæc successio non omni caret tamen incommodo. Quid enim purè bonum in rebus humanis ? unum est, si Patre è vivis sublato successor puer, aut infans per ætatem arcetur regnò juxta illud ; væ regno, cujus Rex puer est, in hac puerili successione remedium in promptu est, si successoris vivit mater. Hanc regno admovere, puerique vices gerere cum prudenti aliquo senatu, feliciter evenisse, exempla docent, uti semper anceps fuit, Procures regni eligi. Unius electio offendet omnes, plurium, factiones excitabit, & turbas ; mater proin melior. Alterum est, si qua de ipsa successione lis agitur, ut olim in Hispania, aliisque Provinciis, patruis aliquando regnum adeptis, prætermis- sis Nepotibus. Nempe tunc dubium fuerat, an nepos, an patruus præferri deberet, si, superstitite patre, è pluribus filiis natu major decessit prole relictâ. Huic incommodo fati cautum nostrò ævò pactis cujusque familiæ, & lege Imperatoria, quod æquitati etiam magis consentaneum est, in aviti regni spem natos, atque educatos, non esse ea spe, eoque jure spoliandos, acerbùmque videri, patris obitum nova filiorum calamitate cumulari.

Singularè fanè beneficium est, paucis cognitum, quo fruitur Augusta Gens Bojca. Sex effluxêre sæcula, per quæ à Patre semper in Filium antiquissimæ stirpis propago, & paternarum Provinciæ imperium, nunquam interrumpâtâ serie, descendit, eo cælitus concessio privilegio, ut nullis Historiæ monumentis compertum sit, defectu Filii Dominium Hæreditarium aut ad Fratres, aut ad Agnatos fuisse devolutum. Felicissimæ continuationis pro auspiciatissimo augurio appono dictum illud Senecæ :


(1) *Providit ille Maximus Mundi Parens,
Cùm tam rapaces cerneret fati minas,
Ut damna semper sobole repararet nova.*

Statutâ proin pro successione sententiâ id solùm paucis elucidandum superest, an etiam in hac regni, & coronæ regiæ possessione jus violari possit? Ita nati sunt Principes, ut eorum bona, malâque semper ad Rempublicam pertineant. Inde vitanda singula, quæ vitio propiora sunt, amplectenda, quæ virtuti. Populis gravia semper solent esse onera, graviora tamen, si nova. Immunitates, & Privilegia antiquitus obtenta, si novis imminuuntur legibus, invidiam

con-

(1) *In Hypot.*

concitabunt, & odia. Promiffa ab antecessore facta, per Successorem neglecta, murmuri publico, & privatis querelis ansam dabunt, tum maximè, si statuta, decretaque ex ultima defuncti voluntate in oblivionem abeunt, aut contemptum. Hæc sine gravibus causis, aut urgente necessitate minùs æqua videbuntur. Vicissim summam gloriam accipiet Successor, ex iis retentis, & observari jussis, quæ patriis, & avitis legibus longo usu invaluable. Nempe non alio magis filius patrem magnum facit, & probat, quàm quòd ille talis sit. Hac gloriâ felix regni sui curas, publicæque salutis negotia suscipiet, jure illæso tranquillè dominabitur, gratulabuntur omnes, &, quod infallibile summæ laudis testimonium est, nemo erit consolandus.



DISCURSUS IV.
 PARS SECUNDA.
 POLITICO - HISTORICA.
 LUDOVICUS
 SEVERUS.



Tellis signare : vetus proverbium est ; hoc significatur , signari notulis quibusdam , & conjecturis , rem alioqui difficilem pervestigatu. De coronaregia cùm nobis in hoc discursu fusiùs loquendum erat , per sidus Coronæ Australis aliquam materiæ adeò difficilis idæam præmittendam duximus , ut tum dicta , tum , postea dicenda desuper non è vano , sed jam olim

olim antiquis usitato principio desumpta faciliùs intelligerentur. Lucet illa ad pedes Satigarii quasi calcata, tredecim stellis corusca. De Sagitario Astrologi ita sentiunt: (1) esse sidus insigne, & magnificum, quo designantur viri cordati, ingeniosi omnium rerum scientes, animi, & corporis robore præstantes, Duces victoriis & laureis haud ignobiles; cujus constellationis vim explicat Manilius.

*Et nervos tribuit membris, & acumina cordi,
Et celeres motus, nec delassabile pectus,
Pectora clara dabit bello, magnisque trophæis,
Conspicuum patrias victorem ducet ad urbes.*

Pars tamen equo mixta indicat in degeneres etiam sæpè degenerare mores. Putat idem Manilius è prima hujus sideris facie notari mortem plerumque violentam, atque ex hac opinione, quæ tamen erronea est, ita canit:

*Sed nimium indulgens rebus fortuna secundis
Invidet in facie, sævitque asperrima fronti.*

Viros ad sceptrata natos, & quibus à natura datum vel Regnis imperare, vel exercitiis hoc sidus, ut suos præcipuè clientes, fovet, liberale equidem, dum eos ad

(1) *Causin. de domo Dei.*

Regium solium promovet, infauftum tamen, cum pariter dejicit. Si prisca repetimus tempora, vix numero pares sunt Reges imperio suo felices iis, qui tristi catastrophe thronum mutarunt tumulo, ita ut Manilium non adeo erroneum plures existiment, quibus vesana libido est ex conjecturis hariolari, & ex variis casibus certos fingere eventus. Interim nihil ab antiquis sine observatione singulari in his constellationibus notatum est, utpote quorum magna cura, & improbo labore id effectum, ut insigniores stellae firmamenti, quas saltem consequi humana acies potuit, ad certum numerum revocarentur, & in suos quaque ordines redigerentur. Dolenlum equidem est, quod omnium ferè constellationum nomina de fabulis sumpta sint Græcis æquæ ac Latinis, apud quos, stante adhuc idolatria hæc studia caluere, sive hoc Poëtarum lascivia fecit, sive potentissimorum hominum ambitio, qui sua nomina stellis imponi ab adulatoribus aut amiebant, aut passi sunt. Non tamen instructione vacat, quod per fabulas expressere, si non statim à cortice saturi, in nucleum inquirimus. De corona ita sensere: esse sidus ad australem (2) plagam illis cognitum nomine Rotæ Ixionis, constans stel-

(2) *Hieron. Vitalis.*

stellis , ut dictum, tredecim, omnibus ferè de natura Saturni, & Martis, existens quidem in longitudine in principio libræ, ob stellarum tamen inibi consistentium malignitatem, tantundem malis fæcundum, quantum boni decernunt stellæ de natura Jovis, & Veneris, oppositis utique rationibus. Fortè illa magis arridebit influxu suo felicior, quæ, Astrologis Gnoſſia dicta, in cælo ad Borealem plagam propè Bootem constans stellis octo, vel ut alii volunt, viginti relucet, sidus ob sui pulchritudinem, splendorem, varietatem, ferè omnium, quæ sunt in cælo, siderum celeberrimum, atque omnium ferè nationum summis laudibus decantatum. Verùm hæc ipsa corona non adeò innocens atque amabilis est, quin, cùm oritur, ventos producat & pluvias, gravésque in mari suscitet tempestates, non sine augurio, (3) ut Ptolomæus indicat, turbidæ conditionis Regum, quorum vita in altissimo fastigio posita sæpiùs adversis casibus obruitur. Si proin omnia probè examinamus, mirum omnino videbitur neutiquam, coronam instar rotæ Ixionis volubilem, tótque sæpè malis & ærumnis, quàm gemmis refertam meritò à viris magnis spretam, neglectamque fuisse, eam verò, quam natura;

T t

non

(3) *Causinus de domo Dei.*

non ambitus dedit, suis relucere stellis, malignitate, si qua fortè interfluit, regiis virtutibus correctâ, ita tamen ut ipse Rex coronam suam ornet, non à corona inane præsumat ornamentum. Nempe qui sibi libentiùs, quàm aliis, gloriosius imperat juxta illud Horatii:

*Latiùs regnes avidum domando
Spiritus, quàm si Lybiam remotis
Gadibus jungas, et uterque Pænus
Serviat uni.*

Sui ipsius dominus, dominus absolutus est, prærogativâ paucis Regum notâ. Illi in animi etiam affectus dominium est, his solùm in corpora. Quantum animus excellit corpore, tantum differt potestas altera. Coronaregia, Dei munere beneficiaria, non potestatis absolutæ tessera, obstricta bono publico, & communi statûs utilitati, certis arctata finibus, multis exposita casibus, æquè à multis spreta est, ac ambita. Principibus bonis non omnino displicet libertas aliqua in subditis. Tyrannorum absolute dominari velle; nempe (4) *Rex non ut dominatorem se, suosque subditos ut servos, sed re-*
cto.

(4) Tacitus.

Etorem, et cives cogitare debet. Ut enim (5) gubernatio Patrisfamilias est regia quædam majestas domi, ita regia potestas est civitatis, et gentis unius, aut plurium quasi domestica quædam gubernatio; inde arduum nimis, & ut plurimum subjectum fortunæ regendi onus, bipartitô dominiô, unô, quo Rex sibi, alterô, quo suis imperet. In aliis casibus, quò quis altiùs ascendit, liberio rem auram accipit. Diversa Regium solium conscendentibus fors est. Evenit illis, quod Democrati seni, qui, cùm anhelus in arcem ascenderet, multum spirare se dixit, parùm valere. Crebra, sonans, & laboriosa respiratio abeuntis vitæ signum est; diuturnum, aut tranquillum regnum non erit, ubi violenti, & indomiti spiritus Regis animum iniquis desideriis affectum concutiunt; itaque se hominem esse, sæpiùs cogitet, quàm Regem.

Veniat in mentem communis omnibus humana fragilitas, & fragilis nimiùm uniuscujusque felicitas. Qui modò Priamus aurô barbaricô, & quinquaginta filiis felix videbatur, mox

T t 2

Ja.

(5) *Arist. l. 3. pol.*

○ *Facet ingens littore truncus.*

Philippus Macedo singulis diebus matutino tempore, antequam negotia regni susciperet, à puero renunciari iussit:

homo es. Monitum hoc surdo dictum fuit in filio suo Alexandro Magno, qui orbem universum civitatem putavit, illius arcem, ubi castra sua poneret, magnus factis plus temerariis, quam generosis, major ambitione, cui unus non sufficiebat orbis; æqualis tamen infimis fatò communi, quo extinctus post omnes victorias, nullas à morte inducias obtinuit. Regibus Persarum in more erat positum, ut cubicularius, qui eos manè excitaret è somno, altum in clamaret: *Rex surge ad tractanda negotia.*

Qui principatûs præmia putant otia, ac voluptatum licentiam, molestum hunc excitatorem ægrè audient, pessimè persuasi, licere, quod lubet. Qui verò saniori consiliò occupati, tum, quæ propriæ, tum, quæ publicæ salutis sunt, animò sagaci iterum, iterumque revolvunt, illi coronam regiam inter gemmas, & uniones spinis intextam cautè gestabunt, vel rejicient omnino. Olim Atheniensibus ritus erat, ut in solemnibus nuptiis puerulus sponsum anteret, spinosis redimitus foliis, & panem in canistro

præ-

(7)

præferens, quo monere voluerunt, matrimonium non folius voluptatis gratiâ, fed ad curas, & labores effe inttitutum. Qui ftatus fuos in iuftitia, pace, & rerum uber- tate tueri fatagit, ubique in curarum fpinas offendet. Unde non mirum, tot, ac tantos Principes, pofito diade- mate, non ad privatam modò vitam è regiis palatiis abi-iffe, fed ad pauperem etiam, eámque mundo contem- ptam. Tales Bozius narrat. Lotharius Imperator Ludo- vici Pii Filius annô 855. Hugo Provinciæ Rex. Rachis Longobardorum 750. Sigifmundus Burgundiæ, Bamba Hispaniæ, Veremundus Castellæ, Rammirus Arragoniæ, Sigisbertus Northumbriæ. Sebbis Angliæ, Eltheredus, & Chemeredus Merciæ, Alfridus Northumbriæ, Henricus quartus Daniæ, Carolomannus Alemanniæ, Trebellius Bulgariæ, Cafimirus Poloniæ, qui deinde juffu Pontificis, fuorúmque obfecrationibus regni gubernacula fufcepit. Hi omnes, & plures alii fibi potiùs imperare maluêre, quàm aliis, nullô inimicorum terrore compulfi, nec mentis ftupore, aut inertîâ dejecti; qualiter fecêre inter Græcos Anaftafius II. Theodofius II, Michaäl Rangabe, Michaël IV, Ifaacius Comnenus, & Emmanuel Paleologus Impe-

U u

ra-

ratores. Quod illis in gloriam, his in contemptum est. Nempe nullius est prudentiæ, cum ceciderit, fateri, se stabili gradu non stetisse; uti summæ prudentiæ est, è lubrico transiisse in firmum, antequam casum timere debeat. Quicumque de excelso loco se jactat, dignus censetur, qui decidat. Annales nostros ut repetam, quod instituti mei est, exempla adducam, quæ diversam diversæ coronæ formam latius, ac clarius explicant. Oblatæ ultro coronæ repulsam dare, sæpè difficilius est, quàm acceptam deponere. Major appetitus est laudati, necdum tamen gustati cibi; minor ex satietate, quæ plerumque nauseam parit. Multi ad regios honores aspirant; potestate allecti, qua ipsis omnia licere putant, qua omnia possunt. Multi tanto onere fessi publicis curis suas præhabent, hi ex vera cognitione, illi ex vana rerum imagine.

Si Lipsio, Arenbekio, & Annalibus Bojeis sua stat fides, Ludovicus Severus tantæ molis negotium seria meditatione ponderavit. Illi, cum Electores in deligendo Imperatore diu vota dubia agitassent; dissensumque ulteriorem imperio periculofum multis ab exemplis seriùs considerassent; unanimi consensu eà liberi arbitrii potestas ob-

venit,

venit, ut, quem ille Imperatorem designaret, hanc reliqui omnes legitimè electum forent agnitori. Antequam votum à Ludovico acceptum ad Comitium Imperii defera-
mus, haud abs re erit acuratiùs dispicere, quid ab aliis actum, ad quos eadem potestas Co-Electorum suffragiis fuit devoluta, temporibus equidem diversa, sed apta materiæ, quam tractamus.

Adduco testem omni fide dignum Nicolaum Burgundum, Virum Jurisprudentiâ præ aliis insignem, quam pluribus annis summâ cum laude elucubravit Ingolstadii Professor, historiarum eruditione adeo celebrem, ut, dum huic labori vacaret, jam priùs editâ in lucem historiâ Belgicâ, Maximilianus I. Bavarix Elector suâ manu torquem aureum illius collo appendere dignum habuerit. Ille ita :

Cæterùm in turbulento illo Imperii statu, haud minori discordia fervebat Ecclesia. Biennium erat, & sex ampliùs menses, ex quo decesserat Clemens V. Pontifex Maximus, & adhuc dissidebant Purpuratorum suffragia Successorem quærentium. Singulos in sua consilia intentos Galli, & Itali in duas factiones distraxerant. Sed Apostolica Sedes in Gallia erat, populi Romani seditionibus offensa, Imperato-

rum denique supercilium effugiens. Et hinc Gallus Pontificatui gravis, & propemodum incumbens, quærebat aliquem suæ gentis admovere fastigio, quem veluti captivum retineret in Gallia, memorémque majestatis, sub qua creverat, ad omne sibi obsequium reverentiùs adstringeret. Itaque partim minis Purpuratos adortus, partim muneribus & promissis, sollicitans, quos maximè rebatur, idoneos, plurimum animos, quò volebat, facilè impulit. Accedentibus studiis Philippi Comitis Pictaviensis; qui & ipse cum fratre Rege consentiens, nihil intentatum relinquebat, ut si qua posset iter aperiret ad concordiam. Placuit tandem compromittere in unum aliquem ex Purpuratis, qui omnium nomine Pontificem diceret, honorque ille delatus est Jacobo Cathurco Cardinali Portuensi. Charissimus is erat Gallia Regi, olim ejus Cancellarius: sed amissa uxore ad Sacerdotium respiciens, eodem Rege amittente, in Purpuratorum ordinem surrexerat. Itaque bellissimam hanc occasionem haudquaquam negligendam ratus, cæteris expectantibus, quem eo fastigio dignissimum arbitra retur, iisdem stupentibus, seipsum elegit, appellatusque est Joannes XXII.

Hanc

Hanc electionem neutiquam improbaverim, nunquam dimovendus à veneratione sacrae Sedi debita, nec tamen silentio indigno suam modestiae singulari laudem denegaverim, quae hoc in casu in Ludovico Severo justè mirantibus omnibus resplenduit, nempe cui nihil ad majestatem tum parandam, tum tuendam deerat. De eo ita Lipsius. *Ludovico (6) Severo Septemviro Imperij duo peculiariora, & ad laudem rara sunt, prius, quòd in ea dignitate probitas, & sapientiae ejus pariter sic enituit, ut in caligine summa temporum, & desperatione Germaniae solus à Collegis, solus, inquam, jus acceperit legendi Imperatoris, & per eum res labentes, aut lapsas restituendi: fuit prudentius, nescio, an felicius; cum ejus voce, ac renuntiatione Rudolphus I. ex Habsburgensi Comite sceptrum Imperii ad posteros transmisit; alterum, quòd eadem providentiâ rebus suis, & Genti privatim decus intulit, ductâ in uxorem Mechtilde ejusdem Rudolphi fi-*

X x

liâ.

(6) Tom. 3. mihi fol. 257.

liâ. Annales (7) Bojci hæc habent : *De electione Imperatoris per triduum durante disceptatione, Principes, cum sententiæ variarent, jus Cæsaris nominandi totum Ludovico Severo ex compa-cto permiserunt.* De iis, qui regnum ultrò abdicârunt, plerumque memoratur illud seræ pænitiæ dictum: maledictum verbum: renuncio. In Ludovico licet imperialis dignitatis translatio in alium idem sit, ac renunciatio, nihil repertum dein, quod eum pœnituisse arguere possit; quin imò iudicium suum, quo Rudolphum elegit, novis sponalibus confirmârît cum Mechtilde Rudolphi filia, mox Imperatoris gener, qui primò arbiter. Faciles in assensum habuit Ludovicus Coelectores reliquos, spe nuptiarum cum Rudolphi filiabus, quas senas habebat, Virgines, formâ, & indole lectissimas. Sanè, ubi tales spes suffragia colligunt, rarò deest successus felix:

Tanti est formoso in corpore virtus.

Ludovicus ex hoc connubio felix, magnum Genti suæ augmentum dedit, ex filiis Rudolpho, & Ludovico IV. sibi solatium in dolore filii, in hastiludio Norimbergæ à Kraftone

(7) p. 1. l. 25. mibi fol. 649.

tone Hohenloſo confoſſi; ex corona verò ſuâ ſuffragiò in alium translata æternam raræ moderationis gloriam nomini ſuo affixit. Nullum violandum erat jus, ſi poteſtatem ſui juris factam, in ſui ipſius commodum exerceret; aliis dignior habitus, qui digniorem eligeret; fortunæ tamen diſſiſus, imperii decore alium gaudere, quàm ipſus eo frui maluit. Dilata tantùm videri poterat in Ludovico Patre Imperialis hæc dignitas, reverſa dein ad Ludovicum filium. Fortuna in favore ſuo obſtinatior, quàm pro genio ſuo ſolet, ne fata Imperii à ſe præſcripta, vel in nomine errarent, Ludovico filio eandem coronam à Patre neglectam reſtituit. Ultra tamen à patre ſe ſpretam, quod omnes fæminæ ægrè ferunt, nulla ignoſcit, & Imperii, & diſcordiæ pomum una dedit inter fratrem, & æmulos, ita, ut, quas pater vitavit ex regno moleſtias, iis Ludovicus filius toto Imperii ſui tempore agitatus, poſt primum ſexennium jam ſatur regni, de ponenda dignitate ſecum deliberârit, glorioſius ratus, de ſaſtigio tam calamitoſo ultrò descendere, quàm inter præcipitia ſemper cadenti ſimilem, tandem etiam caſurum. Animatus ferre impoſitam à Deo, & republica perſonam, fortiſſimis

coronas, non delicatis imponi, curas, vigilias, arma, pericula propria esse Majestatis, nihilque in Principe esse turpius fastidiô laborum, Imperator quidem non esse, nisi vivere desit; sacrô tamen, & profanô odiô, insidiis tum publicis, tum secretis petitus ad mortem, continuas in corona molestias, & æumnas expertus est, solatium tenuæ, vel nullum. Usque adeò, ut illius fors tam diversis jactata casibus, aliis, præcipuè autem illis exemplo fuerit, periculosius esse accipere coronas, quàm rejicere. De Maximiliano satis dictum occasione Friderici Palatini. Hic loquendum de Alberto Pio, Ernesti Ducis filio. Ex hoc, & ex illo patebit unicuique, nullius regni causâ, & nunquam jus violandum esse. In omnibus, & semper Pius audiit Albertus, tum tamen maximè, ubi spretô Bohemiæ regnô, se regnô, & Rege majorem ostendit. Ad erant è Proceribus Bohemiæ Legati, coronam non offerebant modò, sed obtrudebant, adductis rationibus, quæ animum ad magna natum, ad magnas dignitates facillè pertraherent, vel Ladislai, legitimi in regnis tum Bohemiæ, tum Hungariæ successoris tenerrimam ætatem per-tæsi, utpote posthumi, vel potius ex rebus novis suarum

utili-

utilitatùm plus æquò avidi, etiàm de Religione conditio-
nes parùm probatas sollicitationibùs suis interjecêre. His
humanissimè excéptis respondit Albertus, hæreditatem
paternam innocenti puero sine crimine adimi non posse;
nunquam impune fuisse spoliare pupillos: Deo, atque
hominibus esse invisos, qui id facinoris audeant: execra-
bilem esse vocem, quæ regni causâ affirmat, jus esse vio-
landum. Ecce oraculum! quo majus in rem meam non
requiro.

Alterum singularis moderationis, & domitæ in iis,
ubi etiàm liberior esse solet, ambitionis specimèn Alber-
tus dedit. Ducibus Ingolstadiensibus extinctis Henricus
Landshutanus amplissimam hæreditatem, omnésque
ditiones occupavit solus, exclusò Albertò, qui tamen Hen-
rico jure par erat, & Ingolstadienses eodem gradu attinge-
bat, quo Henricus. Animatus à suis, & aliis, ne jus tam
opimum, ac luculentum negligeret, ad movendam eidem
de hæreditate litem adduci neutiquam passus, privatâque
commoda quietis publicæ detrimentò augere noluit, ma-
jori postea ex rara, & Principibus parùm notâ modestiâ
fructu, quàm ex fæda cum cognato sanguine contentione;

stirpe enim Henrici Landishutani masculâ extinctâ, in proximo sæculo tota illius hæreditas ad Alberti posteros transiit, uti in alio discursu fusiùs explicabitur. Illustrius monumentum tantæ modestiæ, & victoriæ sui ipsius, quis statuatur? quis juris non violandi gravior, & potentior patronus erit? Hucusque eorum tantum meminisse placuit, quos corona regia capiti alieno vel imposta, vel servata orbi commendavit universo; laudem superam ratos fugere inanem, & supra orbem ipsum imperare sibi. Nunc etiam eos in scenam producimus, qui in regio folio confidentes, regum sortem, fortis vicissitudines experti sunt.

Fecunda semper Regibus Augusta Gens Bojca amplissimis regnis Daniæ, Sueciæ, & Norvvegiæ ex generoso Principum suorum sanguine Regem dedit. Annô 1442. ut plures volunt, Christophorus Bojus, Joannis Comitis Palatini filius, Ruperti Cæsaris nepos, justis Procerum, Ordinumque suffragiis in Regem creatus est ex prærogativa Natalium, quos Christophorus duxerat ex patre, hic ex conjuge Sophia, quæ Erici Pomerani soror, & Regum neptis amplissimam hanc regnorum dotem non marito

in

in thalamum conjugalem , sed filio Christophoro in cunas coniecit. Hæc novi Regis electio Procerum , & Antistitum sancita suffragiis mox obicem suum passa est ab Erico ob sua vitia è regno exule. Is primùm Proceres dehortando , tum Christophorum minis litterarum satis acerbis à proposito dimovere conabatur. Frustra actum. Et ne à subditis , & exteris illius haberetur ratio , confirmandæ electioni à Proceribus factæ per Hanseaticas urbes affigebantur in foris , & triviis causæ , quæ Ericum è regno , inò & patriâ dimoverant. His tamen non omnium animi adeò pacati , quin aliquos voluisse pæniteret. Quid enim stabile ab illis speres , qui eligendi Reges potestate facillè insolent , acceptò novò dominiò plerumque lentè mansuescunt ? Jámque Sueci tacitè reclamare , palam conqueri , in electione se quasi neglectos , demum probare quidem , utile esse , unum eligi , ad cujus arbitrium omnia reciderent , sed eligendum ab omnibus. Sedati per Legatos , & in assensum adducti , Christophorum in regno receperunt , necdum tamen Regem , concessò Moderatoris titulò , qui Reipublicæ negotia curaret , non Regis. Mox nova erat difficultas ex Proceribus Erico amicis , vel etiam

sanguine junctis. Horum curæ, ac fidei commissæ arces pleræque, ac urbes, Erico spem in reditum, Christophoro parùm tutam stationem parabant. His dimotîs aut Christophoro in verba jurare, aut, quocunque vellent, abire jussis, Christophorus denique ex Moderatore Rex declaratus, necdum Regni Insignia, sed novum accepit æmulum, Carolum Sueciæ Polemarchum, eò magis metuendum, quòd Carolus eadem potestate præsideret in Curia, qua in armamentario. Hoc etiam reconciliato per Legatos, qui novis promissis Caroli ambitionem explerent, infestam habuit Cimbriam. Agrestium insolentia passim omnia turbantium, & in dominos suos infipientium eò usque invaluerat, ut progredi in aciem, & pugnâ decretoria dimicare ausi, Nobilium robur, quod frontem objecerat, prostraverint victores, & novi mellores, qui non spicas, & aristas, sed capita hominum decussêre, clade eò acerbiorè, quòd ex iis cecidêre ignota capita, & si noscerentur, infamia; ex Nobilibus verò clari Principes, & Dynastæ, & qui ex Bojaria prælio interfuêre. Subacta Cimbria, rusticis tum victis, tum, ut se dederent, & ad sua redirent, persuasis, primum Christophoro belli tyrocini-

um

exhibuit, ipse in tyrone Imperatorem, Videbatur gloria Christophori non uno saltu, sed per gradus ad apicem honoris progredi velle, quò lentior, è firmior, ubi in hoc usque tempus Christophoro jam Regi, regni Insignia distulit. His itaque feliciter actis, Moraftenii coronatus, purpuram, & fasces regni accepit, ex Moderatore Rex, & ex Rege Augustus, communi Procerum appellatione. Non diu tenuit, utut gloriosa videbatur, tranquillitas Regis, regniq̄ue. Succi non segnes in questus, & lamentationes, feuda Proceribus data, sed taxationi subjecta, quèis locupletabatur fiscus regius, flagitiosam in publicis rebus nundinationem, & ex his Christophorum prædonem Palatinum impunè appellabant. Danorum animos offendit accita è Germania Nobilitas, quam in præcipuis Regni præfectoris prælatam Danis ægrè ferebant, etiam increpare ausi. Nempe *inviso semel Rege, præcipuè extero, facta bona, malève æqualiter displicent.* Cavendum tamen præ aliis, ne Regni Nobiles ex Gente sua favores Principis in exteros plus æquo delatos conqueri possint, quod subditis invisum, Principibus periculosum. Christophorus sanè absentiam pati maluit Procerum Bojo-

Z z

rum,

rum, quàm coronæ jacturam. Unde sibi, & suis consu-
luit, doctus Erici exemplô, cedendum esse nonnunquam
obstinatis subditorum votis, ne pertinaces fiant.

Interea Christophorus eò jam deductis rebûs, ut ab
illo nihil, nisi virtutum, & regni hæres desideraretur, huc-
usque amoribus, quod eâ Principum ætate rarum, inta-
ctus, de sponfa cogitavit, majore Procerum curâ, quàm
suâ. Plures oblatae è variis regnis usque adeò auxere fa-
mam Regis, & encomia, ut etiam non defuerint Autho-
res, Baltazarem, Soldanum Babylonicum cum eo tra-
ctasse per litteras de nuptiis filiaë suæ. Nempe nullibi, nec
in remotissimis terris ignota Principum virtus, ubique ex
se laudatur, aliis procis neutiquam indiga. Præ omni-
bus placuit Dorothea Virgo, Marchiæ Princeps. Vix Re-
gis, & Regni universi votis satisfactum, cum Libitina fa-
cibus nuptialibus tædas lethales substituit, eò Danis, Sue-
cisque tristior, quò viventis Christophori lucem apertis
oculis vix ferebant, clausis amabant, optabantque, nec
illi, nec sibi constantes. Christophorò unius dici morbò
extinctò Helingsburgi, &, quod maximè dolendum, im-
prole, Bojeum stemma inter Danos extinctum est, non
elo-

elogium virtutum Bojcæ Gentis. Atque hæ rerum in Christophoro, hæ Regum plurium vicissitudines sunt soliti tribuli, sentésque coronatum. Quis addat spinam acutissimam, æternum animi remorsum, eas violato etiam jure non accepisse tantum, sed invasisse? Christophoro jus successione legitime tanti constitit. Quæ fuisset funesta regni catastrophe jure violato?

(8) *Fortunam magnam citius invenias, quàm retineas.* An muliebri petulantia, an instanti fæminarum genio id fiat, nescio. Interim constat exemplis, eam unô oculô blandiri, minari alterô, lævâ resumere violentiùs, quod dextrâ dedit liberaliùs. Utrumque expertus Otto Bojariæ Princeps, coronam Hungariæ à Legatis ultrò oblatam, non omnibus è suis, ut acciperet, probatam, parte inferiori, qua in capite reclinaret, ad eò rotundam, & volubilem, parte superiori, qua reluceret magis, ad eò spinis intextam sensit, ut è folio descenderit ad ergastulum, à corona ad compedes, à supremo regni dominio ad graves fugæ periculofissimæ æurnas. Non frustra monuit Propheta (9) *Corona tua circumligata sit tibi*; cautè ferenda est: si quis eam laxat nimium,

de capite facilè decidit, etiam dum minùs exspectaverit. Tutiùs agere visi antiqui. Coronarum locò fasciùs utebantur, capiti præsidio magis, quàm signo Majestatis.

Andreas Venetò Hungarorum Rege sine liberis defunctò, regnum Hungariæ vacabat Rectore, non candidatis. Potentior videbatur Carolus Robertus, Alberti Cæsaris ex Clementia sorore nepos, qui jus regnandi ab avia ducebat Ladislai Regis sorore. Huic quantum accessit ponderis ex autoritate Cæsaris, tantum decessit ex favore Pontificis, qui electionem Caroli minis potiùs, quam consiliò promovendam putavit, intentato fulminis Pontificii timore, quo tamen nec terruit, nec dimovit Hungaros à capto proposito liberæ electionis, nullo etiam effectu reboantis in aère tonitruui, quàm ut solus Carolus intempestivi turbinis injuriam sentiret, exclusus è folio ob intentatam vim, sine irato protectore haud dubiè admittendus. Semper periculosum est, hisce in negotiis imperare malle, quàm consulere. Irritata libertas sui amorem efficit tenaciorem, eò acriùs tuenda, quò violentiùs impugnata. Carolò exclusò diadema Hungaricum Wenceslao juniore Regis Bohemorum filio obvenit; advocatus tamen à patre, æmu-
lo.

lorum invidiam, & inconstantis Gentis injurias effugit. Quo in casu ambigas, an mireris magis patris prudentiam, an filii in obediendo promptitudinem. Suspexit ille pericula filii complurium ingratis folio impositi; hic patris curam, & amorem, omni diademate in filio probo potiorum. Itum dein ad electionem tertiam. In hac Otto secundæ Bojariæ Dux suffragia Hungarorum obtinuit, ipse ex avito sanguine Hungarus, Belæ IV. ex Elifabetha filia nepos. Ad capeffendum regnum per Legatos invitatus, amicorum judicia priùs experiri, quàm præcipiti responfo annuere voluit; quod bene notandum Principibus, nempe penès quos (10) *omne honestis consiliis robur, sine iis quævis egregia invalida sunt.* In ea consultatione electionem, quam alii probârunt, rejecere alii. His suspecta Hungarorum fides, sopitæ primi candidati, necdum extinctæ vires, ab auxiliis domesticis remotior statio assensum adimebant. Providi ut erant, in fuscipiendo tantæ rei consilio, æstimandum priùs putabant, an, quod inchoatur, reipublicæ utile, ipsi Principi gloriosum, aut promptum effectu, aut certè non arduum sit; (11) *Adjiciendum consilio periculum, si fortuna cæptis*

A a a

de-

(10) Tacit. Hist. 1. c. 38. (11) Tacit. l. 2. Hist.

defuerit. Certum esse, quibus (12) *nova, & anticipata præcolere, avidam, & plerumque fallacem esse ambitionem;* necdum unanimes esse Hungaros, nisi ex ipsa dissensione, animis in prima electione collisus non minùs, ac suffragiis; *protinus desinere esse Regem, qui non volentibus imperat; suam Princeps fortunam in consilio priùs habeat, quàm de aliena deliberet;* dispiciendum, quæ vires in ærario, qui amici; his firmandam Procerum unionem, illis acquirendum militare præsidium, & gentis favorem, utrisque coronæ stabilitatem. *Nihil rerum mortalium tam instabile, ac fluxum esse, quàm famam potentie non sua vi nixæ.* Non levem fore Pontificis, & Cæsaris offensam, vindictam graviolem; quia faciliorem, amicis Caroli ex proprio commodo in eam paratis, si qua dabitur occasio: *nulli esse amariorum jacturam, quàm qui deponit purpuram; habet aliquid privatum hic pannus; ubi sederit humeris, sine cruciatu amittentis divelli non potest.* Oblatum dia-

dema

(12) Tacit. l. 4. An.

dema Otto sperneret, nobilem magis, quàm felicem penum, infelix pariter inter hanc gentem dubiæ fidei, seu regnet, seu seruiat. Ast nulla in homine passio cæca magis est, & periculosa, quàm dominandi ambitio. Quod in matre Neronis horruit natura, in ævo longè posteriori non sine scandalo notat historia. Humeja regnum Cordubæ parabat occupare, amicis de periculo admonentibus respondisse fertur: *hodie me Regem dicite, cras perimite*. Unde mirum non est, apud Ottonem prævaluisse, qui opinabantur, nullum in ista occasione deliberandi tempus esse, aliquid casui permittendum, fortunam sæpè cessisse in sapientiam; sua retinere privatæ domûs esse, de alienis certare, laudem regiam. Audendo, agendóque res Romanas crevisse, non his segnibus consiliis, quæ timidi cautâ dicunt. Eventus fortuitos, qui prævideri, aut caveri non possunt, factum non vitiare. Plus sperandum in æquitate Pontificis, & Cæsaris, quàm inde timendum. Hungarorum obstinatione offensos esse, non Ottonis assensu, utpote cujus ultima electio cum primâ nihil commune habeat. Ergo remissis Legatis cum responso, quod utrimque placuit, comparata ea, quæ ad regiam dignita-

tem forent. Servabatur etiam tum coronâ Hungariæ à Wenceslao; an majore comitate ab Ottonè petita, an à Wenceslao tradita, incertum: restitutum certè regni decus Ottoni infelicius, Wenceslao gloriosius fuit. In itinere, quo Otto in Hungariam properabat, corona ab eo perditâ, cui, quid portaret, incio commissa erat, ac demum à reglegente viam vidulo inclusa, reperta triste brevioris regni augurium fuit. Videbatur, invitam se Ottoni abeunti viæ comitem esse, non futuram redeunti. Fuère tamen, qui putârunt, ex omine hoc longam Ottoni, ac felicem fore dominationem; prudentioribus sanè proximæ ruinae præfagium. Sæpè casibus, quos arbitramur fortuitos, secreta fati manifestantur, quæis obluçtari contumacia est, quandoque stupiditas, uti prudentiæ, nôsse ex iisdem casibus sibi opportunè consulere. Otto delatus in Hungariam Albæ regiæ à Benedicto Vespinenfi, & Antonio Chianadensi solennibus ceremoniis inauguratur, acclamante Procerum turbâ, & populô. Quis tam lætis initiis tam subitum credat, & tam funestum exitum? Otto plenîs velîs, ut putabat, cælô, ac mari tranquillô navigans incidit in Scyllam, cupiens vitare Charybdim. Hungari

gari exteros exosi invidebant Regis favores Comitibus Hal-
 fio, & Hartliebo Puechbergio præ aliis collatos, Ottoni
 familiariùs habitis, utpote è patrio solo secum adductis
 in comitatum æquè, ac custodiam. Ne Hungaros ex eo-
 rum præsentia irritaret acriùs, remisit utrumque in Boja-
 riam, infelix etiam, dum ipsam infelicitatis causam sustu-
 lisse putabat, nudatus incautè tantorum virorum præsi-
 diò, & consiliò; postquam enim Procerum invidiæ satis-
 factum, alia occurrebat explenda ambitio eò odiosior,
 quò Regibus insolita magis. Ambiebat, imò audacter
 poscebat Ladislaus, Transilvaniæ Toparcha nuptias filix
 suæ cum Ottone. Repulsam passo satis fuit, ut ultima
 tentaret; nempe, *qui perduellis esse sustinet, cum
 sit omnium reus, vix est, quod ultra metuat.*
 Exclusæ à thoro nuptiali filix vindicta patris fuit dejectio
 Ottonis è throno regio, &, quod pessimum, è folio in
 carcerem. Otto carceris molestias pati maluit, quam
 impares nuptias, gloriæ Augustæ Gentis plus memor,
 quam sui. Annum integrum absolvit captivus, cum li-
 bertatem, neque hanc diu tutam, fugâ clandestinâ acce-
 pit ope servuli, vel, ut alii volunt, miseratione erga floren-

tissimum Principem uxoris dicti Ladislai, certè nullò auxiliò Hungarorum, qui Regis sui injuriam & nôrunt, & passi sunt, ex qua ferocis inconstantia, & perfidia infamia Principes seriò reflectant, quàm cautè, & timidè corona accipienda sit ab iis, qui eam eadem libertate, qua dedere, eripere se posse credunt. In fuga Ruffiam, Prussia, & que pererrans, alium viæ comitem non habebat, quàm fortunam turpè perfidam. Illius, & Veneris conspiratione de libertate Ottonis actum erat. Fortuna (pretæ in arce Ladislai Veneris ultionem pacta, hanc demum exercuit Wratislaviæ, ubi Otto in adventu à milite agnitus, ac Conrado Principi proditus, ne novam, quam minabatur Princeps, captivitatem subiret, demum filia Conradi Agnetis nuptias pactus, libertatem pro dote accepit. Adeò periculosum est Principibus procari ab exteris, & inter exteros, ubi alieni juris sunt, non sui. Post octennium variis agitatus casibus in Bojariam redux Straubingæ demum cum dicta Agnete nuptias celebravit. Resumptis dein animis, & pace facta cum Austriis, quo in bello Otto Bojci Herois, ipse Puechbergius magni belli Ducis insignia specimina dedere, vindictam parabat injuriæ ab Hungaris

acce-

acceptæ, & perditæ coronæ, sed ultimos conatus mors præmatura oppressit, magno luctu Gentis suæ, magno & damno, ubi in expeditionem ut sumptus colligeret, jurisdictionem minoris imperii, & jus nobiliorum oppidorum, quæ hodie Hofmarchias vocamus, vendidit magno quidem tum ære, sed majore in hodiernum diem fisci detrimento, utpote quorum emolumentum prius in facultatibus erat dominatus.


Visum hætenus, ut opinor, abundè, plerasque Regum coronas unionibus suis majores habere tribulos, nullam, tametsi primæ in humano genere dignitatis, ac potentiæ decus id efficere posse, ut quis illius ambitione licitum sibi putet jus violari. Hoc præ omnibus, quidquid sacrosanctum, Gentibus omnibus, quidquid charum, societatis humanæ unicum vinculum est, Divinæ, ac profanæ legis principium fundamentale; quocunque titulo, aut impia Machiavelli suggestione læditur, aut infringitur, idem est, ac si quis Deum perinde, vel, ut clariùs loquar, nihili habeat: quod sine summo crimine cogitare, sine certo suo exitio tentare potuit, poterit quenemo. Liceat (13) pro Epilogo addere symbolum,

B b b 2

quod


(13) *Lipsius in monitis politicis.*

quod Sardanapalus Rex Assyriæ à longa, eaque turpissima deliciarum ebrietate tandem, nec nisi in ultimo vitæ termino, sobrius sepulchro incidi curavit; illud non solum ad modestiam, sedulamque in capeffendis regnorum circumspèctionem altissimos invitet, sed ab invadendis citra juris legem imperiis quàm maximè avertat. Erant digiti duo, qui collisi inter se talitrum edebant, signantes, omnia regna, votiva omnia, aut magna, *nec tantè esse.*



DIS-





DISCURSUS V.
 PARS PRIMA.
 CRITICO-POLITICA.
 LUDOVICUS IV.
 IMPERATOR.

An vindicare conveniat Principi, an ignoscere?

*Magnarum virium est negligere lædentem;
 Qui enim vindicat, sentit.*

Publii Sivi Mimi sententia selecta.



Regnum suum, qui feliciter auspiciari cupit Princeps, aut jam captum gloriose gubernare, duas ad solium suum assiduas habeat famulas oportet, easque sorores, scientiam Politicam, & Ethicam,

ut nunquam in regni negotiis una tantum, sed

semper utraque consilio adsit, eo tamen discrimine, ut hæc sæpiùs præ illa sententiam suam dicat, eaque alteri prævaleat; licet illa in multis gradum sibi præripi ægerri-
mè ferat & fortè etiam injuriam putet. Rex, qui, cùm deliberat, Politicam tantùm de sententia rogat, rarò probus, sæpè tyrannus audit, qui utramque, Christianus, & Princeps optimus. Ne mireris proin, si hoc in discursu Ethicæ prudentiam teneriùs amplector, & periculosa Politicæ principia audaciùs aspernor.

Prodit in theatrum Princeps, qui non eâ serenâ fronte conspicuus, quæ Majestatem semper sibi æqualem decet, vel tristitiam coquit, vel iram. Injuriam passus à Politica, vulneri medelam, sibi consilium poscit. Suadetur illico vindicta, & ultio publica, eaque statuitur necessaria, non tam ob ultionis voluptatem, quàm ut ejus, qui læsit, pœnitentiâ tale reliquis exemplum præbeatur, ut nemo dein injuriosus esse audeat. Vindictam sequitur gloria, gloriam utilitas, ex utraque ortum suum accipiunt magnanima consilia, commoditate, ac fructu fœcunda. sic una molestia multas tollit, labor brevis, & unicus multos, eosque vel longos, vel periculosos. Suprema Prin-
cipis

cipis authoritas, & potestas, pars est reipublicæ, & quidem gemma coronæ prima, adeoque offensas, & injurias acceptas dissimulare nequit sine labe splendoris sui.

Non sunt contemnenda, quasi parva, quibus magna constare non possunt. Injuria Principi illata

subruit fundamenta regnorum, quibus una salus à reverentia debita in Reges suos. Tolle hunc respectum, hanc

submissionem, quæ penè adorationem æmulatur, quis est, qui securè imperare, pœnas, ac supplicia reis dictare poterit, si in se ipsum reos punire, se ipsum vindicare vel

timet, vel negligit? Contemptus Principum viam parat ad minuendam, & postea concutiendam eorum majesta-

tem, cui subditorum insolentia nubem obducit fulmine dissipandam. Injuriam impunè qui Principi infert, pri-

mum illius folio fulcrum subtrahit, facilè dein collabenti in tristia seditionum rudera, cum semel laxata fuerit basis

Regiæ potentia. Aurea sunt Regum sceptræ: vermes injuriarum si in illis nidulari tantisper afluevère, lignea erunt,

rumpentur, & putrescent indigniùs, quæ spectarentur augustiùs. Injuria fædat purpuram, cujus macula non elu-

enda, nisi injuriantis sanguine. Vehemens est omnis ho-

mo, cùm vel affectus est injuriâ, vel injuriâ affectum se putat. Quid à Principe non timeas, quem injuria ad iram provocat, impellit authoritas, & cui promptam vindictam ultrò offert potentia? neque illi liberum esse videtur, etiam primam dissimulare injuriam. Princeps, qui primas injurias, fucô tantùm, & inanibûs titulîs honoratus, patienter tolerat, viam aperit ad perniciosiora consilia. Qui maturè vindicat, pristinam Majestatem conservat amplitudine sibi debitâ. Veterem ferendo injuriam. invitatur nova, ac quæ prima impunè transiit, repetitur audaciùs. Et licèt injuriam inferens nihil afferat periculi, alios tamen exemplô incitat ad idem audendum, & pejus. Dolent plerumque Medici, initia, ac semina morborum diutiùs tolerari, imò & negligi, quàm morbus exigeret; unde eo invalescente, medicinæ vis, & ars dein deficit. Caveant Reges, ac Principes, ne ab homine natura illiberali illata prima injuria dissimulata, vel neglecta alios inficiat, & ne inveterato malo majoris insolentiæ medela nulla sit. Persona Regis imago Dei est; Deus ultionum Dominus: ergo & Rex. Hæc erat sententia Politicæ, non eadem Ethicæ.

Discriminandæ sunt injuriæ, nec omnes dissimulandæ, nec omnes vindicandæ. Eæ, quæ ad læsam Majestatem usque pertingunt, veniam omnem excludunt. Hoc crimen omnium atrocissimum, proximum sacrilegio non unum tantum continet, sed ex omnibus confutum, ut hydra pessima, duo præcipuè capita hinc inde volutat, igne, & ferrò excindenda ab uniuscujusque Regni, aut Reipublicæ Hercule. Primum est perduellio, quam ipsa horret natura, nempe, qua ipsius Regis vita, vel publica reipublicæ salus petitur, ita ut reus perduellionis, omnium criminum reus sit. Alterum est crimen læsæ Majestatis, quo non directè, & mediatè incolumitas Principis, aut Reipublicæ attentatur, usurpantur tamen ea, quæ Regiæ, & supremæ Majestatis sunt unicè, & nulli privatorum conveniunt: quæ sunt incarceratio, vel rumpere carceres, monetam cedere, statuas Regum dejicere, vectigal, vel tributa imponere. Differunt inter se hæc vitia; sed neutri ignosci potest. Perduellionis damnatus, ultimo supplicii genere affectus, ex humano genere penitus eliminatur; negatur laceratis membris tumulus, sæpè domus diruitur, diruta inducitur aratro, &, quasi ipsa terra peccasset tali monstro fertilis,

fale conſperſa , poſteritati immortalis infamiæ ſcelus fate-
 tur. Læſæ Majeſtatis reus ſæpè exiliô mulctatur , cùm in
 aliquibus non tam odio in Principem , quàm veſana diteſ-
 cendi libidine peccâſſe argui poteſt. Nihilominus de hac
 injuriâ ita judicat Cicero , ut ex illius ſententia is , qui non
 impedit , nec reſiſtit injuriæ , ſi poteſt , tam ſit in vitio , quàm
 ſi parentes , aut amicos , aut patriam deſerat. Verùm hoc
 crimen extra controverſiam eſt , neque de uno , neque de
 altero deliberandum. Agitur de aliis injuriis minoris no-
 tæ (ſi tamen ſunt , quæ in Principem) quæ à Regibus vindi-
 cari , vel donari veniâ poſſunt. Sunt aliæ læſæ veneratio-
 nis dictô , aut factô : aliæ in Principum amicos , aliæ in Mi-
 niſtros : accipiuntur etiam aliæ , quæ nullæ ſunt , ex ſola
 naturæ culpa , qua ſæpè homo homini diſplicet , cùm neu-
 ter diſplicendi cauſam ſciat , uterque fateatur. Sunt , & eæ
 quidem leviffimæ , quas quisque ipſe ſibi formât , injuriam
 interpretatus in amico conſilium , ſuæ voluntati , aut am-
 bitioni contrarium , quod poſtea , ſaniora expertus , in be-
 neficiis numerabit.

Nemo condonâſſe injuriam dolet , vindicâſſe multi.
 Nunquam placuit in Rege vindicta ſui doloris , quæ ple-
 rum-

rumque, etsi justior, acrior tamen videtur. Indignatio Regis, nuncia mortis; lenitas Regis, divinæ virtutis augurium; nam idem miserationum, qui ultionum Dominus. Scio equidem, nihil injuriis fenescere citius, nihil citius juvenescere beneficiis. Scio etiam, pessimè consultum fore, si quis persuasum velit, omnes à Regibus dissimulandas injurias. Interim tamen & illud verum est, Regem, ac Principem, qui pro bono publico injuriam punit, justum, qui propriam ex propria animi magnitudine dissimulat, gloriosum, qui ex levi causa ultra modum, & ex ira sua vindicat, iniquum esse. Optimè agitur, ubi supplicia ob delicta in Principem non negliguntur, sed temperantur, & si tutò possunt, condonantur. Nobilissimum vindictæ genus est, parcere, nec generosior oblivio, quàm injuriæ, uti etiam sæpè nulla indignior, quàm vindictæ memoria. Sanctius Navarrae Rex pugnâ ad Alarcum peractâ, domum repetiit non salutato priùs Rege Alphonso hujus nominis tertio. Rex erat, non feudatarius, ergo liber; in suppetias accitus, non subditus, sed patronus causæ, amicus, amico dignitate æqualis regia. Egit, quæ à Rege, quæ ab amico, quæ à fæderato speres; Regem tamen

dum se gessit, offendit Regem. Secessum Regis Sanctij in patriam suam liberum ægrè tulit Alphonfus, & injuriam putavit: quæ etiam adeò illi gravis fuit, ut quiescere omnino nequiverit, quin hanc ultus inurbanitatem, Sanctium Regnò penitùs exuisset. Alium suæ injuriæ, illaudatò inhumanitatis exemplò, vindicem memorant Annales Leopoldum Aultrium. Hic in expugnatione Ptolemaidis vexillum in turre fixerat, signum gloriæ, quod ille primus in eam pervenisset, eò magis spectabilis, quòd reliquos in exemplum Martii sui ardoris invitaret. Ægrè tulit Richardus Angliæ Rex præreptam sibi hanc laudem, atque illic perveniens, Leopoldi vexillum illico direptum, calcatumque projecit in cloacam, suffectò suò. Nulla injuria periculosior, nulla medelæ minùs capax, bellicâ. Partum sanguine honorem si læseris, vix sanabis, nisi ipso lædentis sanguine. Quæ pessima militiæ Politica & summis Viris, reipublicæ sæpè perniciosissima. Suppressit tum quidem dolorem Leopoldus, & ex moderamine magnam laudem, uti dein ex ultione ignominiam tulit, à Pontifice diris devotus, à Deo tristi fato è vivis sublatus. Richardus è Palestina redux, errore pernicioso, ut infensum sibi ex eadem

expeditione Regem Galliaë Philippum vitaret, mutato itinere deflexit incautus in ditiones offensi Leopoldi. Posita Majestate, sumpto Templarii habitu, in taberna meritoria propè Viennam agnitus, serò doluit, nocere semper summis, & infimis præcipitem, nimisque facilem in offensas animum, uti vicissim Leopoldum serò nimis pœnituit, iniquum fuissè sui vindicem. Captus à Leopoldo, & coram Friderico Imperatore plurimum, quàm reus, accusatus criminum, utpote quem una injuria nocentem fecit, ægrè libertatem redemit, pactus Cæsari decies novies centena, Leopoldo quadraginta aureorum millia. Vindicavit Deus indignam mundinationem, & vindictæ acerbiteratem. Leopoldus crure à Chyurgis resecto, quod equò delapsus fœdè laceraverat, gangrænâ postea infectum, aurum quidem Richardo refudit, sed animam effudit, pœnitens, vindictam se Deo, cui soli competit, præripuisse, sumpta sine modo injuriæ ultione. Et hos gloriosos putas, quos vix excusare audet infamis Marchiavelli Pseudo-Politica? Abortus ille scientiæ politicæ jubet Principem, ut per vindictam metuendum se reddat populo; timorem enim subditorum in sua potestate, amorem in

subditorum voluntate esse; inde præferendum, quod certius, illi, quod gloriosius, dicere non erubuit: Alii potentiae fines sunt, alij decoris. Non quid possis, sed quid deceat, æstimandum est. Ne velis, quantum potes. Nobilius egit Rex Sanctius cognomento Fortis. Majorum, Primorumque Regni in se offensas alta dissimulatione elusit. Sed ex ista dissimulatione prima Principatus sui fundamenta corroboravit, mox collapsura, si cæmentum vindictæ interjecisset. Nihil homini magis proprium, imò suum est, quàm misericordia, & lenitas. Nihil ab homine magis alienum, quàm ultio, & quidquid impetu quodam animi impetuoso homo in hominem agit asperius. Ulciscendi libido voluptas est, virò, qui probè vir est, indigna, belluis propria; nec omnibus tamen, sed iis maxime, quæ ferociores, & mordaciores esse solent, nempe quò plus bestiae sunt.

Animo ingenuo voluptuosius est, ignoscere. Memoria misericordiae delectat perpetuò ex recordatione rei bene gestæ, solatium virtutis affert, & gloriam. Nosce te ipsum, vetus proverbium est. Injuria læsus speculum consule; injuriosum te videbis in Deum, qui hominis injuriam mortem tuam putas. Semper in sese homines,

fem-

semper in illos decertabit ira Dei. Væ illi, qui Deum præveniendum putat, & præripiendam vindictam, quam sibi soli reservavit justus Judex. Fac tu homini, quod tibi ab homine fieri velles, & quod à Deo vis. Injuriam tuam vindex, & vindictæ impatiens, quam Deus promisit ultionem, tuam tibi commutas in pœnam; cum liberum tibi sit, ignoscendo hostis crimen in tuam vertere salutem. Ulciscendi studio plerumque multiplicantur inter agnatos, & amicos majora injuriarum incitamenta. Volent ipsi, quod tu voluisti, nihilque discriminat propensum in vindictam animum, quàm differentia potestatis, cui tamen etiam in Principe fidendum nunquam. Sæpè ab infimo vitæ periculum est supremo & Regi, & Principi; nempe prodigus vitæ suæ est dominus alienæ. Lugèt hodiedum Henricos suos Gallia; nec ullum penè Regnum, aut Provincia est, quæ non funebrem hunc luctum induit, frustra sæviante in perduellem carnifice, frustra dolente republica, regio sanguini parentari plebeiô, & ortum ex parvis initiis immensum malum. Unô ultionis actu multi offenduntur, ex condonatione injuriæ sæpè amicorum fit quæstus, novis obsequiis defectum prioris compensabunt, ex generosa ob-

livione primæ injuriæ tenaciores posterioris reverentiæ. Melius est, plures sibi devincire hostes, quàm unum è medio submovere, cui hydræ capita succrescunt totidem, ut vix Herculem invenias, qui omnibus unus sufficiat. Si in plures sævire te prima necessitas impellit, jam omnium hostis eris. Nihil pretiosius sanguine civium. Opes, & thesauros perdas licet, leve erit, quousque sanguini peperceris. Indignum Principe est sævire, Dei, & Principis ignoscere.

Magna est virtus, inquit Sanctus Isidorus, si non lædas, à quo læsus es: magna fortitudo, si læsus remittas: magna gloria, si cui potuisti nocere, parcas. Singula resumamus. Virtutem hanc abundè exercuit Sanctus Rex David. Pepercit Sauli, in tentorio dormientis vitæ arbiter, ablato spolio contentus, ut Saul agnosceret denuò, quantùm David ignoverit. Eodem quis fuit fortior? ursum & leonem interfecit puer magno animi & corporis robore, latratum canis, maledicta Semei, projectos in se lapides nec vindicavit nec vindicari passus est jam Rex, qui prius excusso lapide giganteam molem, ac ambulanti officinam ferream prostravit.

Glo-

Gloriam verò, quæ ex neglecta ultione accipitur, Oratorum Princeps Cicero in Julio Cæsare & laudat, & probat. Acerrimus Julio inimicus erat Marcus Marcellus, huic tamen, cum nocere maximè posset, minimè voluit, quod factum præclarissimis omnibus Cæsaris gestis anteposuit hoc encomio : (1) *Nullius, inquebat, tantum est flumen ingenij, nulla dicendi, aut scribendi tanta vis, tantæque copia, quæ non dicam exornare, sed enarrare, C. Cæsar, res tuas gestas possit: tamen hoc affirmo, & hoc pace dicam tuâ, nullam in his esse laudem ampliore, quàm eam, quam hodierno die consecutus es.* Ne adulari videretur Romanus Consul, laudis evicit veritatem argumentis duobus, unum erat : *Quoniam in armis militum virtus, locorum opportunitas, auxilia sociorum, classes, commeatus multum juvant, maximam verò partem quasi jure suo fortuna sibi vindicat, & quidquid est prosperè gestum, id pænè omne ducit suum.* At verò hujus gloriæ, C. Cæsar,

FFF quam

(1) Orat. pro Mar. Marcell.

quam es paulò antè adeptus ; socium habes
 neminem , totum hoc , quantumcunque est ,
 (quod certè maximum est) totum est tuum , ni-
 hil sibi ex ista laude Centurio , nihil Præfectus ,
 nihil cohors , nihil turma decerpit : quin etiam
 illa ipsa rerum humanarum domina fortuna in
 istius se societatem gloriæ non offert ; tibi cedit ,
 tuam esse totam , & propriam fatetur.

Alterum, quod adducit Cicero, fundatur in eo, quod à
 Spiritu sancto per Salomonem declaratum est. *Melior est
 patiens viro forti, et qui dominatur animo suo, ex-
 pugnatore urbium.* Quod Cicero stupendâ suâ facun-
 diâ ita explicat. Cæsarem allocutus : *Domuisti Gentes
 immanitate barbaras, multitudine innumerabi-
 les, locis infinitas, omni copiarum genere abun-
 dantes : sed tamen ea vicisti, quæ & naturam,
 & conditionem, ut vinci possent, habebant ; nul-
 la enim est tanta vis, tanta copia, quæ non fer-*
 ro,

ro, ac viribus debilitari, frangi que possit; verum animum vincere, iracundiam cohibere, victoriam temperare, adversarium nobilitate, ingenio, virtute præstantem non modò extollere jacentem, sed etiam amplificare ejus pristinam dignitatem, hæc qui faciat, non ego eum cum summis viris comparo, sed simillimum Deo judico. Quibus subjungit: *Et cæteros quidem omnes victores bellorum civilium jam antè æquitate, & misericordia viceras, hodierno verò die te ipsum viciisti.* Sequitur proin sententia infallibilis, summæ virtutis, fortitudinis singularis, ac gloriæ immortalis esse monumentum ignoscere, vindicare cum possis, uti sensisse injuriam acerbius, ac doluisse, animi minùs fortis, & imbecillis testimonium.

Hæc Ethica circa vindictam injuriæ contra Politicam, quæ cum nec omnia posset negare, probare nec vellet omnia, subridendo temperavit utriusque opinionem, & quod Politicorum est, in stapede, sive in arena & Princi-

pi, & sibi consuluit, suadendo, injurias graviores puniendas esse supplicio, minores dissimulatione.

Sermo hic non de ea dissimulatione est, qua aliqui vulpina pelle utendum putant, cum Leoninam attingere non possunt; satis sibi cautum rati, clam dolis, ac fraudibus agere, dum vires in apertum hostem non sufficiunt, quod semper Principe indignum est. Nec etiam de illa, qua Principes se contemptui exponunt, populo semel persuaso, Principem irasci non posse. Ea optima est Principis dissimulatio, quæ Regibus ita propria est, ut sine ea regnare nesciant. Qui probè dissimulat, omnes complectitur virtutes, omnibus affectibus humanis superior, qui violentiam in animo elicere possunt. Qui vacuum his passionibus mentem possidet, dissimulabit prudenter, regnabit feliciter. Ira, rectum quid sit, cernere non patitur. Odium ad iniqua impellit, amor judicium impedit, trahit ad vim inferendam libido: stimulat ad vindictam dolor, invidia præcipitanter agit, sui nimia præsumptio occludit aures consiliis. Omnia hæc Principibus periculosa etiam discreta, & separata, cum junguntur, periculosissima sunt. Qui prudenter dissimulat, his vitis omnibus

bus impervius, ut saxum impenetrabile, tela rejicit in offendentem, ipse non offensus, punitque non puniendo, motu tam efficaci, ut lædens tacito rubore suffusus injuriæ atrocitatem plus sentiat, quàm læsus; imò, ut sæpè prudens Principis dissimulatio ex hostibus amicos, ex alienis suos, & ex infidis fidos efficiat. Sed, ut dixi, prudentis in Principe dissimulationis hæc gloria est, quam non alio, quam Politicæ, & Ethicæ sententiæ ductu, ac consilio assequimur. Habeat illas, quisquis regnat inseparabiles negotiorum suorum comites, ac ex his gloriosissimum virtutum Regiarum Gynæceum sibi constituat; sæcunda semper triumphis, & publico applausu sic erit regnandi ratio. Nemo in altum pelagus navim educit sine velis, sine remis. Nemo remis utitur, dum venti in vela sufficiunt. Qui spontè, & ultrò ad deprecationem injuriæ fertur, mitiore fruatur aura veniæ, non castigandus vindicta remorum. Cum verò aura lenior navem destituit, remigum auxiliò ea in viam promovenda est; dum lenitas regentis officit Republicæ, utendum rigore justitiæ; cavendum tamen, ne, dum punis etiam justè, sævire videaris. Bonus nauclerus prudenter utitur modò his, modò illis.

Ggg

Prin-

Princeps, ut feliciter regnet, probè sciat & ignoscere, & vindicare. Evitet autem præcipuè in rebus peragendis segnitiam. Periculosissima est navigantibus ipsa maris malicia, periculosissimum regentibus otium. Adde pro Coronide dictum Platonis: (2) *Primam, & optimam esse victoriam, ut se ipsum quis vincat, turpissimum verò & pessimum, ut à se ipso uincatur.* Quod idem est cum eo, quod Ptolemæo Ægypti Regi (3) unus è septuaginta duobus illis sacrorum voluminum interpretibus dixit roganti, quid Regibus esset difficillimum, & hodie dum quisque experitur:

Se ipsum vincere.



DIS-

(2) *lib. 4. de legibus.* (3) *Aristeus de 72. Interpr.*

DISCURSUS V.

PARS SECUNDA.

POLITICO - HISTORICA.

LUDOVICUS
IMPERATOR.

Agni animi proprium est, placidum esse, tranquillumque, ac injurias, offensasque superando despiciere. Vidit olim Europa omnis, & hodiedum miratur posteritas singularem hanc animi mag-

nitudinem in Ludovico Bojorum Ducum hujus nominis Quinto, Romanorum Imperatore Quarto. Navigabat ille à juventute sua ad seros usque annos in mari turbulenti-
tissimo, omnesque injuriarum tempestates expertus, mo-

dò demissis velis elusit ventorum irruentium rabiem, mo-
 dò iisdem reductis, mitiori aurâ priora reparavit fastidia,
 modò etiam remorum impetu tumultuosos, si non omni-
 no compescuit, fluctus, fregit certè, & superavit. Dixi
 in prima parte hujus discursûs, nil citiùs juvenescere bene-
 ficiis, consenescere nil citius injuriis. Ludovicus alia ex-
 pertus, alia & fecit. Inter injurias juvenescebat, adolef-
 cebat, & senescebat, eæque videbantur ab ipsis annis in-
 crementum suum accipere. Ipse tamen in omnibus major
 injuriarum contemptor, quàm ultor, plus beneficus,
 quàm vindex. A juventute in beneficia, & clementiam
 pronus semper oblivisci voluit, quas alii identidem reno-
 varunt, offensas, ita, ut vulnus nec cicatrice obduci po-
 tuerit, quin refricaretur, vel augetur novo, magno Re-
 gibus, ac Principibus exemplo, Regem sæpe ex ipsis inju-
 riis, sive justâ pænâ, sive prudenti lenitate probè superatis,
 majorem audire, quàm ex fama constantioris fortunæ.

Nullus amor æquior fraternô, nullum, ubi incede-
 rit, odium iniquius, nulla acrior invidia, nulla injuria ve-
 hementior. Hanc tulit à fratre Rudolpho Ludovicus ju-
 venis, & acerbùs tulit, quia Mèchtildi matri suæ commu-
 nem

nem à filio eodem Rudolpho. Hic Ludovicum sub matris potestate pupillum aggressus, dum tutor esse voluit; hostis fuit, & matre, & fratre, ex arce Schiltberga captivis Monachium abductis. Nec satis. Fratrem etiam in Provinciarum fortitione plurimum circumscripsit. Ipsa mater filiò, urbibus, & Castellis, quæ pupillari administratione tenuerat, à Rudolpho per vim spoliatur. (1)

Primus gradus pietatis est iste, ut, quos authores tibi voluit esse Deus, eos honores obsequiis, abstineas contumeliis. Ne vultu quidem læden-

da est pietas parentum. Vicissim primus gradus ad omnia crimina injuria in parentes, odium in fratres, nulliusque illi vel pudor, vel timor est criminis, qui in hoc non erubuit, non expavit. (2) *Maledictus Deo, qui*

exasperat matrem. Omnia sequuntur mala eum filium, qui, ut ait Seneca, *inter execrationes crevit parentum.* Rudolphus in matrem, & fratrem impius noluit superesse, quod pejus ageret. Ottlingerum raræ

prudentiæ virum, Ministrum, qui matri consiliis aderat, diu ægrè passus, tandem occidi jussit, non homicida tan-

H h h

tum,

(1) *S. Ambr. in Matth.* (2) *Ecc. 3.*

tum, sed maternæ famæ, & innocentiaë parricida. Acerbiffima hæc injuria in tam tenera ætate pupillo illata, peffimum Ludovico omen fuit, quid fperaret à fratre in annis provectioribus. Ceffit tamen Rudolpho cum matris etiam confenfu, poffeffiones per vim adeptas, ufquedum Albertus Cæfar, Mechtildis frater, & matri tutelam Ludovici cum bonis dotalibus reffituit, & ipfi Rudolpho in aula Cæfaris retento, captivo potiùs, quàm hofpiti, curatorem dedit, ademptâ vectigalium, & totius Reipublicæ adminiftratione. Dura hæc fuère Ludovici rudimenta tolerandæ injuriæ, manebant majora; crevit enim in Rudolpho invidia ex fuccrefcentibus in Ludovico virtutibus.

Sub quo tutore Ludovicus foret pupillus, prima Ludovici injuriarum caufa fuit; fecunda, qualis tutor ipfe effet aliorum pupillorum. Ottone Rege Hungariæ, & Stephano, Ducibus Bojariæ extinctis, relictisque hæredibus, iisque parvulis, agebatur de tutore. Mater pupillorum, ac Primores Provinciarum in Fridericum Auftriæ Ducem refpiciebant. Civitates Bojariæ inferioris cum Nobilibus optabant Ludovicum, & prævaluère. Lis demum pervenit ad arbitrium armorum. Militabant Fri-

de-

derico Comites Auftriæ, Styriæ, Moraviæ, & Carinthiæ. Ludovicus ne quidem fratrem auxilio habuit : habuit autem causæ suæ vindicem Deum. Commisso ad pagum, qui dicitur Gomelsdorf, præliô, hostem internecina clade delevit, captivis Comitibus de Schawnberg, Comitibus de Rez, Comitibus de Hals, Comitibus de Walse, de Capella, de Meiffau, de Churring, ac penè omnibus Nobilibus Auftriæ, Styriæ, Moraviæ, Carinthiæ, ac Primoribus Bojariæ, qui Friderico juravêre. Potens victoria tam insigni Ludovicus, potentior fuit in oblivione, quàm vindictâ injuriæ. Repeto verba chronici, majori veritate, quàm elegantiâ styli pro Ludovico facundi. Ille sic ait : *Ipse Ludovicus Dux inclytus, quos, ut leo, domaverat, & viriliter vastaverat, misericordiâ motus,* (nota hîc finem, & propositum discursûs, & exempli.) *Omnes hæreditatibus suis instaurat ; nam semper erat animo propitius, & strenuus, in commisso fidelis, universa morum honestate præclarus, et, quos in vinculis habebat, absolvit, pacem, et amicitiam Dominorum suorum eis impe-*

travit, & omnes liberos cum maximo gaudio abire permisit. Et, ubi se invicem inclyti Duces Ludovicus, et Fridericus facie ad faciem viderant, facta est inter eos pax, et concordia, in oscula, et amplexus amicabiles ruunt, et quasi se super modum ad invicem diligunt. Est sæpè sine præmio virtus, nunquam sine merito, &, dum hostes incitat ad invidiam, ex ipsis hostibus accipit gloriæ incrementum. Ignoscere, non vindicare injuriam, vincere, & victis favere tantùm profuit Ludovico, quantùm obfuit æmulis honorum, non virtutis. Repeto dicti chronici verba post partam à Ludovico victoriam: *Unde factum est, ut ad famam, vacante Romano Imperio, Electores, cùm de tam laudabili victoria audirent, animos inclinarent, veritatem factis comprobarent, et se eligere pro Rege Romani Imperij Virum tam victoriosum, videlicet Ludovicum, inclytum Ducem Wabariæ ad invicem reformarent.*

rent. *Sed prò dolor! facta est inter eos discor-*
dia; unde Ecclesiæ exsurrexit magna inopia.
Nam Electores diviserunt se in duo; una pars,
videlicet sanior, eligit inclytum Ducem Ludovi-
cum Bavarum, & pars altera Ducem Austriæ
Fridericum. Dux Ludovicus habebat voces quin-
que, Dux Fridericus tres. Ita Chronicon. Hæc
 repetere in omnibus Annalibus pro diverso cujusque affe-
 ctu satis notata, & antiquam recoquere cramben, hic non
 vacat; sed unice proposito meo ulterius inhærere. No-
 tum est omnibus, Ludovicum regnâsse Imperatorem,
 quantumvis obstreperent gloriæ æquè æmuli, ac invidi;
 sed non omnibus curæ est, dispicere, quo merito accepe-
 rit, qua virtute gesserit, & qua lenitate sibi conservaverit,
 supremum Imperii decus, protector dignitatis suæ, non
 usurpator, vindex Imperii, non ultor injuriarum, quibus
 & ipse Imperator, & ipsum Imperium continuò peteban-
 tur. Primus coronæ Imperialis candidatus fuit Frideri-
 cus, cujus copias nuper profligaverat Ludovicus. Novo
 amicitiae fœdere sanatum videbatur æmulationis vulnus;

in Friderico tamen ipsa cicatrix irritabat dolorem prioris , dum metuendum putabat novum. Friderico accessit Rudolphus frater Ludovici , æmulis omnibus pertinacior. Horreo , dum refero. *Fratres concordēs omni pariete esse fortiores* , dicebat Antisthenes. Quid dicat de fratre in fratrem arietante ? an resistet paries , in quem frater , ut corruat , & suas , & alienas impellit vires ? Cave sis Rudolphe , stabit fratris gloria , vana erit , sed infamis tua invidia. Quem ex alienis tibi fidum invenies , si tuis hostis fueris ? qui fallere est ausus parentes , & fratrem , qualis erit in cæteros ? qui fratribus præteritis alios sibi amicos inquirunt , iis similes sunt , qui , relicto suô agrô alienum colunt , vivunt precario , alieni favoris spreta mancipia , qui se parentum , fratrumque amore , vel spe melioris , vel invidiâ fraternæ fortunæ emancipant. Sed furdo omnia. Rudolphus non decere ratus , fratres , ut lances in statera , alterô humiliatô , alterum extolli , iniquissimum putabat , in electione ad Imperium præferri primogenito natu minorem ejusdem sanguinis ; ideoque nullum non movebat lapidem evertendæ electioni. Pessimum principium , fratris gloriam , suam putare injuriam. Ut in bi-

lance

lance altera insurgit, altera cedit, ac deprimitur, ita frater electo ad majora fratri cedere debet, submittens se, non repugnans. Nempe frater observiens fratri electo ad honores, & auget illius dignitatem, & vicissim ornatur illius splendore. Electo igitur, ut dictum, Imperatori Ludovico opponitur, urgente ut plurimum Rudolpho, Fridericus. Ille in urbe Caroli Magni, &, quod bene notandum, in avito folio, more Majorum inauguratus; hic (3) ad unam civitatem, quæ dicitur Pung, coronatus in campo super uno dolio, & proclamatus in Regem. Duravit hoc schisma usque in octavum annum, quo tempore uterque variè variam fortunam expertus, litem tandem præliò decretoriò finiit. Sic gladius jus dixit, vel potius jam antea dictum Ludovico confirmavit, captusque Fridericus in castro Trausnitio juri suo renunciavit. Meum non est, vel pugnam, in qua Ludovicus de æmulo triumphavit, vel, quæ captivo Friderico acta sunt, vel etiam acceptæ libertatis leges, à Friderico subscriptas, inutili narratione describere. Satis hæc agitata ab Historicis, nemini amplius ignota sunt. Vindictam injuriæ, vel potius vindictæ modum examinare, mei est propositi. Mira-

(3) *Dissum Chronicon, f. 42.*

culo (4) proxima mortalibus visa comitas est, qua Ludovicus Trausnitium profectus, Fridericum ultro ad amicitiam invitavit, usque adeò, ut sint, qui asserant, æquatum Imperii jus inter Ludovicum, & Fridericum, communicatum nomen Regium, pactumque fuisse consortium Cæsareæ Majestatis; unde Ludovicus semper mitis, humilis, pius, prudens, & circumspectus audit. Laudanda sanè fuit in Friderico datæ fidei integritas, licet dein in libertate constitutus à novis Ludovici hostibus in societatem belli sollicitaretur; sed laudanda magis Ludovici modestia, qua captivum tenuit. Ea fortassis Ludovico speranda non erat, si fors iniquior cladem, cladisque sequaces tristiores casus Friderici in Ludovicum congestisset. Majoris profectò iræ indigna penè dedit exempla Leopoldus Friderici frater, qui in Monasterio Fürstfeldensi, ubi tristem fraternæ cladis nuntium accepit, aliquosque è suis exploratoribus ad Fridericum missis ibidem detentos fuisse agnovit, Volemarum Monasterii Præsulem ter nudatum, ter virgis cæsum tanta tractavit sævitia, ut non nisi famâ devicti, captique fratris ultimos cruciatus inhibuerit, dato tamen Magistro suo Equitum mandato, ut post abitum

te-

(4) *Annal. Fürstfeld. Cuspinianus.*

rectis ignem subjiceret, qui verò reverentiâ Religionis infame imperium vel elusit vel contempsit.

Ludovicus victoriam à cælo datam nec acerbiorè ultione injuriæ corrumpere, nec victor eâ in captivum agere voluit, quæ sibi patienda fuissent victo. Hac Principibus penè insolita moderatione arridentis fortunæ, & ultronea in captivum comitate (nec enim vi vel illatâ, vel inferendâ adigebatur) Ludovicus se verum Imperatorem gessit, qualis à Philosopho requiritur: *Principatum gērens, ne reminiscaris injuriarum, & dissensionum, si quæ priùs cum aliis tibi intercesserunt. Non enim ad regnandum promotus es, ut te ipsum ulciscaris; verùm, ut imperiò tuò subditos etiam ab aliorum injuriis securos, atque tutos custodires, & ut custos recti, & magnæ Deæ, Justitiæ minister, ac interpretis. Itaque si quid admisseris præter ejus sententiam, aut deceperis ipsam, velut in Deam maximam delinquens, tum ab ipsa, tum à constitutis circa eam Geniis custodibus, &*

ultoribus, pro factis vindictam expectato. Ecce! quid sentiat Philosophus de Geniis Justitiæ custodibus, quod idem nobis est de Politica, & Ethica Regum consiliariis. Ecce! quid Principibus agendum, cavendumque in occasione vindictæ, & oblatae ultionis. Singula in Ludovico probè observata, posterorum singulis uti exemplo, ita documento sint. Redeo ad Rudolphum, fortè & hunc reconciliandum Ludovico.

Quæ facilior inter fratres, ac constantior deberet esse vel reconciliatio post injurias, vel restauratio fraternæ charitatis, & mutuæ amicitia, sæpè vitiô nostrô, non naturæ, est difficilior. Rara plerumque concordia fratrum; & fortè mos, aut labes est sæculi vetantis, reconcinnatæ amicitia fidere, quæque alia hodie in rebus humanis mortalium circumspectio pessimè suadet, frustra dissuadet candor, & integritas, sæpè à fratribus plùs, quàm ab aliis damnata. Grave, sed antiquum malum, quod & mundus, & mundi caput ab initio suo habuère; siquidem vetus urbis Romæ, sed vetustior ipsius mundi infamia est, fraterno sanguine maduisse. Certè in ipsis materni uteri angustiis non discordes tantùm legimus fratres,

sed

sed bellantes. Novum igitur non est, si, quod necdum nati, armati faciunt: novum, dico, non est, sed semper exitiale. Nec enim Rudolphum, quem fratri Ludovico reconciliem, ullibi invenio, fatentur & ipsi annales, se ignorare, an inter Austrios, Anglósve exul contabuerit comite invidia, per quam patriâ carere maluit, quàm fratrem videre felicem. Ergo defuit Ludovico ultionis occasio, Rudolphô spontè profugô, uti illa defuit gloriæ, qua injurias, gloriosa oblivione, fratri condonaret? Minimè: utrumque Ludovicus authoritate Imperatoria præstare poterat: præstitit ultimum, non vindex, sed amicus. Odia, & injurias omnes fratris oblitus, fratris filios, nepotes suos, paterno amore complexus est, ac jacturam, tristésque patris casus, plùs, quàm sperare poterant, reparavit, ex patruo pater, beneficiis in filios compensans odium patris. Divisis ex æquo Provinciis, Rudolphum, & Rupertum, alterúmque Rupertum, Adolphi nuper mortui filium, in omnia Principatûs jura, quæis Rudolphus pater suâ culpâ excidit, restituit, additô augmentô, quo & his, & eorum filiis suffragium septemvirale, alternis vicibus ferendum, confectis desuper tabulîs, ob-

venit, magnô dein posterorum suorum præjudiciô, ita, ut, dum Rudolphi filiis optimus pater Ludovicus fuerit, suis penè vitricus esset, transeunte in debitum gratuito munere. Gloriosiorem vindictam omnibus æmulandam Regibus, & Principibus, quis unquam vidit? Rara hæc avis in terris, in Imperiali Aquilæ Bojcæ nido adolevit, & consenuit, usque adeò, ut nec illius candorem nigerrimæ ad Summum Pontificem Ludovici delationes mutare, nec ipsa, non è Vaticano, sed ex turbulento Avenionis aëre vibrata fulmina ipsius pietatem evertere potuerint. Adeò tamen periculosa est potentium, licèt falsa, accusatio.

Nonus jam annus Ludovicum ab Imperii Septemviris electum vidit Imperatorem; necdum Pontifex electum agnoscere voluit, qui sine suo in electionem assensu eam neque ratam, neque probatam putavit, datô etiam trimestri spatiô diluendis aliis vexis, vel ponendæ Cæsareæ dignitati, non resumendæ, nisi ex arbitrio Pontificis. Habuit æquè, ac professus est Ludovicus Summo Pontifici obedientiam, reverentiam, & devotionem, non minùs tamen cavet sibi, & posteris, ne status Romani Imperij, jura, res, & honores minuerentur, quod tum per

Ora.

Oratores suos ad Pontificem Avenionem missos, tum per declarationem publicam Norimbergæ factam abundè explicavit. Antequam tamen ad istam declarationem Ludovici procedamus, juvat inspicere codicillos responsi Pontificii, quos legati Avenione reduces Ludovico, congregatisque Principibus exhibuere mirè stupentibus, sacrosanctis Ecclesiæ censuris ad privatos affectus deductis. Responsum Pontificis: Officii mei ratio exigit, ne jura Ecclesiæ interverti patiar. Nequaquam Ludovico infensus sum, & in eo servo affectum filii, quem publicis ille offensis extinguit. Nam cum contra jus, & fas, *privatis auspiciis* Imperii gubernacula invaserit, durante interregno ad Sedem Apostolicam spectantia: modò cum Vice-Comitibus Mediolanensibus, ab Ecclesia projectis, societatem armorum contraxerit: Ferrariam denique Sancti Petri vetus patrimonium in clientelam acceperit, in ultima remedia propulsus sum: quia tot facinoribus aliter subvenire non poteram. Si jura Ecclesiæ salva vellet, si contumaciam poneret, non arrogasset sibi titulum Cæsaris in codicillis, quos ad me detulistis. Renuntiate igitur illi, si sana consilia pati possit, regno cederet ad ipsum non

pertinente *absque auctoritate Apostolicæ Sedis*. In eam rem tres menses edicto præstitui, qui jam prope modum expirant. Verùm enimverò etsi illum à me impetrare nihil oporteat, utpote re ipsa convictum: ne tamen per omnia durus, reùmque velle præcipitare videar, unum; alterúmve mensẽ adjicio, scituro, nisi intra illud spatium morem gesserit *imperio meo*, librata me fulmina in caput ejus excussurum. Ita Summus Pontifex, ad quale responsum hæc erat Ludovici declaratio.

Hactenus me erga Sedem Apostolicam ita gessi, ut nihil officii desideretur, quod in colenda ea non impenderim. Joannem Pontificem, ut par fuit, veneratus sum, patrisque loco semper habui; in spem adductus, benevolentia fructum, quem ex me per tot officia perceperat, mutua charitate compensaturum. Sed longè aberravi à destinatione mea. Unde mihi præsidium quæsieram, creatum periculum esse video. Quod enim nunquam putâsem, ut in Romana Curia de factis meis ageretur, Legati, quos scrutaturos dimiseram, omnia incredulo aperuere. Fortuna mea in discrimen vocata est. Justus sum diadema deponere, quod tot annis legitimè possedi, &

in optima causa gladius quoque bellanti adjudicavit. Vulgata sunt atrocissima edicta. Librata fulmina, & in caput meum promissa. Adhuc tamen nemo absentem ad dicendam causam citavit, & quod pro omnibus leges valent, uni Imperatori non contigit. Ne tempus quidem idoneum præstitutum est, quo possem me ad defensionem instruere. Nihil rectè, atque ordine factum: qualitercumque tamen factum, non nisi summa cum injuria mea, cum pudore, & contemptu Imperii, publicoque scandalo potuit accidere. Quid enim inde aliud expectes, quàm dissidia, & contentiones, quibus pace publica foedè excussa, ab Ecclesia dissocietur Imperium infami divortio? Hac autem secessione quid acerbius? cùm distractæ civium mentes, hinc in Cæsarem, inde in Pontificem maledictis & contumeliis insurgent? Si quid Pontifex peccatum crediderit, potuit mecum agere humaniùs, & primùm quidem admonere debuerat paterno affectu; deinde increpare acriùs contumaciter cessantem, consumptisque omnibus aliis ad extrema demum pervenire remedia. Quis unquam pater sic exarsit in filium, ut non expectaret ab eo poenitentiam, vel non admitteret pro innocentia sua di-

Eturum, priusquam abdicaret à familia? Ille verò in filium
 Ecclesiæ summa potestate præditum, tam animosè acuit
 decretorium stilum, ut inter optimam causam, & iniquis-
 simam litem destitutus, prius me damnatum senserim,
 quàm reum esse. Neque adhuc satis invenio, quid impru-
 dens fecerim repudiò dignum, aut cur supercilium illè su-
 um in me tantopere exasperet. Quidquid enim edictò
 suo complexus est, injuriæ sunt, & falsis causis adumbrata
 commenta, quibus innocentiam meam insimulat. Usur-
 passe me ait titulum, noménque Regis citra auctoritatem.
 Ait, discordibus Septemvirorum suffragiis vacare Imperium,
 & quoties interregnum esset, ad se spectare administrationis
 summam, quam privatis auspiciis ipse invasisset in necem
 Ecclesiæ. Ait denique, me Galeacio Vice-Comiti, ejusque
 fratribus hæresis crimine damnatis, aliisque Ecclesiæ rebel-
 libus accessisse auxilio. Hæc sunt crimina mea, quæ tam
 atrociter persequitur. His scilicet flagitiis impulsus repos-
 cit à me sceptrum, jubetque intra trium mensium spatium
 ad privatum statum reverti, & quidquid hæctenus gessi,
 in integrum restituere. Nec tot contumeliis fatiatus, sub-
 jectos, & clientes Imperij, sacramento liberat, omnium
 devo-

devotis capitibus, qui obediētes mihi essent, aut ad reverentiam majestatis se reciperent. Addit præterea, ipso jure incidisse me in hæc supplicia, liberumque sibi esse vult, etiam ante lapsum spatium designati temporis ab Ecclesiæ gremio convictum projicere. Ego profectò rectè mihi conscius sum. Et, si maximè, quæ objiciuntur, veræ essent, nullum tamen crimen subesse video. Titulum Regis meritò usurpavi, atque etiamnum usurpo, haudquam depositurus, priusquam fata morienti detraxerint. Ritè electus, ritè inauguratus sum. Ea res me fecit Regem, simul etiam administrationem contulit. Ita enim jubent leges. Nec aliis moribus in Germania vivimus. Nemo hic unquam dubitavit, nec hodie dubitat, Regem esse, quem legitima electio Caroli Magni folio imposuit. Usque adeò, ut pro infano habendus sit, qui populi aures auderet imbuere ejusmodi prodigiis. Quod igitur meum delictum? Nihil ex vetere more mutavi, nec juris quidquam usurpo, quod in Regibus antea non fuerit. Licuit mihi, ex quo inauguratus sum, Imperii possessionem ingredi, clientes in fidem admittere, vacua beneficia conferre, antecessorum meorum exemplo, & ab antiquissi-

mis Regum accepta consuetudine. At enim confirmatus non sum. Non sum repulsus quoque. Jamdiu consensum Pontificis imploravi, electionis meae tabulas repraesentari illi jussi. Igitur noxae esse non debet, si per tot annos ille distulerit, quod jure mihi negare non poterat. Verum enimvero ne hoc quidem simpliciter concesserim Pontificis partes esse, electum admittere, vel rejicere. Et ut hanc illi demus potestatem (quod utique non credo) non esset tamen arbitraria. Sed tum demum exercere posset jus suum, cum per querelam, vel appellationem, vel alio quovis modo adductum esset coram ipso in controversiam negotium: vel, si forte infulas imperiales petentibus haberet legitimam recusandi causam, ipsisque legibus nominatim expressam. Sed nihil horum in me cadit. De fortuna mea apud Pontificem non litigo. Nihil commisi in leges, ex quo repelli merear. Quid igitur habet, quod libellum repudii mihi scripserit? quia scilicet nomen Regis usurpavi, quia reipublicae manus imposui, priusquam ille Auctor fieret. Si tamen excutiamus leges, procedunt ista ab electione. Nihil juris Pontifex confert. Sed tantum detegit justitiam electionis, suoque assensu la-

tiùs commendat. At contendit, me in discordia electum, & proinde vacare imperium, ejúsque administrationem ad Ecclesiam devolvi. Decimus annus agitur, ex quo in finum meum respublica concessit, summámque ejus gubernano. Tot ad Pontificem litteras dedi, quibus titulum Regis nomini adscripsi, & nunquam mihi controversiam fecit. Quid nunc demum somniat in discordia electum, qui plura in me suffragia numerem? Quomodo potest vacare Imperium, quod tamdiu ipse infideo? Quid jam incurrit novi? cur diadema abjicere debeam, ut meis spoliis ille exultet? quando tibi hoc jus Ecclesia asseruit contra exploratam majorum auctoritatem? sed quid miror hæc commenta? nam & me, qui post religionem semper omnia ponenda duxi, hæreticorum fautorem contumeliosè appellat. Si quid mihi cum Vice-Comitibus fuerit, divinare tamen non potui, ab Ecclesia damnatos esse. Nemo enim certioravit. Impunè igitur ignorare licuit, quod, etsi maximè scissem, in crimen tamen imputari non poterat. Velim autem scire, quibus aliis rebellibus adfuisse coarguar. Quare non nominat illos? qui sint, unde venerint, conjecturâ assequi me hercule non possum. Nisi

fortè appellet Ecclesiæ rebelles , quos imperii clientelæ ob-
 strictos nuper ipse sollicitavit ad defectionem ; quique fi-
 dem servare maluerunt , quàm infami proditione ad illum
 desciscere. Superiori anno cùm misissem in Italiam , qui
 cum Cardinale Portuensi de pace agerent , homo ille su-
 perbissimus , certè turbulentissimus , Legatos meos tam
 contumeliosè à se repulit , ut parùm abesset , quin rupto
 jure gentium læderentur , muneris sui sanctitate inviolabi-
 les. Posthac Mediolanum obsidere cæpit , redacturus
 in potestatem , nî obstitissent iidem Legati , quibus in om-
 nem eventum præsidium militare adjeceram. Hæc sunt ,
 nî fallor , auxilia , in quorum ultionem confurgit , sceleris-
 que contagione pollutum infamat. Quidquid tamen fe-
 ci , meum esse negotium credidi , imputavi que imperio.
 Vice-Comitum gratiæ nihil tribui. Nulla mihi cum illis
 amicitia est. Officii mei esse duxi , imperii urbem ex ava-
 ris hostium eripere manibus , ne cui alteri , quàm Impera-
 tori cogere fasces submittere. Quoniam verò Ponti-
 fex tam protervè mihi exprobrat Hæreticorum tutelam ,
 expendat , obsecro , & videat , an non ipse potiùs dicen-
 dus sit fautor , & dissimulator hæreticæ pravitatis , quæ

totam inficit, turbátque Ecclesiam. Nuper, cum Episcopi questi essent in Romana Curia, secreta confitentium peccata à fratribus Minoribus in publicum proferri, violatóque Sacramenti silentio absterri homines à pœnitentia, non tantum Pontifex huic malo non subvenit; sed infami tergiversatione scelus dissimulans, patrocinium tandem innocentium amplexus est. Sed, quæ ad officium ejus pertinent, transeo. Nemo est tam stolidus, qui non videat, quid ille sibi velit, & quò vergant hæc consilia. Romano Imperio obliquè imminet, sub specie juris, quod à me protritum incusat, ut, cum alterum Christianæ reipublicæ oculum effoderit, sceptrum cum sacerdotio confundat, sua cuique fata distribuatur, denique ipse dominetur solus. Impressa igitur sunt altissima vulnera, quæ meo casu Imperium obruent. Et ideo ab ejusmodi edictis, minisque, & terriculis, non jure, non solemnari ritu, non majorum more in caput meum intemperanter vibratis; præterea à tot importunitatibus, & injuriis, quibus onerat innocentiam meam, famamque, & existimationem fugillat, jure, meritóque appello. Et, si quis sit, qui Apostolos præstare possit, iterum atque iterum flagito. Sed, quia Pontifex

immoderatiùs ufus est credita potestate, omniùmque interest, ne cum Imperio luçtetur Ecclesia, nemo est, qui ambigat, in eam rem opus esse generali Concilio. Petóque, ubi primùm licebit, communi, & idoneo loco citari Patres ad conventum, spondeóque, me non abfuturum. Hæc ex Nicólao Burguando descripta apponere, neütiquam tamen omnia approbare volui, ut pateat saltem, quæ motiva Ludovicum renitentem, sed tristiori successu oblütantem effecerint. Lite vehementiùs, quàm oportet, agitata utrimque, ac à Ludovico acerbius defensâ, peccavit quidem Ludovicus in reverentiam sanctæ Sedi debitam ex ira offensæ Májestatis, in reciprocas verborum pugnas præceps, non tamen ultionis suæ ita pertinax, quin honestissimâ Legationibûs aliis super alias repetitis, gratiam Pontificis quacûnque conditione prensaret. Statutum erat, ut Henricus inferioris Bavariæ Dux Avenionem tabulas portaret, quibus Ludovicus pollicebatur, se Pontifici ipsam coronam substraturum, si aliter, nisi abdicatione Imperii, sibi satisfactum negaret. Prævenit hanc Legationem mors Pontificis, sed iram in Ludovicum non extinxit, ita, ut hæc in duobus ejus Successoribus superites

videretur. Mitior quidem Benedictus XII, visus, qui patrociniô Ludoyici publicè susceptô, inhumanitatem, in Decessore suo damnabat, non emendabat. Satis erat, timuisse Galliaë, & Apuliaë Regum potentiam, ut Ludovicus etiam huic reus fieret. Missi ad eum Legati, Ruperus Palatinus Rheni, & Guilielmus Juliacensis, nomine Ludovici subjecêre vel abdicationem Augusti nominis, vel ditionem Asiaticam, vel ædium sacrarum molitionem, vel votivas peregrinationes, stipes, aliâve piacula, imò ea omnia, nullis exceptionibus restricta, quæ Summo Pontifici imperâsse placuerit. Effectum nihil, vix ipse credo. His Legatis successêre Episcopi Germaniaë, nova Legatione seorsim facta. Ad pedes supplices Pontifici excusêre lacrimas, non mitiorem sententiam. Professus, se Ludovico *bene velle, non bene facere posse*, manum supplici tendere non est ausus. Triste solatium filiis, quos pater, ut faveat aliis, odisse debet, amare timet. Dicere non ausim, quod aliqui putant, quousque Summi Pontifices Româ, & à propria sancti Petri Sede abfuerint, tristem plurimis fuisse memoriam Babylonicæ servitutis.

Insolitam hanc duritiem, & duram obtinendæ æquitatis desperationem patienter tulit Ludovicus, aliquô famæ, nullô conscientiæ incommodô; non item Imperij Septemviri, qui, cum pro tunc Ludovico non possent, imposterum sibi consultum voluere, & Ludovici, & dignitatis Imperatoriæ vindices. Statuere illi in publico Senatusconsulto, Imperium sacrosanctum, & proprium Dei munus, nulli hominum esse obnoxium. Septemviralibus Comitibus ritè lectum Regem, Cæsaremque jure optimo esse; Romani Pontificis approbationem, consensum, confirmationemque, ut pompas arbitrarias, ad summam rei, & conciliationem majestatis non pertinere. In his Comitibus Ludovicus publica concione testatus est, sibi Deo, fide, & Ecclesiâ nihil esse sanctius, cum aliis sinceræ pietatis exemplis.

Inter hæc succedit Benedicto æquè in odio in Ludovicum, ac in solio Petri Clemens, falso nominis omine, Incrudescibat Pontificis ira ex nova dignitate. Hanc ipse adeptus, Imperatoriam in Carolum Bohemum transferre unice contendit ereptam Ludovico, in quem jam prius, adhuc Episcopus Rothomagensis, Franciæ, & Bohemiæ

Reges invitaverat : nescio , quo fato vates funestus & sibi Pontificatum , & Carolo Imperium despondit. Missi ad hunc etiam Legati , cum Pontifici per Ludovici sententiam liberum esset , reconciliationis formulam præscribere , durissimas leges retulere. Ejuraret Cæsar post confessionem læsæ pietatis : expectaret , quæ Pontifex statueret de Ludovici capite , liberis , fortunisque. Quantum , prò dolor ! hæc averfa sunt à priscis temporibus. Eginhardus in vita Caroli Magni aliter loquitur , & sentit ; folio 165. sic ait : *Eugenius Papa decessit mense Augusto , in cujus locum Valentinus Diaconus à Romanis electus , & ordinatus , vix mensem in Pontificatu implevit. Quo defuncto Gregorius Presbyter S. Marci electus , sed non prius ordinatus est , quàm Legatus Imperatoris Romam veniret , & electionem populi examinaret.* In hoc casu videbatur Imperator , ut modestè loquar , concurrere electioni Pontificis : in illo disponit de Imperatore Pontifex. Pietate prohibemur examinare hanc Pontificiam potestatem.

tém. Sed mirari licet, tam acerbam sententiam à communi Patre latam, & tantam in filio Ludovico modestiam, ita, ut dubium sit, quæ potius laudari, vel vituperari mereatur. Neque hanc injuriam Ludovicus ultus: manû sua subscripsit sententiæ, dum contra strepitarent Principes Imperij, indignum rati, per speciem pietatis Imperii dignitatem sub jugum trahi. Legatione tamen obita a summis viris, Ludovico omnis reconciliationis spes usque ad mortem, imò suis diu post mortem negata est. Hic filere jubemur attoniti, &, dum parentamus Ludovico, illud seriò consideremus, *sententiam* (5) *excommunicationis pastoris sive justam, sive injustam, semper metuendam esse.* Vellem tamen, Clementem Pontificem minùs cordi habuisse Caroli amicitiam, plùs sententiam S. Augustini, (6) *qui prohibitionem hanc à communione non mortalem, sed medicinalem voluit.* Tu, quisquis es, ô Princeps, cave, ne incurras tam pertinax odium, imitare vindictæ modum, & modestiam.

Eje-

(5) *Gregor. in Reg.* (6) *Aug. in serm. 40.*

Ejecit in portum, non in naufragium, quod ratio, & historia docet, Ludovici in hujus mundi pelago jactatam navim aër semper inimicus, &, licèt vela aptaret ventis, ex obtemperantia impetuosior.

Adeo verum est, Principes hujus mundi, quâlisunque potestatis, magnâ parvi facere, parva magni Deum. Remis tamen etiam usus, crimina læsæ Majestatis vindicavit poenâ debitâ, ne clementia Imperatoris subditos alliceret ad nefariam audaciam. Truchsessius Altzeiensis convictus sicarius, qui telô venenatô in mortem Ludovici juraverat, rotâ concussis ossibus scelus luit, non eluit: quæ enim digna tanto crimini sit poena? quæ speranda tam criminoso infamiæ oblivio? Exiit hominem, & quidquid humanum est, tam horribile monstrum, & humanum quid sentiat in teterrimis monstri exuviis? Cras- to Hochenloius, ut sibi Austriacorum gratiam compararet, Ludovici contubernio faces subjecit. Arsit in pænam Schillingfurtum, eòusque invictum castrum. Corruant muri, exurantur arces perduellium, ut publica stet, & illæsa servetur Principum incolumitas. Huic semper li-

tandum sanguine sicarij, & in hoc uno clementiæ virtus
transit in crimen. Plures prætered minoris notæ in Lu-
dovicum injurias, ne in authores inquirere debeam; cum
ad finem meum fati sit, Ludovicum in hoc rerum hu-
manarum vicissitudinis pelago jactatum, prudenter usum
fuisse modò remîs, modò velîs. Naviga hac justitiæ, &
lenitatis cynosurâ, quisquis imperas, & uti portum felicem
promitto, ita opto tranquilliozem.



DIS-





DISCURSUS VI.

PARS PRIMA.

Rejicitur Principium Pseudo-Policum:
Oderint, dum timeant,



Enus tandem enixa est puerum, Mater Cupidinis venusta pulcherrimi. Fuere Nutrices Charites, & licet nulla deesset cura, & nullibi, crescere tamen non potuit, mansitque pusio. Solici-

ta mater ex prole jam superba erga Deas, cum etiam in prole insolens esse cuperet, nihil non egit, ut adolesceret. Remedium, ubi alias jam nullum proficeret, ab Apolline petiit. Fuit Oraculum, *amorem quidem solum nasci, crescere solum non posse.* Ut crescat Cupido, opus esse Ancerotis, quod est, mutui amoris, eam fore con-

P p p

ditio-

ditionem fratrum , ut alter alteri incremento fit , germi-
 naturum utrumque æquali propagine ex *MUTUO* intuitu.
 Iterum facunda Venus parit Ancerotem , crescit continuo
 Cupido , & jam firmo corpore luxuriat , hæsitque oracu-
 lo veritas , ut , fratre pusillo , Cupido langueret , deficien-
 te , defloresceret. *Si vis amari , ama.* Nunquam
 amor gratiosior est , quàm dum incedit purpuratus ; nec
 unquam indecorum est Regi , amore in subditos stabilire
 amorem sui ; amore enim Majestas Regum tum mirabili-
 ter ad alta surgit , cùm ad ima subditorum se demittit , &
 quæ benignè descendit ad infima , valenter recurrit ad sum-
 ma. Est Principem inter , & subditos inclinatio quædam ,
 & consensus naturalis , quæ amabilem illum reddit absque
 eo , quòd aliã diligentiam opus sit , fitque sæpissimè , ut ame-
 tur Princeps , qui odium merebatur , & contra. Si Res-
 publica se à Principe agnoscit diligere , nihil omnino erit tam
 difficile , quod illius causâ non promptissimè faciet. (1)

Amor præcipuus est , ac dilectionis vicem reddit.

Probatum ipsò Divinò oraculo : *Ego diligentes me di-
 ligo.* Ludovicus XI. Galliaë Rex regnandi scientissimus

tria

(1) *Apul. de Phil.*

tria dixit esse, quibus niteretur Principatus, reverentiam scilicet populi in Regem, justitiam Regis in commodum populi, & utriusque mutuam amorem. Statueram, percurrento singula, ultimum, quod propositi mei est, fufius commendare, cum obstrepit auribus vox carnificum: (2) *Oderint, dum timeant*, ipsi, qui primus omnium eam protulit, sava, & exitialis. Caligula spurcissimus hominum, imò naturæ humanæ abortus ita rugiit.

Alia ferina vox erat Tyberij: *Oderint, dum pro-
bent*. Utrumque stultè, & tyrannicè. Quî enim proba-
ri potest, quod odio est? Sunt tamen, qui his suffragari
audeant, putentque, *regnare nescire Principem,
odia qui nimium timet; raros esse pietate serva-
tos, plures metu. Regna custodit metus*. Pessi-
mè hi blaterones metum commiscant cum odio. In hoc,
& ex hoc omne malum, non in timore. Convenit enim-
vero quàm plurimum, metuere subditos Principem, sed
non odisse. Sine timore amor in contemptum abit, &
hebescit acies authoritatis Regiæ. Ille timor amoris, non
crudelitatis comes, qualis est odium, sit apprimè in subdi-

(2) *Causim. de Regno Dei. f. 135.*

tis ex reverentia, & veneratione natus, non is, qui per tyrannidem, & injustitiam protrusus est, *Virga tua, suspirabat ad Deum piissimus Regum David, et baculus tuus, ipsa me consolata sunt.* Quem virga feriit, sustentavit baculus. Eodem partu timor prodiit cum amore. Sic subditus, quem amabit Principem propter præmia, metuet propter pœnas. Et hic timor justus, & regno proficius est, & Regi; uti semper, & omne odium utrique exitiale. Initium primum everfionis regnorum, & mutationum in rebus publicis est odium; vicissim (3) *unum inexpugnabile munimentum, amor civium. Quem (4) metuunt, oderunt, quem quisque odit, periisse expetit.* Inter tot flagitia regnavit, vixitque Nero. Ubi amari desiit, periit. Usque adeò (5) *nulla vis imperij tanta est, quæ, premente metu, potest esse diuturna. Invisa imperia nemo sustinuit diu: et (6) multorum odiis nullæ opes possunt obsistere.* Docemur Historiis, & probatur eventibus, si parùm chari sunt Principes, vel levissima
ma

(3) Senec. de Clement. (4) Ennius. (5) Cicero. (6) Cic. de off. 2.

ma occasione in illos insurgere subditos ; *moderatos* verò, & *vivos sincero amore diligi*, & *mortuos veris laudibus ornari*. Amorem ergo in subditis requiro per timorem ex reverentia in Principem suum, per obedientiam, quæ subditos decet, & per communem curam salutis, & gloriæ Principis, qua unicè conservatur commune bonum : exécror odium, pestem & Principis, & Republicæ. *Nemo (8) fideliter diligit, quem fastidit*. Curet autem ipse etiam Princeps, ut subditi se quoque amari agnoscant per justitiam in commodum populi, & per bonam de illius regimine opinionem ; *cogi (9) ad metuendum homo potest, ad amandum persuasione opus est*. Amet, ut ametur, mutus sit amor, oportet. Rigor amari non potest : Plinius plus dicit: vult ille, ut Princeps cum civibus suis vivat, quasi cum liberis parens, hoc tantùm cæteris major, quò melior. Verùm uti amorem conciliat animorum amor Principis, ita subditorum est, Regem (10) honorificare, eique subesse in omni timore. Duo sunt, quæ hanc eminentiam potestatis in subditis conservant, mag-

Q q q

nifi-

(8) *Curt. l. 5.* (9) *Dio. l. 52.* (10) *S. Petrus Apost. c. 1*

nificæ opinionis instinctu : alia nascuntur cum Principe , alia parantur. A natura sunt claritas originis , species corporis , majestas frontis , oculorum vigor , vox mulcens , incessus sine cura compositus , indoles læta , ingenium velox , & quædam in congressu suavitas , quæ nihil ferox , nihil demissum habeat. Atque hoc est Regum filiis immensum statim honoris patrimonium. Alia à mente , & labore veniunt , Deo auspice , virtus , probitas , scientia , peritia , morum æquabilitas , prudentiæ maturitas , mixtus amore terror , affabilitas , beneficentia , & justitia. Priora reverentiam , posteriora amorem conciliant. Justitia , quæ suum cuique tribuit , in Regibus una spectat stipendia , altera honores , utraque ex omnibus virtutibus penè potentissima , quæ vel amor comparatur Regibus , vel odium. Et , quamvis honorum gradus distribuantur favore , & pro libitu Regum , & sint beneficia gratuita , justitiam tamen plerumque læsam putant , & conqueruntur , qui dignioribus præferri vident minùs idoneos , aut indebitè promotos in immensum , non observatis interstitiis temporum. In primis patitur aliquid violenti frustrata spes virtutis , & laboris ; sed in his nemini fit injuria. Nulli Regum impo-

ni potest hæc lex, per quam unum plus aliis amare non liceat, & per quam, postquam amaverit, prohibeatur largitio, & favor. Qui apud privatum hominem valet operâ, & industriâ, probè administrandis ipsius rebus, penès hunc summa erit familiæ. Unde proin Regi in publica administratione negabitur, quod in privata cuilibet è populo licet? Magnificencia, quæ præ cæteris virtus est regia, in homine privato mediocribus continetur, in Rege modi incapax. Augmenta fortunæ, opum, & dignitatum aliis sunt in tempore, & per tempus, nisi dum Reges operantur, quorum in eo tota magnificentia est, ut, quod nec ars, nec natura, nisi per tempus assequuntur, in momento ipsi perficiant. Optandum tamen est in augmentum gloriæ, ut aliorum etiam virtutes ad altiora animent munificentia suâ, qua maximè Deum imitantur, quem repræsentant. Majoris difficultatis est justitia, quæ stipendia complectitur, & quæ propiùs accedit ad amorem, & ad odium; de illa enim justitia, quæ per leges administratur, hìc sermo non est; cùm hæc præter Reges, qui sunt primarii justitiæ custodes, etiam Magistratus attingat; illa verò in penetralia cordis Regii accessum

habeat , collatis, vel negatis beneficiis , per quæ vel amare solemus , vel odisse.

Nemo in terris Dominus absolutus , quia nemo inter homines Deus. Regi tot à Deo mortales dati, imò commissi sunt , non ut dissipet, sed ut alat, & pascat, pastor, ut ait Plato, & nutritius humani gregis. Non est ita datus homo homini, ut pro libidine perdi possit ab homine; non est ita datus, ut plantæ brutis, ut homini bruta. Summo Patri familias omnes Rex annumerabit subditos. Provide pro in omnibus circumspiciat Princeps, ne inediâ flaccescat, aut penitus intereat grex, quem pascat, cui provideat. Optimè sanè & sibi consulat, & suis, si subditus promissa recipiet stipendia, si viduæ, & orphani pastorem sentient, & suas miseras benignitate solabuntur Principis. Monuit Deus, jussitque, utrumque non sine comminatione : (11) *Non negabis mercedem indigentis : eadem die reddes ei pretium laboris sui ante solis occasum, quia pauper est, & ex eo sustentat animam suam. Alibi : viduæ, & pupillo non nocebitis. Si læseritis, vociferabuntur ad me,*

(11) Deut. 4.

me, & ego audiam clamorem eorum, et indignabitur furor meus, percutiamque vos gladio. Et erunt vestræ uxores viduæ, et filii vestri pupilli.

Explicantur mandata supremi Regis super Psalmum 118. Hoc est occidere hominem, vitæ suæ ei subsidia denegare. Cave, ne inter oculos tuos includas salutem inopum, & tanquam in tumultis sepelias pauperem. Magna hæc sunt, & ponderosa. In tuo libitu, & penès te est, quisquis regnas, habere ad tribunal divinum, qui vel tuam accusent duritiem, vel qui tuam commendent benignitatem: habere hic in terris, vel qui te ament, vel qui te oderint. Non dubito, quin eligas, quod beatius, quod gloriosius est.

Deum (12) *amabis, si illum in hoc imitaberis, ut velis omnibus prodesse, nocere nulli. Nihilque* (13) *aptius ad opes tuendas, quàm diligi: Addam sine hæsitatione, nihil aptius ad augendas, quàm misereri viduarum, & orphanorum. Enimvero hi veri sunt, & optimi trapezitæ: per hos Deus restituit cum fænore, quidquid in sublevamen contuleris afflictis. Vicissim parsimonia qualiscunque sit, imò turpis avaritia, quæ his Dei*

R r r

Emissa-

(12) *Seneca.* (13) *Cic. off. 2.*

Emiffariis subsidium negat, semper erit egena, spreta à mortalibus, exosa Deo. (14) *Si potes, da, si non potes, affabilem te fac.* Solare verbo, subleva commiseratione, cujus opem tua vel negat voluntas, vel facultas. *Nemo adeò pauper est, quin comis esse possit, nemo adeò ferus, quin velit.* Sæpè, ut Princeps ametur à populo, reliquæ virtutes, corporis, & animi doctes non sufficiunt, nisi eas comitetur suavitas oris exterior, & grata quædam benignitas. (15) *Unicum Principis vitium, licèt noscatur in Principe, non multùm nocere subditis potest; morositas, et inhumanitas Rempubicam evertit;* subjungit dein: nullum neque legi, neque fando audivi, cui, quòd affabilis, amabilisque esset, exitio fuerit. Fructuosa semper affabilitas, torvitas damnosa. Unanimis subditorum applausus est Principi suo, quem visu facilem, dictu experiuntur affabilem; ubi (16) verò Principes subditis foras claudunt, ibi subditi dominis viscera non aperiunt. Innumeræ sunt artes industriis Regibus, quibus mulcere subditorum animos

(14) *S. A. sup. Ps. 103.* (15) *Guevara.* (16) *Guevara.*

mos possunt. Est nempe concordia civium, & mutuus Principis in subditos, & subditorum in Principem amor mirus artifex lætitiæ, & quidam Divinitatis sapor, intimis pectoribus affusus, qui lætam ubique serenitatem parit. Nihil dulcius subditis, quàm amantissimi Principis aspectus, quod de Trajano Plinius in Panegyri sua tanquam primarium Regiæ Majestatis decus ita deprædicat: Hic vices temporum, hic annos semper renascentes ex usu naturæ temperat. Hic mundi tristitiam discutit, & humani animi nubila serenat, præclarus, eximius, omnia intuens, omnia etiam exaudiens. Tantum in eo momenti positum est, ut inter ipsas communes miseras populus amare Principem suum suetus, ex vultu regnantis, & omnes amicè complectentis magnum solatium percipiat. Appareat infelix licèt, vel in bello virtus, vel penè ab exilio redux, magis exhilarabit suos, quàm fastidiosus victis hostibus, accessione regnorum triumphans in pompa. (17) Redeuntem Franciscum Primum post clades, post carcerem, post tantam Regni jacturam tota Gallia humeris tulit, quia redamare didicerat, comem eloquiò, & aspectu gratum.

Qui explicant fabulam capitis Medusæ, quo

Rrr 2

viso

(17) *Causin.*

vifo homines obriguère in faxa, ajunt, Medufam, dum vixit, faminam venustiffimam, quæ parem non haberet, adeò delectâffe, ac in admirationem fui rapuiffè intuentes, veneratione, & ftupore penè immobiles; verùm postquam absciffò capiti crinium locò serpentes ex illius fanguine nati inhærebant, ac vipereum quid fibilabant, Atlantem, quântuscunq̃e demum is fuerit, squallentia ora diu videre non fuffiniffè, quin, quantus erat, mons factus, barbam, comâsque in fylvam, humeros, manûsque in jûga, caput in cacumen, offa in lapides mutaret. Latam, amânâmq̃ue Principis frontem nescio an veneratione fubditi, an ament magis: interim minùs ferenam, vel minacem adeò timent, ut penè ftupidi vix agere poffint, etiam cùm velint, quæ agenda. Qui enim metuit, dum laborat, rarò bonum opus perficiet; ferenitas animi omnium artium magiftra. Herba Basilica leviter tractata in manu, fuavem efflat odorem, preffa, aut violenter avulfa, malè olet, imò fcorpîos, & vîperas producit. Rex, qui placidè regit fuos fubditos, omnis fidelitatis, amoris omnis fecurus est: qui opprimit, & obloquentes habebit, & feditîofos, vîperis pejores. Florebunt regna, quamdiu

hæc


hæc herba in regiis floruerit hortis ; felicissimus erit Rex, cujus statua seruo hoc basilico coronata in medio stabit Reipublicæ foro, & in animis subditorum. Hoc jam pridem statuit Dio lib. 52. ubi ait : *Benefaciendo Princeps Statuas in animis hominum nunquam perituras facit.* Marmorea sint laudum monumenta in gloriam Cæsarum erecta, corruent temporum injuriâ ; quæ amor subditorum memoriæ dicavit, subsistent æterna. Nihil omnino gratius Reipublicæ, nihil Regi gloriosius, quàm subditos habere facilem apud Principem audientiam. Julius Cæsar virtute aliàs excellentissimus, ad Imperium evectus, ubi difficiliorem adeuntibus se præbuit, periit viginti tribus plagis in curia confossus. Causa fuit, acceptus quasi invitè, non lectus insidiarum index, qui ei ab obvio quodam porrigebatur. Adeò periculosum est Principi, etiam, quæ minima videntur, contemnere. Princeps Reipublicæ caput est, subditi membra, quæ non aliud sibi volunt, quàm quod caput jubet ; ut autem bene aliis imperare valeat, illud solum oculos, & aures habet. Princeps instar omnium ordinum sit ; virtutésque in multos diffusas in se uno collectas habeat. Regis est, non alte-

rius, audire omnes, videre, quæ cavenda, quæ agenda: cæterorum membrorum (nempe subditorum) officia sua peragere ductu capitis. Videmus in cæco, quomodo palpat prætenfis ubique manibus, ne impingat in parietem, quomodo vacillat pedibus, ne prolabatur in serobem. Surdus extra humanum penè commercium est. Qualis ergo erit status corporis boni publici, si caput aures habens non audiat, & oculis præditum non videat? Nec cæcum vellem Principem, neque etiam Argum. Et non obest semper, præcipuè cùm de rigore justitiæ agitur, luscum saltem simulare, si non cæcutire: quale est Taciti monitum, *Principem oportere omnia scire, non omnia exsequi. Parvis peccatis veniam, magnis securitatem commodare*: nec poenâ semper, sed sapiùs poenitentiam contentum esse, officiis, & administrationibus impedire, ne peccarent, quàm damnare, cùm peccâssent. Interea curent etiam subditi, quæ membrorum sunt, nec brachia videant, nec pedes loquantur. Non est subditorum, falsis suspicionibus, furtivâ audaciâ intrare in cubile Principis, examinare, judicare, vel etiam arguere acta, & mandata Principis, modò laudare pompam,

pam , mox damnare parsimoniam ; hodie optare , quæ cras fastidiunt. Putrida sunt hæc membra , sananda tempestivè , si malum est nascens ; si inveteratum , abscindenda. Cùm tamen sæpe populus in Principem plus sibi occulta voce , aut suspicaci silentiò permittit , omnésque illius actiones perpetuæ , etiam vilissimæ plebis censuræ subjiciantur , non poterit Princeps quidquam abjectum , aut humile cogitare , qui scit , de se semper loquendum.

Habes hîc perfectam Symmetriam corporis politici , ex cujus pulcherrima membrorum dispositione facilè tibi persuadeas venustam illam Cupidinis , fratrisque Ancerotis elegantiam. Quousque erit ista concordia , crescet uterque , & mutuus erit amor inter Principes , & subditos , stabitque semper salus Reipublicæ incolumis , Principum gloria immortalis , amoris philtrum amor est :

(18) *Ut ameris , amabilis esto.*



S s s 2

DIS-

(18) *Ovidius.*

DISCURSUS VI.
PARS SECUNDA.

ERNESTUS DUX
BAVARIÆ.



Ælô nullis nubibus turbidô, mari nullis fluctibus inquieto Solis ille orbis igneus, quantus relucet in aëre, tantus videtur ardere in aquis. Auram offuscant nebulæ, nubes imbribus gravidæ suspensæ in aëre expectent obstetrices ventos, quorum agitatione pluvias tandem parturiant, etiamsi necdum vasta, & immensa illa pelagi planities insultum patiatur, nullus erit aspectus amænissimi sideris, quo vivimus omnes,

nes, quo recreamur, quo vigemus. Uti evenit, ut aëre etiam ab omni intemperie sereno aurea illa Solis machina in undis nullam sui formam exprimere possit, ubi ab imo concitatis fluctibus pelagus suam abyssum dedignari visum, per procellas impetuosas assurgit, & collabentes montes aqueos, novis identidem vindicat, in se resorbens, quos evomit furiosos impetus. Eadem est conditio amoris mutui inter Principem, & subditos, qui nullus, vel Principe irato in populum quietum, vel populo seditioso in Principem pacatum. Mutuus ut sit, aula Principis sit aula serena, subditorum amor amæna malacia. Sic Principis gloria effulgebit in subditis, subditorum salus collucebit in Principe, utrimque ea concordia, qua Regnorum stat incolumitas. Ernestus, & turbida passus in subditis, & subditi concitati aëris tonitrua experti, postmodum exemplo suo docuere, quanti sit mutua concordia Principem inter, & populum. Antequam tamen ad Ernesti litem à subditis motam propiùs accedamus, priùs dispiciendum erit, è qua plerumque origine hæ diffensiones, patriæ semper fatales enasci soleant; cum eadem plerumque, Principum præcipuè, vel fratrum, vel patruorum, & pa-

truclium indoles, ut, nisi pessimis incentoribus discordiarum, aut malignis susurrionibus, agrè in discordias, aut bellicas inimicitias prorumpant.

Primaria funestissimi diffidii incentiva tunc temporis, ut arbitror, fuere sæpius, quàm deceret, arbitrium acceptum à subditis, tum nimium facilè habita fides male, & fictè consulentibus, tum etiam, & quod maximum, nunquam penitus extincti, sed vel indulgentiâ, vel socordiâ sopiti tantum gliscentis discordiæ cineres. Unde dein exsurrexit fatalis illa belli domestici flamma, quæ Principes inter se, populum cum Principibus pessimè collisit, mutuò damnò rupti mutui amoris vinculi.

Ernestus Joannis filius, patris, & patruorum penè in omnibus fortem tulit, idem expertus ab agnatis, à Proceribus, & à subditis. Joannes, ut dictum, Ernesti pater, fratres habuit Stephanum, & Fridericum. Hi tres inter diversas naturæ dotes mira unione per quindecim annos Bojcam rexere, adeò mutuo inter Principes, & subditos amore, ut subditi obsequiò, & fide æmularentur Principum curas, quæis Bojcam fortiter, providè, ac clementer gubernabant. Stephani Genius Martia quæque
spi.

spirabat, Joannes mitioris indolis Dianæ frequentiore venatu aucupioque, Minervæ militabat, non nisi publica necessitate ad sagum vocatus. Fridericus togæ prudentiam nactus industriam tuendæ, augendæque rei familiaris junxit studio continuo cum laude imperandi: unde Prudentis cognomen tam inter suos tulit, quàm inter externos famam, usque adeò, ut eum Carolus IV. Imperator arbitrum delegerit motæ litis inter Cæsarem, & cives Ulmen-
ses, quam etiam ex laude Caroli, eo solatio partium composuit, ut Cæsar Friderico in testimonium accepti obsequii duodecim civitatum præfecturam contulerit. Ille idem Imperator, qui Ludovico IV. Imperatori infestus, filium, Nepotémque hunc ipsum Fridericum cum fratribus per auream Bullam ab Electoratu iniquissimè exclusit. Et, ne vel temerè, vel minùs verè in hoc Carolo inveteratum odium in stirpem Ludovici, eúmque sibi tantùm, non Imperio consuluisse videar arguere, nempe qui non alio, quàm sui commodi motivo Friderici operam, ac prudentiam requisivit, dictum de illo Maximiliani I. Imperatoris sapientissimi hìc repetere liceat: *pestilentior*
rem Carolo pestem nunquam aliàs Germaniæ ob-

tigisse. Cranzius nominavit Imperij vitricum: Theodoricus Niemijs Imperij dissipatorem. Taceo alios. Postquam Bojeis Ducibus multas Provincias turpissimè ademit, ut per fas, & nefas auctam potentiam filio, ad omnia scelera nato, relinqueret, hic tamen ille est, qui Augustæ Genti Bojæ tam enormem per tot sæcula injuriam, avulso etiam Electoratu, inferre ausus sit? Successit Patri iniquo filius pessimus Wenceslaus, alter Caligula, nisi ex pessimis stipatoribus etiam pejor, quorum unus erat carnifex, ejus lateri assiduus comes, alter Molossus ferocissimus, doctus lacerare dentibus, quemcunque herus monstrâisset digitò. Chronicon magnum Belgicum refert, primam Wenceslai conjugem Joannam Reginam ab hoc Molosse fuisse discerptam, debuitque S. Joannes Nepomucenus huic tyranno Martyrij palmam. Decebat nempe ferocem bestiam non aliud, nisi bestiae satellitium. De illo non Imperium modò, sed ipsa Bohemia ardentibus votis repetiit pulchra illa verba Herculis, Tyrannum Lycum ad mortem exposcentis apud Senecam:

Utinam cruorem capitis invisi Diis

Libare possem! gratior nullus liquor

Tin-

*Tinxisset aras. Victima haud ulla amplior
Potest, magisque opima mactari Jovi
Quàm Rex iniquus.*

Exhorrescant Reges has imprecationes.

Redeo ad propositum. Insolescebant civitates opibus, & libertatis accessione tumidæ, & Helvetiorum exemplò non tam odisse Principes, quàm eos etiam armis, & aperto Marte ausæ sunt laceflere. Triginta tres urbes Sueviæ, belli, ac fœderis socias accepere etiam Rhenanas, Moguntiam, Argentinam, WORMATIAM, SPIRAM, FRANCOFURTUM, HAGENOAM, WEIFFENBURGUM, ac ultimò Ratisbonam. His, ne deesset Antesignanus, solus è Principibus (quod vix ausim dicere) accessit Archi-Episcopus Salisburgensis Puechaimius. Principum factio ex augurio Leonina dicta est, quo potentiam illorum seditiosæ civitates & expavescerent, & experirentur. Multa, & magna hoc in bello egere, & passi sunt Principes Boij. Intererat plurimùm, Pilegrinum à partibus abducere, vel eo sanioribus consiliis cum Principibus reconciliato, conjuratis civitatibus pacem, & concordiam procurare. Joannes mitiora semper fovens, Pilegrinum invitavit ad colloqui-

U u u

um;

um; Fridericus superveniens, captivum detrudit in Monasterium Rottenhaslacense. Belli jure quod factum, civitates injuriam, atque eam interpretabantur, quæ etiam bello Boijs Ducibus inferendo sufficeret. Interim Friderici prudens fuit consilium, cum in seditionibus omnis mora perniciofa, & sublato Duce, rebelliones supprimantur in partu. Decebat Pilegrinum inter Monasticæ pietatis exercitia reminisci, Episcopum se esse, non militem, oves pascere, non cum lupis ululare, & pedum tractare, non gladium. Quæ tum facta fuere à regulis Ecclesiasticorum omnino absona. Sed is paulò post è custodia emissus causa fuit, ut civitates cum auctiore exercitu grassarentur, quàm antè audentiùs, præcipuè, ubi etiam Wenceslaum, promissis auxiliis, habuere amicum, cui in eo solo otium displicebat, & ignavia, ubi invitè defes malum agere non potuit. Lassis mutua clade, & communi ex-cidio partibus, Fridericus denuo eâ, qua pollebat, prudentiâ, utrimque consultum putavit, si in colloquium Cæsaris admissus, Wenceslaum à civico fœdere avulsam, ad Leoninam factionem adduceret, quod & præstitit, promissâ Cæsari utriusque partis benevolentia ex reddita

Impe-

Imperio quiete, aucto vicissim metu perdendæ suæ nec-
 dum satis firmatæ potentia. Quod præ aliis movit Wen-
 ceslaum, qui & extra modum meticulosus, & ad tyran-
 nidem usque sævus, omnibus invisus omnes timebat,
 quod tyrannis proprium est, utpote sub quorum impe-
 rio præcipuum pessimorum ad seditionem incitamentum
 est bonorum mæstitia.

Rationibus Friderici persuasus Wenceslaus, dene-
 gatò civitatibus auxiliò, licèt contra inita fœderis pacta,
 ad Principes transiit, civica conjuratio ad negotia pacis.
 Tanti momenti est consiliarius, qui non privatis inimici-
 tiis impulsus, aut gratiâ adductus, sed publica utilitate
 commotus suam sententiam dicit, & optimè de futuris
 consultat: qui rerum futurarum exempla è præteritis sur-
 mit. In Friderico omnia conspiciamus. Consuluit ille
 Wenceslao, paternarum injuriarum penè immemor: con-
 suluit Reipublicæ, reductâ Principes inter, & civitates con-
 cordiâ, rebúsne bellò gestis, an pace clarior, incertum.
 Eâ sanè famâ Fridericus etiam in extimis Regnis celebra-
 batur, ut Carolus V. sapiens Galliæ Rex in extrema vitæ
 linea quasi ultimum filio mandatum dederit, conjugem

sibi è Germania legeret, quod etiam filius Carolus VI, ut probè expleret, neptem Friderici, Elifabetham, Principem lectissimam, in thori sociam expetiit. Hæc per interval-
la annorum facta me reducunt denique ad illud, de quo præcipuè sermo, sæpè mutuuum reciproci amoris vinculum rumpi vel culpâ Principis, vel insolentiâ subditorum, cu-
jus tamen redintegrandi nulla cura omittenda, imò nec differenda.

Ea semper inter Politicos fuit opinio, seditiones in Republica maximè moveri; quia alii pares volunt esse iis, qui plus possunt, &, nisi hoc fiat, non acquiescunt. Alij, se præstare dignos putantes, indignum putant, nisi plus habeant. Idem viderunt ea tempora Monachij, in primaria Ducum Bojorum sede. Ducibus Bojis bellò extra patriam distentis exemplum aliarum civitatum, vel potiùs se ditiosa lues hanc etiam Metropolin infecit. Erat viro cuidam præclaro commune civium odium ex magno favore Principum, quod penè omnium Ministrorum in publico fatum. Absentia Principum, & tot civitatum ab aliis Principibus conjurata defectio cives Monacenses in eam perduxit insolentiam, ut cæde egregii viri putave-
rint

rint reparandum commune detrimentum, quod ipsis ex unius potentia, & fortunæ magnitudine obvenisset. Plures scio illius esse opinionis, periculosum semper esse, ac propè exitiale, uni omnia confidere; cùm sine indignatione aliorum, & sine contemptu Principis id fieri vix soleat; quandoque tamen è re regni est, in conscientiam rerum acciri è pluribus unum, nempe, si fide prævalet, & sapientiâ, vulgandis alioquin regni arcanis, quo sæpe in ruinam dantur consilia, unô fulta secretò.

Pænuit facti accepto feicali luendæ, vel vindicandæ injuriæ. Egerunt Principes, quod Bojorum erat Leonum: parcere subiectis, ex consilio illo Platonis prudentissimo: quod quidem de Rebuspublicis specialiter dictum, omnibus tamen convenit, nempe seditione in civitate orta non esse optandum, ut, perditis alteris, alteris victoribus pax, sed, ut amicitia, & pax ex reconciliatione fiat, & sic necessariò contingat, ut in externos hostes animum intendant. Evocati Dachavium centum cives inermes in genua provoluti, à Ducibus verbis castigati, nullò supplicio, & Monachium remissi, leviori, meritis, multa luère pœnam, quam denuo deprecari sunt, missâ Principi-

bus obviam turmâ melioris sexûs, habitu ad mærorem composito. Hæc ad Annales remitto; cùm non Historicum, in eo tamen Politicum agam, asserendo, prævalere plerumque clementiam, nec semper id Principibus convenientius, aut utilius esse agere, quòd possint ex remissione offensæ, & vindicta, aut punitione acerbiorè refricare vulnus, vix passurum dein manum medicam; nempe amor mutuus inter Principem, & subditos semel extinctus, rarò reviviscit, vix unquam. Vulnèra quò diutiùs ulcus faciunt, eò difficiliùs curantur. Cavendum aut curando protinus, aut secando, ne putrefiant. Quo in casu chyrurgum expertum agat Princeps, ne quid violentum eveniat, uni inglorium, alteri exitiale. Hinc optimè Seneca: *Parcendum est etiam improbandis civibus, non aliter, quàm membris languentibus: &, si quando missò sanguine opus est, sustinendum est, ne ultra, quàm necesse sit, incidas.* Dixi superiùs, Principem agere chyrurgum: hunc neque morbi lenonem cupio, neque carnificem. Revertor ad thesin. Piscator ictus sapit. Hoc equidem sperabatur de Monacensibus,

novi-

noviter clementiam expertis Principum, qui graviora meruere. Res contrà vertit, licèt aliquo annorum intervallo, ubi pejùs rediére ad vomitum.

Rebus Bojcis bellô turbidis tres fratres Boij Duces, Joannes, Stephanus, & Fridericus amica vivebant unione: pace tranquillis paulatim dissensere. Ventum tandem ad partitionem Provinciarum, quam maximè urgebat Joannes, ex mitiore indole fratribus minùs æstimatus; plus iis tamen charus subditis, præcipuè Monacensibus, qui Joannem, etiam necdum ratihabita singulorum portione, intra mænia sua receperunt ut legitimum possessorem, magna tunc amoris in Principem laude, sed majore dein ex turpissima defectione infamia. Provinciarum partitionem, ejùsque conditiones fusè deducunt Annales. Harum sortitione Stephano Ingolstadium cessit cum adjacentibus, Friderico Bojaria inferior, Joanni pars Princeps Bojariæ Monachium cum reliquis. Hæc partitio Provinciarum, quamvis prudentissimis conditionibus adstricta, partita penè etiam est Principum animos, in eorum posteris sanè toti Bojariæ summè exitialis. Gliscens sub cineribus diffidentia prorupit in flammam, Joanne mortuo,

hujus filiis Ernesto, & Wilhelmo à patruo Stephano Ingol-
 stadiensi paterna ditione ejectis. Causa fuit potentissimi
 Aulici accepta ab Ernesto injuria, quam ille gravissimè ac-
 ceptam ostendit atrocitate vindictæ. Quo in casu duo à
 Principe notari cuperem: periculosum, & intutum sem-
 per esse Principi, eam Ministro suo conferre potentiam,
 unde timeri dein possit, periculosius, si talem postmodum
 offenderit. Pauci sunt, qui fortunæ beneficiis, & nimio
 favore Principis fruuntur, quin insolentent; quo fit, ut eo-
 rum arrogantia non tædium modò sui, & fastidium mo-
 veat, sed, ut plerumque ipsis quoque Principibus maximo
 nocumento esse soleat; hinc consequens est, Reipublicæ
 semper proficuum, Principi optimè consultum esse, Mi-
 nistrorum probè noscere ingenia, dividere officia, partiri
 labores, operasque inter Collegas; nec uni omnia nego-
 tia, nec omnes uni negotio applicare. Neque enim unus
 omnibus sufficit; & rursus, dum omnes uni negotio va-
 cant, cætera sine cura habentur. Duo à Ministro plus æ-
 quò potenti, Principi evenire solent. Primum est, quòd
 Princeps eidem diffidere non possit, quin ille id ipsum in-
 juriosum putet. Alterum, quòd is omnem etiam inju-
 riam

riam vindicare, uti opportunum, ita fas, & licitum sibi arbitretur. In his enim Ministris sæpè ex unica injuria repentina nascitur, sed pertinaciùs hæret omnium beneficiorum oblivio. Estque in multis hoc malum adeò pertinax, ut omnia donativa, clientelas, honores, potentiam, & alia fortunæ adminicula, dum vel in unico negotio se neglectos, aut inconsultos vident, ex hac unica injuria (quæ tamen nulla est) pro nihilo habeant, & quod in Principem vivum agere non sunt ausi, mortuo illudant dicteriis. Ernestus utrumque expertus post fatum patris, insolentiam Ministri, qui patruo, Duci Ingolstadiensi Stephano inter primos erat, dum nec satis punivit, & nimium, laceffivit acriùs. Ea nempe offensarum hujusmodi conditio esse solet, ut illarum vel omnis sit dissimulatio, vel ea vindicta, quæ ulteriorem non admittat ab offenso.

Ægrè jam diu tulerat Ernestus, Warmundo Pienzenavio oppignoratam fuisse Kizbichelam, ægriùs vidit hanc mutatam opimiore, nobili scilicet oppido Ratenbergenfi. Eò ventum, ut Ernestus hanc Principatûs imminutionem Warmundo improbaret acerbiùs, hic sustineret audaciùs. Impotens omnis insolentiæ Ernesti animus,

& natus Leo Bojcus debellare superbos, effrenem linguam compescuit gladio, fauciatô Warmundô, cujus vulneris medela Ernesto, & fratri Wilhelmo plus damni, quàm læso doloris attulit. Suscitatus Stephanus consiliô Warmundi, ut Monachium Bojcae stirpis Metropolitim, & extincto fratre, supremam totius Bojcae Domûs Majestatem jam sibi debitam occuparet. Facile in assensum ruit, tum instigante Ludovico filio, jam priùs Ernesto, & Wilhelmo infenso, tum fucato novæ possessionis jure, quod Warmundus miris modis æquè dextrè prætexere, quàm versipellem suam nequitiam contegere callebat, probè gnarus, nihil esse validius ad concitandos in mutuam perniciem vel fratres, vel agnatos, quos perditum ire cupis, quàm consilium eorum, qui, cùm maximè fallunt, id agunt, ut boni videantur. Warmundi dolô in seditionem pelliecti Monacenses clam in verba Stephani jurârunt, usque ad eò, ut per triennium protracta conspiratione, Ludovicus tandem Monacensium ope Ernestum cum fratre Monachio expulerit. Magna fuit Ernesto injuria ex ambitione patruï Stephani, major ex perfidia subditorum, quos, ordinibus convocatis, Joannes, Pater Ernesti, dum

portionem Bojariæ, sortitione acceptam, adiret, pro se, & filiis juramentò fidelitatis adstrinxerat.

Discordant nonnunquam populares propter inæqualitatem possessionis, generosi propter inæqualitatem honoris: hinc nulli partium idem fuit titulus. Ernesto, & Wilhelmo fratribus eadem erat sanguinis prærogativa, quæ Stephano, & Ludovico filio, Monacensibus nulla à fide data exceptio. Quòd Principes augmentò Provinciarum incitati in bella injusta prouant, ultra, quàm optandum, usitatum; illud verò semper summè perniciosum, & turpe est, cives à Principe suo desultoria fide desciscere pro libitu, & perfidos esse impunè. Atque hæc fuit Warmundi offensi vindicta, quæ, tametsi acerrima, Ernestum tamen eò usque non impulit, ut continuò in rebelles armis agere, & omnem à subditis, licèt indignis, amorem revocare statueret. Ex innata Boijs Principibus clementia litem ad Principum arbitrium delatam, eorum judiciò potiùs, quàm ense decisam voluit, juxta illud monitum: *In offensis populi neminem prudentem immittere statim manum securi, moram dandam, ultro pœnitudinem accedere*; contra quod pessimè

peccavit Cæcinna, qui proximam quamque culpam, antequam poeniteret, ultum ibat. Interea pertinacior Provincialium Monacensium pervicacia seditionis patronos ex ipsa Austria accivit, eorum non vanè fulta subsidiò, qui Ducibus Boijs jam priùs minùs addicti facillè omnem factionem roborarent. Prævaluit demum causæ justitia, fuitque denuo confirmata judiciò Ruperti Palatini Septemviri, (quem dein Imperatorem videbimus) & Eberhardi Wirtembergensis, Ernesto, & Wilhelmo patrij Principatùs possessio.

Cavebant Principes, causæ arbitri, utrique parti summâ prudentiâ, & æquanimitate, ita, ut Regia Principum sedes in sequestrem ducta, Conrado Preisingio ea lege commissa fuerit: excideret eo pignore Princeps, quî ab arbitratorum sententia resiliret. Commendavit præ aliis Preisingium summa rerum experientia, rara morum, vitæque integritas, & Natalium splendor, quæis nominibus facillè majorem inter litigantes Principes fiduciam, inter alios auctoritatem meruit. Optandum tamen fuisset, ut, qua prudentia cautum erat levandæ Principum discordiæ, eâ etiam provisum fuisset sedandis rebellium tumultibus,

qui

qui ex ducta pænæ meritæ mora insolentiores, Pfaffenho-
viô, Ducibus fidô, vi occupatô, Principes (1) *pacis agen-*
tes consilia, etiam incitos ad arma provocârunt.

Nescio, an Provincialibus minore spe veniæ creverit vin-
culum sceleris, an magnis Ludovici Ingolstadiensis pro-
missis, qui tamen paulò post clientes suos priùs tributô è-
munctos victorùm arbitrio reliquit. At hæc passim est
bellorum civilium catastrophe, ut elapso seditionis incen-
tore in populum recidat omnis mali labes. Appropin-
quant interea Monachio Ernesti, & Wilhelmi fratrum, ac
Henrici patruelis copiæ, quæ vindicarent injuriam, &
domita seditione, pristinam Ducibus restaurarent possessio-
nem. Prævaluit in plebe, quæ mitiùs furebat, vel nec-
dum omnis in Principes suos extinctus amor, vel metus
supplicii. Nunquam enim ad contumaciam pari consen-
su multitudo prorumpit, sed incitantur à paucis, qui vi-
tiorum, scelerùmque impunitatem sperant, peccare cum
plurimis. Visis in vicino signis Ducum, porta Schiffera-
na à plebe dejicitur, receptisque Ducibus, Ernestò, &
Wilhelmo, redit Monachium ad legitimam dominatio-
nem. Causa nunc agitur Thesis meæ, quantum sibi ti-

Zzz

meant

(1) *Tacitus.*

meant rebelles, postquam odere: quantum odisse debeat Princeps eos, qui jam justè timent. *Prudentiorum Politicorum ea est regula: quòd si fieri (2) medicinam necessitas extrema persuaserit, rectius esse, more Majorum, in authores criminum vindicare, ita tamen, ut ad omnes metus, ad paucos pœna perveniat.* Idem factum ab Ernesto, & fratre. Denorum capitibus litatum justitiæ, ea moderatione in ipso rigore justitiæ, ut nec duos, qui se supplicio subduxerunt, ulterius inquire, nec cæsorum nomina in Annalibus referri passi sint. Satis erat Principibus, pacasse rebellium animos, metumque reduxisse, qui subditos decet; odium verò, omnium malorum incentivum, neque in se erga subditos enasci voluerunt, nec à subditis pati; inde non tam confirmata jura municipalia, quàm magnis immunitatibus aucta, ipsaque Respublica magnis cladibus, ac damnis belli attrita, omnis subsidii solatiò sublevata est, ut meritò dein amarentur tenerius, qui odisse, etiam cùm deberent, noluere. Tanti est, interruptam etiam mutuam redintegrare concordiam; cùm

sine

(2) *Veget. l. 3. c. 4.*

sine hac certa sit utriusque perniciēs; nihil seditione est atrocius populi in Principem conspirantis; nempe tunc corpus à capite defectum perditionem ejus, per quod spirat, meditatur. Inde caveant sum̄opere Principes à susurronibus, qui vel fratres in fratres, vel Rempublicam in Principes suos concitant, pessima hominum lues. Exemplo est Warmundus Pienzenavius. Huic pari scelere successit Henricus Rotenbergius, Tyrolensium Dynasta, qui Ernestum, & Wilhelmum contra Principem suum Fridericum, à vacua pera Fridelinum dictum, in bellum provocavit. Simile monstrum evomuit virus suum in Wilhelmum, & Ludovicum fratres, eò perniciosius, quò sanioris consilii titulò involutum erat. Fuit is Hieronymus Stauffius, telam discordiarum inter fratres adeò varrè intexens, ut eam discindere nemo potuerit, nisi carnifex abscissis cervicibus. Author sanè olim inter fratres discordiarum Comes Abenspergius tantæ stirpis termes ultimus pariter funestò fatò pœnas luit. Cæsus ille à Fraunbergio, à Christophoro Bojorum Heroë humi exanimis triste hoc Epitaphium accepit: *Hoc habent*, inquebat, *& habeant omnes, qui inter fratres seminant dis-*

cordias. Quibus addo eos, qui vel per vafritiem, vel per ambitionem Principum amorem avellunt à populo, & quibus vesanum illud principium præplacet: *Oderint, dum timeant.* Non leve, aut vanum monitum est:

*Necesse est, ut multos timeat,
Quem timent multi.*




DIS-



ALBERTUS

PIUS. D. B.

PIUS ALIIS, QUAM
SIBI.



DISCURSUS VII.

PARS PRIMA.

CRITICO - POLITICA.

Bonum publicum præferendum privato.

Sic Princeps bonus erit æconomus.



Uit ab omni ævo in Philosophis venerabilis imago virtutis, ita, ut ex Philosophiæ præceptis etiam inter Gentiles quædam sæculorum sidera tempora sua illustrarint. Miramur omnes Themistoclis diligentiam, Frontonis gravitatem, Socratis continentiam, Fabricii fidem, pudicitiam Scipionis, longanimitatem Ulyssis, Catonis pietatem; sed vix sunt, qui imitentur unum, nulli, qui omnes. Videtur proin, Principem nullo tramite rectius progredi posse, quam Philo-

Aaaa

sophiæ

sophiæ studiô per continuas virtutes ad templum honoris properare; adeò, ut nullus dubitem, æconomiam Regum, ac Principum unius Philosophiæ legibûs formandam fore, nisi potiozem inveniam in regenda Republica experientiam, qua Princeps sibi, suisque optimè semper consulat. Agnoscit equidem Philosophia bonum, quòd bonum sit, idque persuadere conatur; sed experientia, bonum esse, ipso usu confirmat, eoque movet faciliùs, ac certiùs. Unde optimè Terentius: *Nunquam ita quisquam bene subducta ratione ad vitam fuit, quin res, ætas, usus semper aliquid apportet novi, aliquid moneat, ut illa, quæ te scire credas, nescias, & quæ tibi putâras primò, in experiendo repudies.* Experientiæ ductu igitur æconomiam suam qui dirigit, optimus æconomus, alieno semper, & publico infudans bono, apes argumentosas imitabitur, quæ non tam sibi ipsis, quàm humano usui mellificant. Græcis vetus paræmia est, in dolio figularem artem discere, in eos dicta, qui protinus maximis in rebus artificii capiunt experimentum; cùm paulatim à minutis ad summa proficisci

ficisci conveniat. Ne in eundem scopulum impingamus, non vastum illud æconomiaë corpus simul, sed ita per partes aggrediamur, ut ex unaquaque pulchritudinem ea utilitate eruamus, qua doceamur, illius præcepta maximè probari ab experientia, nullúmque Principem meliorem, opulentio rem, ac potentio rem æconomum, quàm qui bono publico priùs, dein sibi consultum cupit. Nam sunt hæ duæ virtutes sibi miro ordine adeò innexæ, ut bonum publicum semper bonum Principis sincera fide amplectatur, econtra privatum bonum Principis, si à cura boni communis recedit, plerumque separationem hanc exitiò suò luat, ac penitus collabatur. Quatuor sunt species æconomiaë: Regia, Satrapica, Politica, & Privata. Singulæ petunt suam explicationem, quam optarem à me reddi posse adeò dignam Principe, quàm fructuosam.

Æconomiaë Regiæ proventus in quatuor dividuntur species. Prima numñaria versatur circa monetam: secunda circa importata: tertia circa exportata, & quarta circa sumptus.

Constat ab omni ævo, jus cudendi monetam ei soli competere, qui in Republica summum tenet imperium,

& esse potestatem Majestati adscriptam , & inter Regalia Regum , ac Principum relatam , non tamen jure positivo , sed Gentium. Est quidem ipsa materia privatis in usu promiscuo , & quivis liberè aurum , argentum , cæteraque metalla in commercio possidet , & permutat , pretiùmque ipsi imponere potest pro lubitu. Verùm impresso semel nummis caractere Principis , pretium privatorum arbitrium , & voluntatem transcendit , & , uti cudendæ , ita & æstimandæ monetæ jus Regium est. Nec enim nummus in commercio privatorum tanquam massa materiæ æstimatur , sed respectu indicaturæ , quatenus nummus est , ut inde faciliora reddantur commercia. Is ipse commerciorum finis , ex quo æconomix regix fructus t plurimùm desumitur , illud specialiter commendat , Regisque ac subditorum maximè interest , ut nummus ille sit justus , & æquabilem contineat , atque perpetuam in suis speciebus quantitatem , ita , ut nec materiâ , nec pondere , sed solo caractere differat moneta. Defectuosum fanè argumentum est eorum , qui monetas Provinciales & pondere , & materiâ à vicinorum Principum monetis discordes , in publicum commodè spargendas putant , dùm inter suos tan-

tum subditos æstimari tales monetas præcipiunt, licet aliis extra territorium suum nullum exinde, ut arbitrantur, accedat præjudicium. Præterquam enim, quod non inter cives, & subditos solummodò, sed etiam cum exteris, ac sæpiùs magno cum Principis emolumento commercia subsistant, quæ ex defectu nummi utrisque communis plerumque intercidunt, talis etiam moneta provincialis ut plurimum temporanea est, è cujus dein occasu civibus summum exoritur damnum, pernicioso in patriam refluxu. Potestatem tamen hanc fabricandæ monetæ provincialis neque illam Principi denegaverim, qua monetam semel approbatam, ac inter subditos suos usitatam mutat, auget, minuitque vel pro libero arbitrio, vel pro temporum necessitate. Sed ista mutatio vel Principi damnosa, vel subditis est. Ad commercia quotidianæ necessitatis vix alia superest moneta, quàm illa, quæ alibi sine magno dispendio expendi non potest. Hujus mutatô pretiô, aut valore intrinseco, vel saltem non ab omnibus probato, evitari damnum non potest; cùm necessitas sit indispensabilis, ut in commercio plurima etiam petantur ex peregrinis Regionibus. Adde, quod isthæc mutatio, nisi ur-

gente necessitate , & præviô in bonum Reipublicæ consilio facta , etiã jus auferat , quod in pecunia æstimatum possidet omnis subditus , ejusque facultates intervertat , & reddat pauperiorem , quod principiis æconomix omninò contrarium est. Boni scilicet (1) Principis est , non cavere tantùm , ne quid Respublica capiat detrimenti , sed monere etiam subditos de periculo imminente , ut perspectè magis rebus suis attendant , & salutem communem pro virili quisque promoveat. Atque hæc pauca de prima æconomix Regiæ parte dicta sufficiant. Secundam , & tertiam de importandis , & exportandis unà junctam explicandam assumo. Circa hæc versantur vectigalia , tributa , & gabellæ , quorum jus æquè , ac cudendi monetam , soli Principi debetur. Certum est , commercia inter vicinas Provincias , & Nationes subsistere nulla , nisi alia inferantur , efferantur alia. Non omnis fert omnia tellus : & ita Providentiâ Divinâ statutum est , ut defectum unius Provinciæ alterius copia compenset , quæ vicissim in alio genere etiam extraneum requirit auxilium : ita , ut ex aliquibus Regionibus illi , quæ frumentô abundat , vinum , & alteri inter vini delicias panis deficiat ; felix tamen utraque

(1) *Guevarra.*

que ex mutui commercii subsidio. Ex hoc ipso commercio prima, & quasi potior utilitas obvenit subditis; sed fructus etiam non modicus in Principem redundet necesse est, qui solus omnium incolumitatem, & penè singulorum utilitatem curat; imò quem, ut debita Majestati suæ pompa conservetur, majores tum in præsens, tum in casus quoscunque necessarij sumptus fatigant, ut proin ea commerciorum conditio esse debeat, qua Princeps angustiarum suarum solatia ex vectigalibus quærere, & extraordinariò eorum auxiliò juvari possit. Considerandum in primis occurrit, à quibus, & ex quibus mercibus vectigal exigere non liceat tantùm, sed & conveniat? dein quid, & quantum, & ubi locorum solvendum sit? cavendum sedulò, ne antiqua inter vicinas regiones statuta, & tot annis servata mutuò pacta invertantur, néve Princeps, dum novum instituit telonium, alterius jura violet, suæque potestatis fimbrias latiùs extendat; maximè autem id semper curandum, ut Reipublicæ, ac bono communi ea obveniant emolumenta, quæ ob proventus vectigalium Reges, ac Principes præstare tenentur; qualia sunt securitas transeuntium, & conservatio viarum, qua-

rum impensarum titulô justè etiã vectigal exigitur; cùm publicè, & privatim intersit, commercia inter populos conservari. Nata inde sunt varia vectigalium nomina, plerumque ex Italico idiomate deprompta, uti sunt Passagia, Pedagia, Quidagia, Pontivegia, Pontenagia, Parragia, Gabellæ. Hodie verò omnia titulô portorii comprehenduntur. Ex quo satis patet, vocabulum hoc ab exportando, & importando potius, quàm à porta, aut portu deductum esse. Quantumvis autem ex commercio, & negotiationibus Regi, ac Principi suus sit fructus, sua Reipublicæ utilitas, Principis tamen est dispicere, ut in ipsis negotiationibus certus sit modus, ac regula præscripta. Sæpè tam ingeniosè, ac subtiliter à negotiatoribus damnum infertur, ut non priùs sentiatur in Republica, quàm ubi in immensum illud excrevit, & ipsa desperata jam sint remedia. Negotiatoribus prohibenda in quatuor classes rediguntur; alia, ne inferantur ea, quibus investis Respublica depauperari solet, alia, ne efferantur; nonnulla propter statum, & conditionem mercantium, & denique illa, quæ dehonestamento sunt Reipublicæ.

Primæ classis sunt ea, quæ nimium procurant luxum,

xum, & quorum commercio non luxus modò exterorum, sed etiam vitia liberiùs transeunt in subditos ; unde vel pauperies sequitur , vel vix reprimenda morum licentia.

Secundæ classis est frumentum, & quidquid annonæ titulô notatur (excepto tamen casu , ubi ipsa frumenti copia subditos inopes facit) aliàs verò , si Princeps frumentum extra territorium suum vendi, aut extrahi prohibet, non est, ut exteros amicos lædat, sed ut patriæ ubertati maturè provideat. Ad hunc titulum omnia rediguntur, quibus Respublica carere nequit.

Tertiæ classis est aurum, & argentum, sive signatum, sive rude ; observatúrque in Belgio ex edicto Caroli V. in Gallia, Hispania, & Britannia, ne plus exportari possit, quàm quantum auri, vel argenti ad susceptum iter, aut peragendum, quod quis instituit, necessarium foret. Hujus prohibitionis alia etiam extat causa, quæ inde oritur ; si Principes finitimi viliores, ac deteriores dispensant monetam. Cùm enim avidè moneta melior conquiritur, dum hæc exportatur, deterior infertur in summum Reipublicæ detrimentum.

Cccc

Quar.

Quartæ classis est commercium lenonum, jam dudum constitutione Justiniani sublatum, ita, ut de vectigali meretricio nulla amplius sit mentio. Quæ vectigalium, eadem & tributorum est ratio. (2) *Tributum pretium pacis est.* Eam nempe ob causam Principibus subditi tributa exsolvunt, ut à quibuscunque hostibus, tuti, & immunes, in pace res domesticas curare possint. Ne verò Princeps ipse subditis gravior per tributa nimia incumbat, tres illas tributi, ut justum, æquúmque sit, conditiones semper cordi habeat: Potestatem, Causam, & Proportionem. Potestas penès Principem supremum est. Causa ex necessitate publica. Proportio, si tributum respondet facultatibus. (3) *His adimpletis conditionibus, nemo à tributis exemptum se putat. Cessant autem (4) tributa in Principe æquo, cessante causa, nisi nova, pariter prægnans, successerit.* Quantum verò sibi timere debeant tributi novi suasores, authorésque, patet ex relata ab Erasmo funesta illius historia, qui author novi tributi Parisiis in cloaca fori frumentarii, aliis in exemplum, triste sibi sepulchrum statuit:

Patet

(2) *Oros. 4. c. 1.* (3) *Johan. de Salas tract. 14. disp. 15. sect. 10.* (4) *Suar. l. 5. de leg.*

Patet etiam ex lege Julia, & è Jure Canonico, per quod communione Christiana carere jubetur, quisquis novas pedagiorum exactiones instituerit.

Deductis jam tribus æconomix Regiæ partibus, quartam, quæ sumptus attingit, eò brevius perstringam, quò difficiliùs in iisdem modus à quoquam, nisi ab ipso Rege, aut Principe præscribi poterit. Majestas, gloria, statúsque Regum, aut Principum eam ækonomiam penitus excludit, qua privatus domum suam regit, & familiam. Omnes, & singuli ejus gaudent munificentia, cujus imperio omnes subesse gestiunt, & in cujus ærarium ipsius munificentix fructus plerumque omnes, diverso licèt tramite, non uno tamen tempore redeunt. Veniunt ab Oceano omnes aquæ, & redeunt ad Oceanum. Gloriosi Principes munera dant civibus, sed à civibus reversura. *Ditare Regum est, non ditescere.* Eorum frontibus impressus Majestatis supremæ character, facilitatis admonet, & beneficentiæ, & tam à siccitate, ac sordibus Purpuram, quàm ab inopia, & mendicitate sejungit. (5) *Dempta prodigalitate populo nihil utilius, nihil charius est, quàm ut Principis sui necessitas ex-*

Cccc 2

plea-

(5) Saresb. 41.

pleatur. Omnium nempe interest, ut ab exteris suscipiatur Majestas Principis, in suo splendore conservetur à subditis, quod cuivis Principi liberum est, si nec oppresso populo, nec diminute suo splendore, proventus inter, & expensas ordine constituto, bonum subditorum ita curare velit, ut subditi continuò vicissim invigilent in bonum Principis.

Diximus, alteram æconomiae partem nominari Satrapicam. Hujus proventuum species variae, ita tamen singulae sunt constitutae, ut Princeps semper bono suo procurando boni publici curam nunquam omittat. Sunt autem illae ex Decimis, ex Metallis, ex Mercaturis, & ex Pasturis, quae omnes pariter ad Regem, & Principem spectant. Singula paucis delibabimus. Non de Decimis Ecclesiasticis hic fit mentio, sed de profanis. Dicuntur enim communiter duplicis generis, profanae nimirum, & Ecclesiasticae. Profanae, de quibus hic agimus, sunt species quaedam tributi, quod olim temporales Domini subditorum praediis imponebant. Et haec Dominicae, & indominicatae appellabantur. Hodie collectas, seu idiomate nostro, steiras vocamus. Inter tributa, & collectas ea deter-

mi.

minatur differentia, quòd illa rebus, hæ personis pro rebus imponantur. Collecta est munus reale, quod pecuniâ, vel fructibûs, aut rebûs ipsîs præstatur ad Reipublicæ utilitatem. Finis Collectorum; ut Princeps, aut Respublica necessaria inde percipiat subsidia. Species duæ, ordinariæ, & extraordinariæ; illæ canonicæ (sive statæ, & annuæ, sive temporaneæ) dicuntur; hæ collationes ex improviso indictæ, quas scilicet adventitiæ necessitatis sarcina repentina in sublevamen exigit. Magna æconomix Satrapicæ utilitas ex harum Collectarum proventibus accedit; majus tamen damnum, si vel nimis onerosæ, & extra ordinem colliguntur, vel, si etiam justè collectæ in alios sumptus distrahuntur. Unde sæpè fit cum magno subditorum dispendio, imò etiam odio, ut extraordinariæ transeant in ordinarias, eæque, quæ caducæ esse debebant, onere communi subsistant, & continuentur. Sanè ut huic malo cautum foret, hæc perpetua bonorum Principum in suos subditos fuit benevolentia, ut collectas ab eis non exigent, etiamsi possent, uti possunt, nisi eæ utrimque per Ordines Provinciæ mutuo consensu fuissent comprobatae. Neque in Comitibus hunc in finem convocatis difficilis unquam erit subditus, si non ultra vi-

res aggravatus. Omnes, & singulos ad Principem suum ita locuturos arbitror, uti olim Octavium Augustum Cæsarem Mœcenas optimè hac super re hortatus est. *Neque (6) clam me est, aiebat, nonnullos, Collectas, & tributa institui, ægrè laturos esse; verùm hi ipsi, sineque aliò præterea damnò afficiantur, & re ipsa comperiant, hæc ipsorum salutis causâ, atque, ut cæteris suis bonis tutò perfrui possint, exigi; præterea, cùm plerique ipsorum eam pecuniam, alii Magistratum gerentes, alii Præfecti Regionum, alii militantes accipiant, magnas etiam tibi grates agent, quòd exiguum reddituum suorum partem tibi conferentes, reliqua omnia sine damno percipere possint; idque eò magis fiet, si te continenter vivere, ac nihil prodigere videant. Quis enim, cùm videat te in re familiari summâ parsimoniâ uti, in publica liberalissimum esse, non ultro velit aliquid conferre;*

cùm

(6) Apud Dionem Cassium Hist. Rom. l. 52.

*cùm tuas divitias suam securitatem, & copiam esse
judicet?* Hæc Augusto Mœcenas. Hæc Principi suo
omnis fidelis subditus. Illud adhuc hæc annotari velim,
*esse (7) quandam officii Principis, & pastoris
cognitionem; ad pastorem pertinet curare, ut
pecora habeat læta, & succulenta; ad Princi-
pem, subditos facere opulentos, & non novis ex-
actionibùs ad inopiam redigere.*

Quæ de jure Collectarum dicta, ea etiam de jure
Mineralium observanda sunt. Magnum, si non maxi-
mum æconomia Satrapicæ incrementum ex mineralibus
venit, si qua in Regione absconditos metallorum thesauros
Superi industriæ humanæ concesserint. Auri, argentique
fodinas Regalia esse Regum, & Principum, patet ex con-
stitutione Henrici IV. Imperatoris, quod dein in aurea Bul-
la latiùs confirmatum est tit. 9. Pessimè inferunt ij, qui
in contrariam abeunt sententiam, venas auri, argentique
numerandas esse inter bona, quæ dominò carent, aut per-
mittendas domino fundi, in quo eruuntur; cùm, quoad
primum, venæ ubicunque inventæ, fisco Regio cedant

D d d d 2

&

(7) *Dominic. Arundus in Bulla aurea.*

& , quoad secundum , juri , ac legibus abundè satisfactum sit , si ex inventis privato in loco fodinis , & Regi , ac Principi acquisitis tanquam Regni bonis , inventori aliqua pars , & domino fundi aliqua portio consignatur . Et quidem faciliùs , & justius agit Princeps ad publica sustinenda onera maximis impensis oneratus , si ex bonis subditorum (si tamen talia sunt mineralia) sibi consulit , quàm per Collectas , & tributa , maximè dum vix alius , quàm ipse Princeps præstandis sumptibus sufficiat , quos in eruendis metallis impendi necessum est , dum sæpè necdum satis constat , quantum , qualève sit , sæpè etiam in exigua quantitate tota metalli vena absolvitur , ita , ut propter incertam proventuum spem inter privatorum bona venæ metallicæ vix computari queant . Interea certum est , plurimum interesse , ut pactâ inventori eximia mercede , & servatâ exactè contractuum fide , subditorum industria ad investigandos metallorum thesauros excitetur ; cum penè fidem omnem excedat , tot , ac tantas montium vastitates adeò steriles , & sine ullo commodo Bojariæ appositas esse , quales hodie aspiciamus , tenui , & vix ullò patriæ incrementò . Plurimas esse venas , quæ negliguntur , patet ex arenis aureis

reis fluviorum, quæ satis indicant, vicinarum riparum viscera gravida esse aurô, cum tam pretiosum abortum faciant. Neque ullum penè Principem esse arbitror, qui non eas possideat divitias in Regionibus montanis, sed deesse vel industriam, vel fiduciam in perficiendo | scrutandi labore. In Comitatu Tyrolensi, cujus montes nostris sunt contigui, in Bohemia, in Saxonia, Pannonia, Transylvania, Polonia, & Hassia illæ naturæ dotes sunt. In Suecia montes auri, argenti, æris, & plumbi numerantur. Britannia stannum argenti propè æmulum gignit. Electrum mittit Borussia, gemmas Hercyniæ saltus. Et sola Bavaria hoc beneficiô exuta naturam omnino experiatur Novercam? Neutiquam existimandum, ita Deum dispensâsse, ut una Bavaria his dotibus careat. Immensæ divitiæ latent abditæ sub montium molibus: profundæ aliæ, aliæ in propatulo, tantæque earum varietas est, ut certare videantur cum illis, quæ enascuntur. Ergo si jam olim tales venæ comparuerunt, uti constat, eæ investigandæ porrò, & de novis sedulô cogitandum. Mirum patriæ commodum, & solatium est, publico servitio publicum æquè, ac priyatum procurare bonum. Labore, & opere

publico nisi occupes in otio vagabundum, ex otio insolentem, civibus æquè, ac colonis onerosum, & in omnia scelera proclivem mendicorum gregem, nunquam tranquillitati consules publicæ. Gemunt subditi sub onere exactionum indigniùs pressi ab injuriis, & minis eorum, qui ferarum instar nullibi, & tamen ubique abdita sua inveniunt, & quibus nihil perdere posse lucrum est. Maritimæ Provinciæ purgantur hac fæce hominum; cum potius ex crimine, quàm ex paupertate sordidos, partem ad remos, partem ad Indiarum colonias transmittunt, & sic à magno onere levant operosos in bonum publicum colonos. In nostris Regionibus, cum desint maria, ac emporia, quæ rejectos à communitate civili, & ad remiges damnatos occupare possent, hæret in visceribus patriæ, imò grassatur quotidie lues illa pessima mortalium, quibus satius est, panem emendicando furari subditis, quàm lucrari labore. Sunt quippe nati inter, & ad sordes turpissimi otii.

Tertiam, eamque æconomia Politicæ partem complectitur mercatura, & agricultura. Mercatura triplex est: Navigatio, devictio, seu fœneratio, & negotiatio. Pri-

mam

mam penè ignoramus in nostra patria ob nimiam distantiam ab emporiis maritimis ; habet tamen & ipsa Bavaria è navigatione non modicas divitias, ubi secundò Oenôthal in diversis salinis coctum in confinia Austriæ dimittit ; adversò dein Danubiò in ultiores Imperii Provincias idem reducit, magnò Principis, & patriæ emolumentò. Olim res rara, nunc in promptu, unde celebre commercium cum Suevis, Rhetis, Franconibus, Helvetiis, aliisque Rheno confinibus, magnúmque vectigal, majus tamen, si consenesceret, quibus adolevit, legum incrementis. Secundam, quæ est fæneratio, Alberti Pij patèrna cura è finibus nostris penè ejecit, depulsis ex omni civitate, & Provincia Judæis. Optandum tamen foret, eam improbari ab omnibus eadem Religione in secreto, quæ ostentatur in publico. Certè cohibitam usurariorum licentiam debet quævis Provincia vigilantia, ac justitiæ Regis, & Principis sui. Officii Principum, & salutis Reipublicæ est, impedire latrocinia, rapinas, furta, calumnias, & tribunalium injurias. Et furta usurarum impunè abeant? Romani fœneratorem graviùs, quàm furem puniebant, hoc in duplum, illo in quadruplum condemnatò. Sanè hac mulcta, &

hòc titulò Princeps justè pecuniam colligat ; nec ea unquam deërit, nisi defuerit usurarius. Vitia temporum cum præstabunt divitem. Neutiquam tamen emptionem censûs usuram dixerim ; nam jure pecuniæ in alium translato etiam jus annui reditûs accipitur. Est etiam alia conditio lucri cessantis, & damni emergentis. Si utrumque reale est, nec illi alia ratione occurrì potest, justa, & debita est indemnificatio. Nemo alterius commoda cum suo detrimento curare tenetur, manétque hìc æqualitas, & justitia, quæ non vult uni esse fraudi, quod alteri lucrosum est. Agendum proin hìc unicè, licèt brevius, quàm oportet, de negotiatione valida, & in bonum patriæ proficua.

Duæ sunt negotiationum, saltem in patria nostra species. Una est, cum res rei succedit ; altera, cum res non cum re, sed nummo permutatur. Ab omni ævo in nostris Provinciis ea fuit consuetudo, ut pro frumento in exteras, sed finitimas terras abducto, vinum, & alia ad victum etiam non omninò necessaria inveherentur. Nunc verò frumentum, & sal aliis mercibus, maximè tamen nummò commutantur, qui omnia liquida facit, & omnia

præstat omnibus. Numisma enim secundum Aristotelem elementum, & finis est commutationis. Felicem te dicam patriam, cui planè omnia ad victum necessaria abundè suppetunt, & cui plena restat libertas commutationis, sine timore penuriæ domesticæ. Felicem etiam ex paterna planè cura Principum, quorum solertiâ, ac impensis hæc falis, & alia commercia procurata magnam partem subditorum sustentant, mutuô adèò solatiô, ut Princeps plus posse in subditos elargiri, Principi subditus majus identidem incrementum exoptet.

De pascuis supervacanea narratio omnis. Constat, Bavariam ex amæna plerumque planitie, & immensa penè agrorum, camporumque vastitate iis omnibus abundare, quæ vel ex fertilitate soli, vel ex industria colonorum sperari possunt, vel etiam ex ipsis pascuis, quæ sunt mobilis, & viva agricultura. Statis in anno temporibus ingens diversorum animalium domesticorum copia in exteras Provincias abducitur, submittit & equos, ad agriculturam æquè, ac ad militiam aptos; imò cum equis è colonis etiam milites, è victu robustos, in periculis intrepidos.

Venio demum ad ultimam æconomiaë partem, quæ anomala potiùs ad privatos, quàm ad Principes pertinet, eò quòd absque certa forma existat, & non ad unam tantùm intentionem exerceatur. Hujus optimus proventus est ex agricultura, atque eâ vivendi normâ, ne majores sint reditibus expensæ.

Quid de agricultura sentiendum sit, Socratem audiamus. Hic in favorem agriculturaë, Amalthææ cornu interpretatur his similitudinibus. *Amalthæam significare illum, qui minimè dissolutus, & gnarus, & operarius omnia bona consecuturus sit. Per cornu verò bovis, quod animal est laboriosissimum, virum operarium innui, botros autem, & similia in cornu esse; quoniam omnia, quorum egemus, agriculturaë insunt, eâmq; ob rem gestari hoc cornu à bono genio, bonâque fortuna.* Bonum hunc genium ego omnem intèrpretor Principem, qui Reipublicæ in nullo magis consulit, quàm curâ assiduâ,

duâ, ne agriculturæ amor, studiûmque inter subditos suos
 langueat. Per agriculturam populo ubertas, cum uber-
 tate tranquillitas, pacatûmque est regnum Principis; hanc
 tolle, aut negliges, invalefcet pauperies, otium, & ex hoc
 pessimum, quidquid in regno timeas. Non frustra ea par-
 simoniæ, diligentia, & justitiæ magistra dicitur. Ut enim
 (8) *futuro Imperatori necessaria sunt exercitia
 venatoria, sic admovendis ad curam Reipublicæ
 propriè pastoralis ars convenit, velut præludium*

quoddam Magistratum. Libenter præstat colonus
 præstanda Principi, si ex agriculturæ præceptis imposita
 tributa Principem quidem ab onere sumptuum pro parte
 aliqua sublevant, sed colonum non ita deprimunt, ut in-
 ter sudores suos ipse frigeat, & algeat. Occurrunt equi-
 dem nonnunquam ea tempora, ut consuetis tributis, vel
 collectis publici sumptus levare nequeant, ita, ut ad alia
 media Principem etiam invictum deducat temporum in-
 iquitas. Opibus augendis, firmando regno, extendendo,
 propugnando, varia, & plurima reperta, imò etiam in-

Ffff 2

trodu-

(8) *Philo Judeus.*

troducta sunt media ; succrescunt tamen in dies nova, protruduntur nova vel placendi studiô, vel Reipublicæ commodô, vel privatô, Hæc inter quid agendum Principi ? quid consulendum ? audisse harum rerum Authores obesse potest nunquam, repulisse sæpius. *Uti enim levis est animi, fidem omnibus adhibere, ita morosi est ingenii, omnia rejicere.* Prudenti proin tum suo, tum fidorum Ministrorum consilio, & examini subjiciet, quid promittant novarum rerum inventores ? arduane sint, an facilia ? periculum creari possit regno, an secus ? sumptus magni faciendi, an parvo res peragenda ? numeranda aliqua pecunia inventori in antecessum, an contentus præmiô re peractâ ? Et, quod maximum, quænam illius vita, morumque probitas ? qui enim sibi nequam, cui bonus ? Si periculi metus nullus, si sumptus exigui, si nihil oneris indebiti in subditos, nihil ad authorem accesserit, nisi re ex voto obtentâ, audendum quid erit, & tentandum aliquid. *Non magna parvæ rei jactura est,*

est, quam spes comitatur maxima. Sapiens Piscator escam projicit, licet non rarò optata frustretur piscatione. Columbum magna spondentem repulisse, Reges Lusitaniæ etiamnum dolent. Regibus Hispaniæ vicissim gloriæ est, & immenso incremento, propositum illius audivisse, examinasse, perfecisse successu felicissimo. Si in his periculum elucet nullum, certissimus & Principi, & Reipublicæ fructus est, artes à vicinis, remotisque regnis ita mutuari, ut denique pro civibus habeas, quos inter externos magnò pretiò solvis, artifices. Optima, & facillima hæc norma est ditandi Provincias, excolendi subditos, ac parandæ ad posteròs gloriæ. Artes bonorum fontes esse ait Xenophon. Et omnis ingenuarum, humanarumque artium doctrina uno quodam societatis vinculo & ipsa continetur, & alios, quos occupat, continet. Sunt enim artes non ornamenta solum Reipublicæ, sed etiam auxilia, & fulcra, ita, ut pacem dirigant, bellum dirimant, vitia premant, virtutes excitent. Has qui coluerit, abundè & sibi, & suis prospexit. Novos faciunt homines, & penè plus quàm homines.

Eò enim ventum felicibus his sæculis, ut mortalium varia excogitantium artificiosæ manus penè ipsa cum naturæ res vivas producente in certamen descenderent. Stabiliat illas in Provinciis suis Princeps, exterorum opes alliciet, non distrahet suas. Præ omnibus tamen amet litteras, & litteratos, à quibus magnum in paranda virtute adjutamentum, in parata ornamentum est. Quid nobilius, quàm numerare cives, Dei interpretes, Regum Magistros, sæculi decus, posteritati miraculum, Reipublicæ oraculum? Caveant Reges, & Principes, ne iterum dolendum sit Lipsio: *Litteris, & doctrinæ laudem esse, & famam; præmia rara.*

Redeo ad argumentum meum, & ex his omnibus concludo, nullum Principem suo magis prospicere bono, quàm qui semper intentus est publico. Pro coronide addam Bojci Salomonis oraculum, Maximiliani ad Ferdinandum monitum: *Laudandus Princeps æris sui non prodigus, sed largus, ac munificus, qui cæteroqui sit publici tenax, et tantum non avarus.*

Lau-

*Laudo frugalem, qui magnas opes non tam capi-
endo, quàm non perdendo quærit. Laudo pro-
bum dispensatorem, non iniquum dissipatorem
ærarij. Laudo, si publicas opes non ad privatas
aliorum, neque ad suas, vel suorum cupiditates
effundit.* Ita Maximilianus, postquam rem suam mirè
auxit sapienti æconomiâ, magnâque rerum experienciâ,
non ex belli spoliis, uti maligni ejus obtrectatores jacta-
vère, ipse apud argumentosa, & sibi, & suis optimè mel-
lificavit.



DISCURSUS VII.
 PARS SECUNDA.
 POLITICO - HISTORICA.
 ALBERTUS PIUS.



Ntiquæ , & moribus sæculi obsoletæ
 scientiæ monitum est , *Regem popu-
 li, non hunc Regis causâ factum,
 et constitutum esse* ; ideóque om-
 nes Principis curas , cogitationes , & studia ad populi sa-
 lutem , & utilitatem dirigi debere , usque adeò , ut Aristo-
 teles eum Regem tyrannum dicat , qui omnia ad sui pri-
 vatam , nihil ad populi utilitatem referre satagit. Invisus
 semper Princeps est suis , cujus ornamenta ad pompam
 com-

composita oculos implent, exhauriunt loculos ; ille vero, qui neminem ab usura opulentiae suae excludit, benignorum more syderum bono magis publico splendet, quam suo. His radiis illuxit orbi Bojco Albertus Pius, sydus adeo illustre, ut nunquam ex integro occiduum, semper in felici augustae posteritatis memoria gloriosò optimi Principis exemplò præfulgeret. Interea mirum videri poterit, Albertum in cognomine Pij velut vivum exemplar boni erga subditos Principis tum à sua, tum à nostra ætate adumbratum esse, cum & insignis ipsius prudentia, illæsa semper justitia, aliæque virtutes sibi hanc prærogativam vindicare possent ; nec ita etiamnum ex illius actis, factisque tam planè appareret, quibus pietatis studiis, quæ & aliis è sua gente communia, ac avita esse solent, præ omnibus ille solus in cognomine Pius immortalis gloria celebraretur. Singulare quid prorsus in Alberto fuerit, oportet, quod ipsum in elogio Pij posteritati commendavit. Atque hoc ipsum, quod explicare aggredior, propositum meum confirmat, optimum æconomum eum esse Principem, qui plus suorum, quam suæ utilitati provisum cupit.

Hhhh

Pie:

Pietas, virtutum caput, alia est erga Deum, alia erga hominem. Illa est partim Theosebia, seu cultus Dei interior, qui propriè pertinet ad virtutes Theologicas; partim latria, quæ pertinet ad servitutem divinam exteriorem. Hæc principaliter spectat ad parentes in liberos, inagis tamen ad liberos erga parentes, quibus ab ipso Divino oraculo ex pietate vitæ longævitas est stipulata prærogativâ speciali; dum nulli alij virtuti in hac vitâ suum determinatum præmium divinitus annexum sciamus, ita, ut Deus eam in piis erga parentes liberis duplici mercede, hujus, & alterius vitæ, pari celeritate remunerari, qua punire impios statuerit. Huic tertiam addit (1) Divus Thomas pietatem in patriam, quæ proximè spectat ad bonos Principes erga subditos.

Fuere quidem inter privatos, factô aliquô præclarô ex amore in patriam immortales. Græcis adagium est: *Mitte in Macariam.* Quo reviviscere cupiunt memoriam illius Macariæ, quæ spontanea mortis victima, ac sic adimpletô oraculô, Atheniensibus contra Eurystheum insignem victoriam obtinuit, digna Herculis filia, digna, cujus tumultum Athenienses eò usque floribus, & coronis deco-

(1) *Secundâ secundæ Q. 80. art. 1.*

decorârint, ut inde illud adagium inter illos, velut continuum exemplum amoris in patriam permaneret, aliósque ad parem virtutis gloriam invitaret. Notus est Horâtius Cocles, in ponte sublicio pro patria solus depugnans. Irruens in urbem Barbarorum agmen ille solus aditu prohibuit. Portam dixisses æneam hostibus obstantem, & contra omnia tela aheneam, nisi oculô læsus, dejecto à tergo ponte in ansem præceps in littus ad suos enatâsset. Ex vulnere luscus plus vidit, quàm priùs, nempe nomen suum Romanorum Fastis gloriosè insculptum. Ultroneo saltu de ponte in subiectum flumen defiliens, in fastigium Capitolij insiliit, ubi statua illius posteris in exemplum profitit, nihil non audendum pro patria. Trigemini Romanorum Horatii, totidémque Albanorum, pacem inter Romanos, Albanósque, ac patriæ imperium conciliârunt; cùm singulos virtute in patriam æquales fortuna pro debito remunerari se posse ipsa dubitaret, unum tantùm in simulata fuga Athletam victorem superesse voluit, quem Romani coronarent, postquam singulis omnium admiratione, ac communi elogio parentâsset. Providè factum à fatis, ut unus viva voce concives, & poste-

ros suos identidem animaret ad subeunda alacriter pericula, si quando patriæ salus periclitaretur, quod reliqui, inter gloriosa vulnera exanimis, ad utramque gentem suò exemplò perorabant. Quæliacunque hæc privatorum facta, & quantumcunque magna sunt, ea tamen omnia transcendit amor patriæ in Principe, quantum dignitate, ita utilitate superior.

Una agit in privato virtus, in Principe omnes, quæ demum patriæ bono proficuae esse possunt. Fides, sive pietas Principis erga patriam, bona patriæ conciliat, propagat, conservat, mala avertit, excidium prohibet, securitatem procurat, & pacem sustentat. De privatis Cicero in patriam bene meritis ita perorat: *Omnes, qui patriam conservaverint, juverint, auxerint, certus in cælo, & definitus est locus, ubi beatò ævò sempiternò fruuntur.* Quid nos loquemur de Alberto usque ad eò in patriam Pio? qui hæc omnia patriæ emolumenta subditis suis conciliavit, plus in illorum commoda sollicitus, quàm sua.

Extinctis Ducibus Ingolstadiensibus, Ludovicò Barbatò

In somn. Scipion.

batô Patre, & Ludovicô Gibbosô filiô, hoc ex impietate in patrem fatô præmaturatô, illô in squalore carceris hostibus suis priùs venditô, ac revenditô, Henricus Landshutanus amplissimam eorum hæreditatem occupavit, exclusô Albertô Piô, cui ea ex pari jure, saltem ex semisse competeat. Quanti momenti ista hæreditas, & accessio Provinciarum, ac bonorum fuerit, abundè ex eo patet, quòd ex illo tempore Henricus, Ludovicus filius, Georgiùs nepos, Dives cognomine, ab aliis distinguerentur in Annalibus, uti ex eadem occasione Albertus cognomentô Pius, ex hoc solo illis ditior, quod facta probârunt in posteris. Exorabant Alberti imperium urbes non pauca, ac Pij Principis dominatum optabant, probè gnaræ, Henricum ad suas magis, quàm subditorum rationes attentum, Alberto nec jure hæreditatis superiorem, amore verò in patriam longè inferiorem, minimè præferendum esse. Civitatum precibus sociabant Bojariæ Proceres monita: indignum esse, jus tam opimum negligi, quod quisque armis, auxiliô, & subsidiis vindicare paratus foret. Æquè periculosam esse regnandi rationem, quæ jura sibi, ac posteris debita negligeret, quàm quæ à justitiæ

regula ingenti divortio abiret. Non sine dedecore aspernari gentis, ac augustæ familiæ augmenta, quæ per ignaviam legitimi hæredis, impunè usurpantur ab alio. Commissum Principi à Deo in suos dominium exigere, ut omnem omni, quo licitum, modo, rebus suis accessionem procurèt; injuriosum, pati tantum decrementum; ipsâ neglectum exprobrante justitiâ. Eas esse rerum vices, quæ cælo subjacent, ut, qui hodie alienam potentiam sibi nimium quantum vicinam negligit, vel, cum possit, non impedit, cras suam omnino nullam, aut precariam experiatur. Non semper eandem etiam inter agnatos continuari indolem pacificam. Inhiare omnibus, qui subito auctus pluribus, aliena iniquè occupata nec improbari videt, nec vindicari. Sæpè succedere noxiæ lenitati contemptum, huic oppressionem, ita, ut, qui à vicino in rem communem subsidium speraverat, cogatur provolvî ipsius genibus, protectioni impetrandæ. Consulendum fortunæ in casum præcipiti, tuendumque jus communibus & animis, & armis, majori postea periculo repetendum, si tamen sperandum, auctâ hostis potentiâ ex nostris manubiis. Tantum interesse populi, quantum Principis,

novis subsidiis augeri ærarium ; minus enim periculi fore, majoris oneris, postquam publicæ necessitati aliunde provisum. Henricus, quo in Albertum animo futurus imposterum fit, patere ex eo, quo jam nunc agit, usurpata hæreditate, qua tacite provocat, quem contemnit aperte. Prænuncium fulminis ignem. Absit omen. Hæc fidei Bojorum Proceres. Gratum habuit Albertus suorum consilium, non ratum tamen, & quæ ipse animo statuerat, occultandum ratus, donec doctissimorum virorum opinionem, quos in Germania, & Italia consuluit, desuper resciret. Iis auditis mitiorem secutus partem, vel potius pietatis suæ in patriam instinctum, suis ita respondisse ab effectu argui potest. Viris loquor, Proceres, quorum nota in me fides, constans in Principes suos amor, justum suavit, & utile. Utrumque ubi concurrit, tutè consultitur, tutè, quod consultum, peragitur. Gratum habeo affectum in me vestrum, causæque meæ curam ; gratum vicissim & vobis spero fore, quod mihi statuere satius visum. Mei vos sollicitos esse video, arma paratis amovendæ injuriæ : jus meum vestrò etiam periculò tuendum putatis. Ingratus forem, si non eandem pro vobis, ac pa-

triæ bono curam rependerem. Hastenus de iis actum, quæ in meum, meæque gentis augmentum forent; & quò major vestra pateret fides, penè cum omni injuria vestri commodi, vestræ, & publicæ salutis. Mearum jam partium est, illa curare ex officio Principis, ex amore paterno in patriam, quæ vos neglexisse video, tum ex affectu procurandæ justitiæ, tum ex vindicta jam læsæ. Hæreditatem pari jure in me, quo in Henricum devolutam, iniquè præreptam, justè vindicandam putatis. Invitant me ultro urbes, & oppida, justoque dominio subesse malunt, quàm usurpatoris. Nec sine viribus vana sunt studia vestra. Arma, & opes vestras in subsidium causæ meo subjecitis arbitrio. Dulce est, tot virorum propensos in mea commoda animos experiri; iis tamen ne abutar, etiam uti timeo. Opulentior, & potentior ut sim imperium, vos ego egenos, afflictosque efficiam? ærarium meum novis ut compleam divitiis, commune exhauriam, tributisque novis opprimam subditos? qui meam gloriam, meam salutem procurant, hos juvem excindi, & quod in bellis primum, vastari, spoliari? ita, ut alienam ego hæreditatem accipiam, suâ quisque excidat, liberis vestris

ex calamitate belli, si non orphanis, sanè auxiliò exutis, quod ipsis vestra pietas paravit in ultimum solatium triftis excessus vestri? Absit, ut ita impius sim. Res, quæ mihi sine bello non peragenda, nec bellò transigenda est. Potiora sunt, quæ timeam, quàm quæ sperem, alea belli dum iacta fuerit. Nempe vobis, & patriæ timendum, ne, quod mihi soli accedit incrementum, illud vestrò damno, vestro sanguine emptum videatur. Liberos cuique, ac propinquos suos natura charissimos esse vult, mihi patriam officium Principis. *Princeps (2) publica potius, quàm privata curet, eumque omnia facere oportet non ob quæstum privatum, sed salutem, custodiámque subditorum.* Hanc si quis incolumem præstiterit, facile à me assensum habebit. Verùm, eam periclitari dum timeo, satis reus forem, non evitando periculum. Patet abundè Henrici indoles, nihil non pejus ausura, postquam aliena præripere nec timuit, nec puduit. Præsenti ille in meam, vestrámque ruinam subsidiò audus, ex crimine uti fortior, ita audacior erit. Nos de incerto contendimus, sed certò nostrum omnium pericu-

Kkkk

lô.

(2) *Erasm. in apophteg.*

Præfens fanè tranquillitatis, ac salutis publicæ status, futuris omnibus mihi potior est; ea nunquam fortunæ committenda, quæ totam Rempublicam complectuntur.

Dubia omnia, quæ futura, noxia, ubi periculosa.

Equidem natura nostra hoc quoque nomine prava est, quòd præsentibus futura potiora arbitramur: ego, quod omnis boni Principis officium est, hoc unum proprium iurum, & instar infinitorum aliorum censebo, omnia sic facere, ut & in ipso imperij mei tempore, & post id, pietatis in patriam testimonium ab omnibus habeam. Dulcis mihi semper erit jactura privati boni, quamdiu publicum, vestrumque omnium procurabo, conservabo. Dixit, litèmq; Henrico de hæreditate movit nullam. Neque, hoc extincto, Ludovico filio. Decidit tandem causam supremus rerum arbiter Deus, & piè relictam ab Alberto Bojariæ partem compensavit hæreditate totius, quæ Alberti posteris, deficiente mascula Henrici stirpe, obvenit.

Tanta esse solet usura pietatis.

Si unquam, ut Aristoteles ait, *similis est comparatio Principis ad subditos, patris ad filios,*

pa.

(10)

pastoris ad oves, ea tota est in Alberto Pio. Vitricum penè egit, erga prolem suam, ut pater esset subditis suis. Pastor qualis fuerit, sequentia docebunt; licèt ex hoc pietatis in subditos exemplo abundè fatìs pateat, Albertum ovibus suis plus cavissè, quàm sibi, magis sollicitum conservandis pascuis, eorùmque ubertati, quàm ut pastoris accresceret patrimonium. Cicero hoc in casu de Principe in patriam pio aliam facit observationem, dignam quocunque Principe, qui amat eadem frui. Principem ille omnem Navarchum nominat, Regnum omne, aut Rempublicam navim. *Ut contemnendus, qui in navigando se mavult esse incolumem, quàm navim, ita vituperandus Princeps, qui in Reipublicæ discrimine sibi plus, quàm communi salati consulit.* Irrita sunt mercatorum studia, partæ tot periculis divitiæ; spèsque omnes exhausti laboris; majori dolore, majori damno pereunt, quo lucrum numeratur certius, si Navarchus levi cura nec scopulos timet, nec syrtes, certus de scapha, qua evadat è naufragio. Ultimus plerumque est Princeps, ad quem malorum Reipublicæ extrema per-

veniunt. Primus autem ille sit, qui ea antevortat. Et triste, vel nullum est solatium enatanti in tabula, naufragii spectare rudera: & quos in navi sua recepit fide publica, eos penè naufragos, rectoris vel imperitiâ, vel desidiâ. Qui cynosuram, finem nempe primarium boni publici non amittit, nec navis suæ naufragium faciet, nec ipse erit naufragus. Nec enim scopulos solummodò, sed & illud maximè cavebit, ne commissâ sibi navis onere mercium prægravis ex suo pondere in profundum desidat. Merces eæ sunt nimis onerosa populi tributa, ac vectigalia, quibus exhaustæ Provinciæ etiam sine hoste pereunt. Optimè jam dudum monuit Poëta:

*Uberibus lactis succum, non sanguinis hauri,
Et coriò missò, sit tibi lana satis.*

*Non nimis emungas populos, sed viribus æqua
Exige. Sic regnis pax erit alma tuis.*

Diximus superiùs, Principem bonum se habere ad subditos, ceu Pastorem ad oves. Pastori non satis, læta ovibus, & pinguia conservare pascua, continuæ sed etiam curæ est, rapaces avertere lupos, securumque præstare ovile:

ovile : & ne pestiferum quid suum inficiat gregem. Vidit, & doluit Alberti in patriam pietas, Provinciis suis accidere magna incommoda à Judæis, fordido, & ob usuras, fraudésque perniciosissimo hominum genere. Ergo Monachiô omnes exterminavit, eoque exemplô Ludovicum Landishutanum Henrici filium ita commovit, ut & ille una die, & hora pessimam hanc facem quadraginta omnino locis exesse jusserit, nullô his corvis in Bojaria relictô nidô ; eô verò, in quo Monachii nidulari, suâque conventicula celebrare solebant, in Marianum Hypogæum commutatô, in quo perpetua posterorum pietas sacro horrore monita omne detestaretur impiæ hujus facis commercium. Sunt Principes, sunt civitates in variis Provinciis, qui Judæos promiscuè tolerant inter cives, & subditos suos. His obloqui meum non est ; licitum tamen, quæ sentiam, edicere. Venenum, & pestis in intimis visceribus Reipublicæ grassatur, quousque hæc furtis, rapinis, fraudibus, & imposturis conglutinata scabies, & viperina propago toleratur. Licitum sibi arbitrantur omni genere fraudum circumvenire Christianos, Et, dum aliquando

Principibus prodesse videntur, magis nocent, damnatis spiritibus simillimi, qui commoda quædam in speciem miserrimis hominibus offerunt, ut in vera exitia præcipitent. Quî enim vivat hæc vagabunda, nullibi secura, quotidie extirpanda, Deo, hominibusque invisa plebs? Non agros, non vineas, non artes, non publica commercia colunt. Nil illis superest, quàm fraudibus, dolis, imposturis lucrum facere. *Omnia (2) scrutantur, & quasi canes lucrum ex qualibet re odorantur.* Sæpè Principibus, sæpè Magistratibus ex protectione magnæ sunt ortæ turbæ; & plus damni, quàm lucri, plus odij, quàm solatii: ita, ut Magistratui non rarò dura necessitas, eos contra pacta conventa deserendi, vel eos contra omnium odia, non sine summo periculo defendendi incumberet. Nec tamen adeò miseri sunt, quin Patronos suos plus inter Christianos, quàm inter se ipsos habeant. Nescio enim, quo facto Judæi more, & naturâ canum ofensa etiam, sive rerum vilissimarum commercium qualecunque alter alteri invidet; nec sine injuria, & nequissima quasi amicorum admonitione præripere gestiat. Sunt tamen,

(2) *Joan. Pfefferkorn.*

men, qui patrocinari audeant iniquissimæ faci. Præ-
dunt ærarij utilitatem ex vectigalibus, quibus onerari so-
lent Judæi, causæ hujus pessimæ ignari Patroni, Judæos
nihil de suis, omnia de rapinis publicis conferre, post-
quam ipsi furtis publicis jam priùs abundè saginati tenue
hoc vectigalium damnum, & majora quæque pro nihilo
habent. Ajunt, esse commodum subditorum, quibus
mutuâ pecuniâ in ultimis necessitatibus subveniendum:
& probè sciunt, hac ratione subditis extorqueri fortunas,
ut eæ ad fæneratores initiò hebdomadarios, dein men-
struos, postea annuos transeant, nullâ spereditûs, accref-
cente in dies usuræ damno, & onere. Pessimè agitur,
quòd sæpè Christiani arguantur, quorum Judæi sint insti-
tores, & propolæ usurarum. Legitimo censu, & cautio-
ne accipiunt à Christianis pecunias, in singulos annos
quinque pro centum; Judæis deinde elocant, & accipi-
unt octo, vel decem; illi etiam lucellum sibi vindicant,
ut sæpè quindecim, aut viginti in centum dentur. Hæc
tamen ut credam, induci nunquam potero; licèt sint,
qui exinde doleant. Sperant alij, convertendos fore Ju-

dæos, ex communi nobiscum commercio, & inde tolerandos putant. Hi planè erronei sunt. Manet idem mutuuum odium manente causa. Nos Christum adoramus, cui illi in dies singulos maledicunt, quò pejores, eò gloriosiores inter suos. Et quî restituant furta usurarum? Ejectum proin è patria nostra Alberti in patriam pietate turpissimum hoc genus hominum redeat nunquam.

Plutarchus in moralibus aliam facit observationem, ubi ait: *ut canes ovium custodes excubias agunt non sibi timentes, ita Rex non tam sibi debet timere, quàm populo.* Albertus Pius impeditis belli injuriis, quæ patriæ ob negatam, ac justè repetendam hæreditatem obvenissent, ejectisque è patria Judæis, necdum pietati suæ satisfactum putabat. Integram ille subditis suis securitatem, plenamque tranquillitatem procurare voluit, & præstitit; eò tamen difficiliùs, quòd illa ætate rapinæ, & latrocinia publica inter equestris ordinis decora numerarentur. Extirpavit ille hos lupos rapaces, & cum nulli latronum parceret, publicæ securitati optimè cavit,

cavit, & tuta à latrociniis itinera in Provincia sua quasi in alylo præstitit. Straubingæ duos optimi sanguinis, sed pessimos latrones unà cum undecim sociis carnificis ferro subjecit, quingentis aliis ex Neunhusio castello extractis sicariis pari supplicio affectis. Sic virefcebat gloriosis foliis innexa justitiæ gladio Pietatis olea; sic patrem egit patriæ, dum hostem se gessit in improbos, & omne spurium, ac, quidquid gregi suo scabiem inferre possit, amovit, exoidit.


Habes hic in compendio Albertum Pium, optimum æconomum, quamcunque demum æconomiaæ partem spectes, opulentiozem in suis subditis, dum suam fugit opulentiam; Principem, dum commodum publicum curavit potius, quàm suum, in patriam Pium. Atque hoc cognomine (reliquas enim virtutes, quæ ad propositum meum non faciunt, aliis repetendas relinquo) illius memoria ad posteros transiit, brevi elogiô, sed gloriosô, & quo in Principatibus illustrius nullum. Princeps fortis prodèst sibi, justus foro, sanctus aris; at Princeps pius, humani generis tam Princeps, quàm

Pater, beat, quidquid regit, & Rempublicam omnem, velut propriam domum complexus, non latius diffundit ad subditos suos potentiam, quàm felicitatem. Exempli optimi utile experimentum cape, quisquis à Deo Reipublicæ datus es Princeps. Sic eris bonus æconomus, Princeps felix, &, quod maximum, Pius.



DIS-





DISCURSUS VIII.

PARS PRIMA.

CRITICO - POLITICA.

Sapiens vento benè navigat Omni.



Rs est nautica, nec discitur obiter, ita exercenda, ut in eam solam cura intendatur, ne obiter simul alia agantur. Artis hujus imperito certum est naufragium, cum derepente compugnantium ventorum flatu violento laceffitum fremit mare, sollicitique gurgitis præruptorum montium, cavis voluminibus repugnantium littorum spumantia ora contundens, minatur per momenta naufragium, procellæ crebrescentes insaniunt, horrendum sibilant funes, gemunt

Nnnn

ceden-

cedentibus velis antennæ, retusa undique iter non invenit prorâ. Omnia conspirant ad deprimendum in ima profundi natatile tot hominum sepulchrum. Resistit omnibus, artis suæ probè gnarus Navarchus. *Difficile* (1) *fecit naufragium, qui ventorum rationem diligenter perspexit.* Duæ sunt stellæ polares, ad unius harum cynosuram in universo hujus mundi pelago navigat, quisquis se mari committit.

Ventorum, quorum notitia præ aliis necessaria, nomina, & situs, hæc sunt. Ab Oriente est subsolanus, huic sociantur à solstitio æstivali Cæcias, ab Hyberno Vultur-nus, singuli calidi, sereni, & salubres. Ab Occidente Favonius, seu Zephyrus, cui collaterales à Septentrione Corus, à Meridie Africus, omnes humidi, & tempestuosi, sed non semper, nec ubique pluvii. A Meridie Auster, cui militant à dextera Euronatus, à læva Libonatus, graves, & pluviosi. A Septentrione, quem comitantur à dexteris Trascias, aliis Circius, à sinistris Aquilo, frigidi, & sicci in æstate, in hyeme nivosi, grandinosi. Hæc de re nautica.

Non absimilia de conditione cujuscunque hominis, præcipuè verò Regum, & Principum. Duæ tentationum

spe-

(1) *Vellejus.*

species. Aut enim tribulatio cor vexat humanum, & sic per patientiam jactatur impetuosis calamitatum, & adversitatum fluctibus. Aut etiam ipsa vitæ prosperitas ad tentationem cedit, inductâ animi malaciâ, non minùs periculosa, quàm furentes persecutionum turbines. Quatuor ventorum effectus æquant quatuor hominis temperamenta. Sapiens vento benè navigat omni. Vir probus, & sibi constans, ille est, qui imperat ventis, & mari. Verùm ubi est tempestas illa cupidinum, & affectuum, ceu ventorum repugnantia, quæ animum tensis concupiscentiæ, speique velis, excusô mentis gubernaculô, perditis in alto constantiæ anchoris, per omnes littorum fluxus, velut per omnia maria circumagit, illa in scopulos & in mortem cogit miseros. Rara sine præcipitatione cupiditas, quidquid vult, confestim vult. Ea brevis in exitium via, & crebrioris prima naufragij causa. Nunquam deerunt venti, animi tui motus, vel ex naturali inclinatione incitati, vel ex prava consuetudine violenti. Hos elude, vel frange velis prudentiæ, vel his utere ad regulam nauticam, debitâ passionum moderatione; portum tenebis, incasum reluctante adversitatum, aut tentationum tempestate: profuerit, quidquid acciderit.

Quales vidimus, superius in ventis notatas qualitates, tales elementarias fovemus in nostro corpore, calidum, frigidum, humidum, siccum, hæc physicè. Morali-ter affectus animi, quibus agitamus, & qui plerumque dominantur in homine, sunt amor, odium, ira, avaritia. Hæc in singulis consuetudo vitæ, morumque habitus, quantumvis recondita palam faciunt, & nisi oppositis corrigantur virtutibus, homo affectuum suorum æstibus, non secus, ac mare ventorum arbitrio subjacet. Comitanter quatuor ventos sui quemque comites, has temperamenti inclinationes, & naturæ dispositiones reliqua omnia vitia, usque adeò, ut peritissimò navarchò opus sit salvare navim animi jactatam continuò in hoc motuum nostrorum pelago, quod jam concitatiùs, jam segniùs, modò fluminis ritu, placidè, modò torrentis instar ferociter æstuat, pacatum rarò.

Affectuum nostrorum dux, & choragus est amor, & ille quidem, qui Philautia dicitur; de hoc mihi præcipuè hic sermo; ea enim quæ spectant ad amorem Dei, proximi, & patriæ in aliis discursibus fusiùs explicata de- nuò repetere supervacaneum puto. Philautiæ duas par-

tes statuit Aristoteles, primam laude dignam, vituperio alteram. Qui, amore sui, semper sibi honestum, & bonum vendicat, & sui præstantissimæ parti obsequitur, cique in omnibus obtemperat, ille, probus sui ipsius amator, nihil agit, nisi quod honestatem spirat, & virtutem, ex sui dignus amore aliorum. Econtra opprobrio sibi, & aliis est, sui amore detentus tantum in honoribus, pecuniis, & corporis voluptatibus; pessima horum cupiditas pessimos inducit affectus, estque commune hoc, & maximum omnium quoddam malum, adeo hominum animis innatum, ut illud quisque facile sibi ignoscat, remedium excogitet nullum. Naturâ sibi quisque amicus, tum verò inimicus est, ubi de variis honoribus sollicitus, virtutis omnino incurius, quid justum, quid bonum, & pulchrum sit, malè judicat. Vir ad magna natus, neque se ipsum, neque sua diligit, sed ea, quæ justa vel à se ipso acta sunt, vel ab aliis. Conscientia virtutis propriæ, potentissimus est stimulus ejusdem conservandæ, augendæque; exempla meliorum piæ æmulationis sunt incitamenta, hæc probi facile sequuntur, nullo verecundiæ impediti rubore, & hi probè se ipsos amant. Improbo

O o o o

sui

fui amore stupidi oculos habent, & non vident, aures habent, & non audiunt. Illi sibi ubique indulgentes, & perperam gratificantes, quod ipsi agunt, solum vident, laudantque ut optimum, obversis, & malignantibus oculis in aliena respiciunt acta, iniqui, & malevoli iudices damnant laudanda in aliis, sibi applaudunt in vitiis, occæcati circa occæcatum. Nempe familiare nobis est, omnia nobis remittere, nihil aliis. Hi surdis auribus familiarium, & benevolorum monita excipiunt, & quantum eos alii de vitandis, vel corrigendis vitiis dehortentur, nolunt à confirmato semel inter se proposito recedere, perfinaces capti principii, ex quo agunt, donec obstinatum sui amorem suo luant interitu.

Omniū facillimum est, se ipsum decipere. Sibi quisque persuadet id optimum, quod cupit. Res tamen non ita se habent. Abstrahunt à recto divitiæ, honores, potentia, & cætera, quæ opinione nostra sunt chara, pretiō suō vilia; nihil habent ista magnificum, ut affectus animi prudentis in se trahant; decipiuntur in hæc proclives, amore sui potius fatui, quam rerum pretiō, exultantes de nihilo, quasi magnum adepti. Magna prosperitas

in adversitatem lata est via. *Nemo videtur infelix, nisi prius valde felix habitus.* Lubricus est ad honores ascensus, mora in vertice periculosior, præcipitium, quò propius, eò horribilius. Divitiæ nihil aliud sunt, quàm felix amentia. His avarus abutitur illiberali, & sordido præditus ingenio, æquè ac prodigus. Rarus est, qui eas virtuti ex æquo commodat. Cupido divitiarum neque disciplinam, neque artes bonas, neque sinceritatem animi patitur. Succumbit his fluctibus jactatus animus, & ab opulentia deficit ad voluptatem, imò in naufragium. Inter divitiarum thesauros omnia animi bona vilia sunt, fides, probitas, pudor, pudicitia. Nec divitias, nec paupertatem optavit Sapiens. Nec velim omnem Navarchum periculò naufragii omnes pelago consignare merces; justo pondere onerata navis vix est, quod timeat, nimio verò depressa pondere deproperata ditescendi libidine in scopulos agitur. Optimè Græcus Comicus: *Ditescere properans, inops fies citò.* Si negligens sis dives, evades inops; famam libenter opibus anteponito. Ecce omnes in compendio regulas; his probè agnitis nec allides

in scopulos divitiarum, nec peribis inter vortices egestatis. Bene omni navigabit vento Philautia, clavum animi quousque tenuerit iusta affectuum moderatio. Nec improbus erit amor sui virtutum cliens, de quo satis hæc pauca. De lascivo in Venerem nulla hinc mentio. Fugiat cum Ulyssæ Syrenes, quisquis ad clavum imperii fedet, & Reipublicæ navim salvam cupit.

Vetus est verbum: *parùm sævit, qui multum amat*, uti illud: *Odium omnia trahit in deterius*. Agas quodcunque velis, ne quis merito tuo te oderit; semper tamen erunt, qui te oderint. Nulla in homine passio perniciosior, nulla violentior, etiam cum videtur pacatior. Est ira inveterata ex causis pluribus collecta; Ex pertinacia sua in dies insolentior excludit charitatem, & inde bonum omnè. Audacter asserit S. Hieronymus: *Occidere fratrem, fratrem qui odit*, fratris æquè parricidam esse, qui fratri detrahit. Quid ad hoc illi, quos nec unum pudet facere, nec alterum fecisse pænitet? semper odiis honesta prætextitur causa, cum interea simultates nihil aliud habeant, quàm nocendi cupiditatem. Sunt quidem aliqui, quibus cautior agendi modus penè in odium vertitur,

tur, sed malè. Cum vulpibus vulpinandum. Non est odium, quando cavemus de his, quos, postquam viros sinceros, veros, & fidos arbitrabamur, pravos deprehendimus, infidosque. Ab his præcipuè, si fuerint familiarissimi, & amicissimi, non odium nos segregat, sed prudentia; res difficilis, ut inter suos subsistat limites, & cavendum summopere, ne ab extrema hujus prudentiæ statione, quæ planè præcipitio proxima, animus deturbetur in abyssum odii; nempe *odia proximorum acerrima*. Fovetur superbiâ, incitantur vindictâ. Arrogantiæ una regula est, inferiorem se non odisse, sed arroganter despiceret; altera versutiæ, odium privatum tegere detractioe publica, blanditiis velare fallacibus. *Ab his (3) nocuus calumniandi modus inventus est, famæ, ac commodis insidiari proximi, non interpretando, sed laudando.* Atque hi mortalium pessimi, quibus nihil sacrum, sed nocendi cura unica, & summa capeffendæ occasionis industria. Viperam in sinu enutriunt, odium fovent, radicem inimicitiarum, calamitatum seminarium, perniciosissimum amoris, benevolentia, & amicitia venenum,

Pppp

nenum,

(3) Apud Polyb. l. 4. bist.

nenum, præ omnibus aliis vitiis execrabile, nisi ipso odio peior foret improbiſſima odii diſſimulatio. Impetuoſus hic animi ventus continuas circumagit nubes, atraſ, & fulmine gravidas, tonitru non in auram ſuperiorem reducto, ſed dilato ad iſtum opportuniorem, & graviorem; atque hæc olim *Empedoclis ſimultas* dicebatur, nempe pertinax, & irreconciliabilis.

Eludet etiam hujus venti rabiem artis nauticæ peritus, in commercio humano vir probus, ubi eò pervenit, ut ad animum agnoſcat hujus Æoli malitiam, & ut ipſa noſcatur ab aliis; tunc enim aptata commodè, & prudenter vela ventum habebunt invitè obſequioſum eum ipſum, qui priùs furere perrexit infanus. Diſſimulatio non ficta, ſed prudens, moderatio Chriſtiana, non Pſeudo-politica, nulla vindictæ cupiditas, juſta famæ ſuæ cura, ardentes ſunt carbones ſuper caput inimici, quem olim in utre concluſum Poëtæ noluere ventum, hunc virtute tua obſequioſum experieris etiam inimicum, ringenti animo id laudantem, quod vituperare, dum voluit, non potuit, peſſimus ſui ipſius delator, triftis iudex. In Principe nihil indignius odio, ſi quod tamen eſt: hujus tenacitas primum

ſignum

signum est magnæ infirmitatis, heroïci animi nullum. Liberum illis vel benefacere, vel punire ex merito, indecorum odisse, quod plebejo tantùm sanguini commune; his, nihil altum spirantibus, uti amoris deflexus facilis in odium, ita odii ad amorem transitus difficilis. Rarus est, qui ei sinceræ fidei stipendia excolit, quem semel graviter fastidivit. Vix ullus affectuosè in gratiam redit cum eo, cum quo vehementer priùs gessit inimicitias. Res semper Reipublicæ exitiosa, odium, & nata in eo similtas, mente in sinceram fidè compositâ. Hæc inevitabilis est rei communis ruina, solis promissis dives, egena rerum, indiga omnium, verborum audacissima, cæterùm pavida, & imbellis, nescit erubescere, ne inter mendaciorum quidem montes, & falsitatum maria. Ea nempe projicere, & evomere, non eloqui didicit radicata similtas, tantò sibi elegantior, quantò illis cumulator. Et in hac tamen mirè sibi applaudit Pseudo-politica, toties licèt naufragium experta.

Politica Christianæ pixis nautica longè alio imbuta magnete, plenis sinceritatis velis, & tutò navigat. In hac nihil tumidum, & inane, nihil insolens; plena, & plana

sunt omnia, Ferre hæc didicit injuriam; non inferre, sponsonibus pauper, rerum dives, ubique lenis, & suavis, nullibi violenta, & nunquam. Habes hîc duorum ventorum duos diversos motus; diversa duo hominis temperamenta, si verè judicavit Consul Romanus: *Qualis (4) cuique animi affectus est, talis est homo; qualis autem homo est, talis ejus oratio: orationi autem facta similia sunt, & factis vita.*

His affectibus succedit alius, qui sæpissimè, ubi dominatum usurpat, navim subvertit. Animi humani vela amor explicat, dilatâtque, contrahit odium, spes erigit, dejicit timor, ira confundit omnia, secundùm illud Virgillii:

*furor, iraque mentem
præcipitant.*

Variis, sæpè etiam levioribus ex causis in furorem prorumpit ira, cùm tamen à Cicerone definiatur: (5) *Libido puniendi ejus, qui videtur læsisse injuriâ.* Huic insistamus. Iræ triplicis mater est injuria, hæc filia Parvipensionis, seu despectûs. Acuta citò, & ex levi insurgit causa; amara, injuriam illatam studiôsè retinet; quo-

(4) Cic. Tusc. 5. (5) l. 4. Tusc. quest.

quotidiè studiosa vindictæ ; gravis non remittit , nisi puniverit, injuriam. Exterminandum semper hoc monstrum Aulis Principum: est enim iracundia in Principe, acerbitasque naturæ & deformis, & periculosa. Multa injustè peragit, injustè præcipit. Tribus libris Seneca contra hunc turbulentissimum animi affectum innumeris perorat sententiis. Ad hunc medicum remitto, qui vi bilis per summum æstum congregatæ icterico hoc laborat morbo. Principum est *irasci, & non peccare*. Vacat castigatio contumeliis ; pæna non major est culpa, æquali in omnes justitiâ manet in puniendo mediocritas inter nimium, & parum. Unde Aristoteles: *Insapientis est, irasci, in quibus non oportet, & non irasci, in quibus oportet*. Artis nauticæ è regulis prima est, irruentes vel rumpere, vel vitare fluctus, ventis probè uti, vel cedere. Magni animi est, injurias despicerere. *Ille magnus, & nobilis est, qui, more magnæ feræ, latratus minorum canum securus exaudit*. Irruit ventus, quo ex amicorum animis omnis omnium, quæ ipsis præstiteris, memoria, velut immisso turbine, diffi-

patur, incubat crassissimus oblivionis aër, signum evidens parvipensionis, ut Plautus ait: *Mos est, oblivisci hominibus, neque novisse, cujus nihil faciunda gratia.* Sedabis hanc animi tempestatem, si pariter oblivisceris contemnendo, dum interea ingrati, vitio, periculo suo, *bibunt Mandragoram*, cessantque in officiis, quæ à viro probo semper, ab impio speres nunquam. Et his ne irasceris, nisi duplex tibi malum velis; *Tibi irasceris, ubi aliis desieris irasci.* Nil magis inimicum in rabiem agit, quàm ex altiore virtute dissimulatio; resilit in Authorem dolor injuriæ, ceu sagitta immissa lapidi. Collisi inter se spumant hi fluctus, furunt hi venti, irrito tamen conatu navigationem non impediunt, sed etiam inviti promovent. Dissimulatione, ac digna viro magnanimitate portum tenebis felix Navarchus, naufragus, si iræ concedis animum: per hanc perditur justitia, & mens perturbata judicium sine ratione exasperat. Omne, quod furor suggerit, rectum putat; vitam socialem excludit ira, qui hanc ex humana ratione non temperat, vivit bestialiter. Odit illa mansuetudinem, concordiam,

diam, & ipsam veritatis lucem, fovens in animo noxias confusionis tenebras. (5) *Irae properi, insidiis incauti sunt*, & facilè opprimuntur. Moderare hujus venti impetum, & benè navigabis, & feliciter.

Ultimus ad discursum meum restat impetuofus in navim ventus Septentrio, siccus in æstate, nivofus in hyeme. Quis demum erit tot contrariis, & adversis agitato, non infelix Navarchus? *Ira*, (6) *atque superbia mala invicta*. Ecce Circium siccum Septentrionis comitem. *Avaritiæ* (7) *malum insanabile*; ecce Aquilonem nivofum. In Principe nulla est superbia, quia Principis nullus æmulus. A Natalibus, à Majestate sua noscitur; superbus inter privatos, ut præ aliis distinguitur, vel à recens acceptis, vel quocunque modo comparatis titulis, noscì cupit. Itrepat tamen nonnunquam in Aulas, ac ædes Regias, cùm etiam in rectè factis sæpè partem sibi vendicat, ubi cætera vitia non valent, nisi in malefactis. Commune penè Ducibus vitium est æmulatio, qua fit sæpenumero, ut plerique in ipsis consiliis ea maxime nolint, quæ alios summis etiam rationibus velle cog-

Qqqq 2

nove-

(5) Tacit. an. 11. (6) Curt. l. 3. (7) lib. 4. Erbic.

noverint, malintque dūriora pōtiūs, & periculōsiora subire, quā̄m sequi aliena consilia. Indignē ferunt, sibi non omnem gloriam, sed aliis etiam partem assignari; unde error in consiliis, in rebus agendis eventuum infelicitas.

Hęc superbia Reipublicę perniciosissima. (8) *Nunquam in solido stetit superba felicitas, & ingenium imperiosum.* Hęc tamen labes nimiūm vicina solet esse

Potentibus. Sociatur penē semper opulentiā affluentibus elatio, & ex honorum abundantia humor insolens, qui rebus secundis tenaciūs inhæret, uti adversis timiditas, sibi exitialis, & aliis. Subditorum, & amicorum animos alienat ab obedientia, & amore, assiduus sui ipsius tortor. Nullum videas superbum, non morosum, non impatientem, non irritatu facilem, non spirantem minas, & ultionem, quamdiu se non pro dignitate honorari arbitrat. (9) *Lenta morte depascit sua quemque ambitio, futile malum, secretum virus, pestis occulta, doli artifex, mater hypocrisis, livoris parens, vitiorum origo, tinea probitatis, excæcatrix cordium, ex remediis creans morbos, ex medicinis*

lan-

(8) Seneca. (9) Ex S. Bernardo.

languorem. Magnæ artis, magnæ prudentiæ erit, pro-
 bè vitare hujus venti impetum, ne exsiccet rationem, &
 navim imperantis in transversum agat. *Nulla alia pe-*
stis plura ingenia abripuit, quàm confidentia, &
æstimatio sui, & vix cuiquam contigit abunda-
re fortunâ, & arrogantia indigere.

Navigare vento, quo glaciatur mare, quo littora
 nive obducuntur, res plena periculi. Avatitiæ qui agitur
 turbine, propè à naufragio est;

(01) *nam quæ reverentia legum?*

Quis metus, aut pudor est unquam properantis
avari?

Magnus sanè furor, phrenesis manifesta, ut dives moriaris,
 egenam vitam trahere. A nullo affectu major perturba-
 tio, & commotio statûs animi. Nec frænari, nec regi,
 nec contineri potest; vitium detestabile, sive potius cri-
 men, si mavis, morbus incurabilis, cuicumque menti in-
 hæsit. Ab animis, in quos semel ingressa est avaritia, om-
 ne honoris desiderium pellit, virtutem omnem, urgens
 ad omne scelus calcar, ac nunquam inde egreditur, nun-

R r r r

quam

Lipsius cent. I. ep. 77. (10) Statius.

quam decrefcit, fenio licèt fubeunte. Viliffimam hanc infimæ fortis conditionem ignorant Principes. *Magnificum eſt Principi, eſſe munificum; turpe, benefacere vel non poſſe, vel non velle.* Alia eſt avaritia, quæ Aulam sæpè inficit, non folius auri, argentique (unde nomen duxiſſe videtur) ſed rerum omnium, quæ immoderatè cupiuntur. *Ubicunq; omnino quiſque plus vult, quàm fatiſ.* Nullus penè eſt cujuſcunq; gradûs, aut dignitatis, ſua contentus ſorte; sæpè nobis deſſè arbitramur, quidquid poſſidetur ab aliis, ac ſic toto egemus mundo. Multi omnia ea, quæ ambiunt, ſibi competere arbitrantur; unde animus iniquis continuis involvitur fluctibus, nullam patitur ſerenitatem, anxietatum mæſta nive obrutus, ut feroci Aquilonis aſſultu jaçtata navis. Nemo fanè eſt, qui inter tot pericula, conſpirantibus undique ventis, ſalvam in portum educat navim, niſi animi ſui cupiditates ita coërcuerit, & probè perſpecta ventorum, ſeu paſſionum ſuarum ratione ſuperiorem ſe præſtiterit obſtantibus vitiorum ventis, ac impetuoſis criminum procellis. *Regium eſt ita vivere, ut non modò hominum*

num seruiat nulli, sed ne quidem cupiditati suæ.

Exsurgant è quatuor Regionibus infesti turbines, concutiant navim animi affectuum fluctus, ex temperamento naturali impetuosus, ex influxu Astrorum violentiores, Sapiens semper constabit sibi, ab omni liber coactione, nulli obsequiosus inclinationi, quæ in naufragium vergit, ubi sæpè aliàs fati unica rima exitio est. Sapiens dominabitur astris, Eois, & occiduis.



DISCURSUS VIII.
 PARS SECUNDA.
 POLITICO - HISTORICA.

ALBERTUS

Sapiens.



IN bithalasso inter maris profunditates, seu, ut Hugo ait, inter reflexiones maris, Albertus navigat, vix portum egressus. In hac collisione fluctuum olim sanctus Paulus naufragium fecit. An minus quid timeas Alberto? Angelus Paulo vates fuit, universos ejusdem navis, quorum ducenti septuaginta septem, salvandos tum enatando, tum subsidiô tabularum,

tri-

tristium naufragii reliquiarum. Alberto sapientia etiam de naufragio cavit. Illud factum singulari Divinae Providentiæ beneficio, quo Ecclesiam suam primùm in Petro jam in aquas vacillantis fidei subsidente, dein in Paulo naufrago salvam voluit. Hoc actum, ut, quod à miraculo propè est, miraculum non sit, virum, sibi in omnibus periculis constantem, nullis dejici adversitatum fluctibus.

E quinque Alberti Pii filiis Albertus noster medius Bojariam rexit, duobus natu majoribus æquè charus, ac à duobus natu minoribus habitus odio. Hi injuriam suam putabant, solum Albertum sedere ad clavum Regiminis, fato potiùs fratrum seniorum felicem, quàm ex ultima piissimi parentis voluntate. Sanxerat jam tum Albertus Pius edictò, ut unus esset ditionum suarum dominatus. Rem tamen ex novitate sua difficilem, & à quinque filiis, consensu mutuo vix perficiendam, moderavit addita lege, ut duo natu majores, communi imperio regerent. Sic cautum putabat potentiæ, dominatu indiviso, consultum patriæ duorum judicio statutis meliùs, ac securiùs in rem communem placitis. Diversos marina discrimina transvadentes inveniunt casus; si ventorum

turba fuerit vehementior, formido est; si terga jacentis elementi moderatior crispaverit aura, pertimescunt infidias. Albertus utrumque expertus, nunquam clavo amisso, ubi cum semel tenuit, navigavit intrepidè. Joannes, & Sigismundus è supremo patris decreto rexere simul, &, quod rarum, semper concordēs, per triennium, jam priùs à patre in partem curarum assumpti. Joanne peste sublato duumviratus iste ad unius pervenit dictaturam, præfuitque Sigismundus Bojariæ per biennium solus, cæteris fratrum in alias spes dilatis. Mirari hìc liceat Alberti moderationem, qui, licèt fratri Sigismundo durante biennio, ex lege patris, suæque ætatis socius foret, ei tamen omnem potestatem cedere, quàm turbas, ac tristem inter fratres discordiam, movere maluit. Primum hoc virtutis trophæum ex scientiis, quibus erat addictissimus; Albertus tulit, Italis dictus litteratissimus, Germanis sapientissimus. E fratribus sanè meliorem indolem, ac demum à fratre Sigismundo dominatum etiam nactus, eum constanter solus tenuit, invitis fratribus, Christophoro, & Wolfgango: rexit plaudentibus, & ipsi, & sibi gratulantibus Ordinibus. Joannes moribus gravis, ini-

quæ

quæ hæreditatis Ducis Ingolstadiensis identidem memor, totusque Martem spirans, vel debitam sibi vindicare, vel ulcisci injuriam, à pio parente diffimulatam parabat, provocatò etiam ad singulare certamen Ludovicò. Unde dein soli Ludovicò ex præmaturò Joannis obitu indignum solatium erat, totà justo dolore pullatâ patriâ. Sigismundus cælibatûs solitudinem reparavit domi amænò Musarum, lætò foris Dianæ consortiò, habitus bonarum artium Mæcenas, fides, & musica instrumenta scitè tractare doctus, aucupio, venatû, ac belluis peregrinis mirè delectatus. Iste est, qui primum Basilicæ Monacensis ad Divam Virginem lapidem posuit, ibidem sepultus in habitu familiæ Franciscanæ, in quo mortem expectavit. Christophorus geniò suò ad arma promptior, uti & corpore supra vulgarem modum robusto, destinabatur militari gloriæ: Wolfgangus honoribus Ecclesiasticis. Neutri placuit sparta sua; uterque vel Alberto socius communem dominatum poscebat, vel æmulus hostilia parabat arma. Albertus, licèt ex moderatione, & scientiis, ingeniis bellicis minùs acceptus, prævaluit & ætate, & assensu Ordinum. Non ita tamen pacatè actum, quin ex ista concer-

tatione Patriæ funesta incumberet tempesta, quacunque tandem parte erumperet, toti Bojariæ lucuosa.

Magni sunt hi fluctus, qui Albertum jactant in ipso Regiminis initio, eò violentiores, quò ex fraternis odiis inter duas maris profunditates excitati propinquius minabantur naufragium. Quid agendam Alberto? egit, quod nautæ sapientis erat, qui, fluctibus cum resistere nequit, iis cedendo, iis jactari se finit, usque dum deserveant. Nempe ea est maris natura, ut ventis lacessitum cum irascitur, quamvis reciproca vicissitudine, nunc pulsantibus cælum, nunc requirentibus terram, æstuantibus undique vitreis armatum montibus, violentis undarum sævientium cumulis, toto corpore insaniat, tamen extremorum pallido ex recurso voluminum, quasi jus terræ cognoscens, ac violare devitans, mirâ patientiâ in se frangitur, iisdemque fluctibus, quibus cogitur, refrænatur. Cessit prudenter Albertus impetuosæ fratrum discordiæ, & ut, detumescentibus civilis belli procellis, malaciam exspectaret, lubens accepit arbitrium Ludovici Landishutani, in cuius sententiam fratres pariter juravêre. Obfuit Christo-

centorum Equitum , Ludovico vel pompæ insolentiam exoso, vel ostentationem virium, minùs aptam decidendæ liti ex libero suffragio. Jussus, Alberto fratri natu majori fasces submittere, paruit quidem celeri submissione, sed non diuturnâ. Quæ enim vel tranquillitas, vel tempestas maris est, quæ durat diu? In turbidis speramus meliora, in serenis prævidemus peritura. Sapiens nec illis dejicitur, nec his extollitur, omnique vento suum ad scopum vela commodat. Turbulentum in profundo animum incitabant in dies acriùs malitiosa nobilium honorariorum consilia, eò etiam perniciosiora, quò hi susurrone, Hussiticâ lue infecti, Christophorum non à fratre tantum, sed ab ipsa quoque Religione discordem, vellent. Potentiores erant Degenbergius, & Nuspergius; horum Arcibus è fundamentis eversis, ipsisque è patria ejectis, repressâ sociorum audacia Christophorum quoque, licet ex jactura amicorum invitum, pacavit. Nauta peritus, cælò serenò, remorum subsidiò progreditur. Albertus Christophorum ex honorifica consuetudine ut haberet mansuetiorem, secum Romam duxit. Exceptos huma-

bus donatos remisit, memor amicitiae, quam cum utroque in minore fortuna contraxerat. Egit hac peregrinatione Albertus curâ singulari id præcipuè, ut Christophorus sedatiorem indueret mentem, & ex continuo, eoque amicissimo cum fratre commercio, fraterna firmaretur unio. Christophorus in extera Regione, æqualem cum fratre ubique honorem adeptus, domum redux, æqualem se non habere potestate, denuo indignabatur; resumptæ malè priùs sopitæ difficultates, morésque pristini minabantur posteriora prioribus pejora.

Aliquid dari debet periculis ab eo, qui inter tempestates navigat. Magni momenti, majoris discriminis erat Alberti consilium. Is probè gnarus, seditionem in momento restingui subducto flagitiosis Duce, Christophorum honestæ mandavit custodiæ balneo egressum, auxilio Abenspergii, Rorbeckii, & Bogneri, qui omnes dein locatam operam sanguine suo expiârunt, Christophori manulitatae ultionis victimæ. Actum, quod priùs judicavit Albertus, fratre in custodia detento, liberas fore in Imperio improbandi, arguendique facti sententias. Wolfgangus tristem fratris sortem sibi quoque metuens, eam fugâ

fugâ prævertit ; primùm Augustam ; dein ad Cæsarem Ratisbonam profugus. Tota in eo consistit scientia & nautica, & politica : rectè discernere tempora, & iis uti. Interdum tempestas plus prodest, quàm malacia. Wolfgangus in Comitibus fratrem accusabat, tristis in Principe Orator, promissâ barbâ, mutata veste, immodica lacrymarum effusione perorans pro duobus fratribus, altero captivo, exule altero. Cessit tempori Albertus, & Comitibus egressus, valetudine fratris Sigismundi obtentui sumpta, Monachium rediit, capti tenax propositi. Secuti Albertum Legati Cæsaris, & omnium Principum nomine, Albertus Saxo, Otto Palatinus Rheni, & Wilhelmus Aichstettensis. Eloquentiâ Alberti persuasi mutavêre judicium, probavêre factum. His submissi denuo alii ex Senatu Cæsaris, & Ludovici Landishutani Consilarii, eandem in Alberto & constantiam experti, & facundiam, non plus profuêre suis rationibus, quàm priores Natalium autoritate. Ipsi tandem Cæsari locutus Albertus eloquentiâ suâ id effecit, ut nec facinus Alberti improbaret, nec liberationem Christophori urgeret, mutatis omnium & animis, & sententiis, quotquot priùs Alberto adversabantur. Adeò verum est illud Verini:

Nil

*Nil tam difficile, quod non persuadeat, & non
Efficiat docti lingua diserta viri.*

*Ancipiti eloquium longè penetrantius ense,
Hoc rabiem motam sedat, & arma movet.*

Unus Otto Novi Fori, Monachium clam adductis centum Equitibus, Christophoro libertatem, cùm persuasione non posset, vi procurandam putavit. Parùm aberat, quin perficeret, stratâ extemporali ponte fossâ, jam penetraturus ad captivum per olores in vivariis stabulantes proditus, captô destitit. Obsuere libertati Christophori vigiles olores excubiæ, quam olim Romanis servavere canes, Gallis in Capitolium furtivè enitentibus, canum vigilantiam ex eo tempestivè dejectis. Tandem post octodecim mensium captivitatem, Albertus in libertatem fratris consensit, acceptis triginta sex è prima Nobilitate sponsoribus datæ à Christophoro fidei. Mutuæ reconciliationis fructus fuit data ab Alberto fratri ad decennium urbium Landspergæ, & Weilheimii, nec non Arcis Palæ usuarie vectigalium possessio. Superavit proin Albertus has etiam irruentes procellas, dum ab omnibus credebatur

tur authoritatis suæ facturus naufragium. Geminato honore sapientiæ, & eloquentiæ. Nempe *sapientia sine eloquentia parùm prodest, eloquentia sine sapientia nunquam.* Augusta hæc in Principibus est unio, pacis comes, & cujusvis benè constitutæ Reipublicæ alumna, uti eadem in pravo, & perverso Oratore virus pessimum in poculo aureo.

Necdum tamen Albertus portum tenet. Pacatus per decennium erga Albertum Christophori animus in subditos, usufructuario dominatu sibi concessos, æstu intolerabili effervesce non desit. Fruebatur per biennium ultra præfixum tempus dicta reddituum suorum portione Christophorus, non invito Alberto, cujus navis ad anchoram hærebat spei, fore tandem Christophorum ab insana exactio-num mole, qua subditos opprimebat, moderatiorem; sed hanc etiam revelli jussit jugum intolerabile, quo de fortunis Landspergensium actum erat, nisi requisito, & obtento propero Alberti interventu, & auxilio. Hoc Albertus miseris pollicitus, licet ægrè, præsciis illico recrudescentis in fratre inimiciæ, communicatis cum Nobilitate consiliis, Landspergam, pronâ civium voluntate, recepit, frustra

alienas requirente suppetias Christophoro, sed ubique vindictam spirante, quam tandem explevisse visus cæde Aber-
 spergii, Rorbachij, & Bogneri, captivitatis suæ Ministro-
 rum, denuo Alberto reconciliatus est, adeò illius facundiâ
 delinitus, ut amore fratris, & æquitate collaudata, se in
 ejus autoritate futurum sponderet eo ipso tempore, rein-
 ter fratres clam transacta, quo, convocatis Monachium
 Comitibus, plerique Imperii Principes decidendæ liti inter
 se desudabant, mirati, redintegratam mutuò colloquiò præ-
 ter spem amicitiam, quæ cæmentò alieni arbitrii vix coa-
 luisset. Itaque & hanc tempestatem feliciter superavit Al-
 bertus, sedatis fraternæ discordiæ molestis fluctibus. Pul-
 cherrimò amicitiae fundamentò, si, qua sinceritate in fra-
 trem utebatur Albertus, eadem usus fuisset Christophorus
 in suis moribus, & exegisset à sese, quam in Alberto expe-
 riebatur, eandem constantiæ, & consiliorum stabilitatem.
 Verùm quid sperandum ab omnino odii turbine agitato?
 Hæsit Christophoro alta mente reposita primæ captivitatis
 injuria, Wolfgango Boicam partiendi inveterata cupiditas,
 Qui his jactantur procellis, ad portum quietis pertingunt
 nunquam. Qui ex balneo calent, vehementiùs frigescent,

&

& aqua frigidior est, quæ prius caluit. Ita vehementius se oderunt malè reconciliati. Subductâ materiâ in aliis extinguitur ignis; subducta ab Alberto occasione non conquievit in Christophoro odium, nec in Wolfgango invidia. Auxerat ille fratribus redditus annuos, fidéque data mutuam amicitiam & spopondit, & pactam credidit; invertit spem omnem improba fratrum cupiditas, qua factum, ut prima quæque occasio, vel levissima offensio, omnia prius acta dissolverit, ac dissipaverit. Vah quantum ex hoc vitio etiam magnis Principibus malum! quantum Alberto periculum! Non immeritò sapientis nomen tulit, inter tot Syrtes non naufragus. Alternabant identidem tempestates, & quasi ex pacto sibi succedebant, aucto identidem furore vehementiores. Conspiraverat in ruinam Bojæ foedus Suevicum, Authore Friderico Cæsare, & hoc infestis odiis flagrante in Albertum, accessêre illico Christophorus, & Wolfgangus, minùs solliciti, qua parte, & quo titulo minueretur Gentis suæ potentia, quàm quò acerbiùs irascerentur fratri. Unde eò ventum, ut etiam ad Fridericum Cæsarem, ab Alberto aliis ex causis alienum, Linzium ierint, antiquis instructi querelis, si quid

odium, & invidia sinit antiquari. Quæ ibi acta, inferius docebo. Cæterum, si hæc labes fraternæ discordiæ non maculâffet Fastos horum Principum, vix foret quidquam, cur Alberto postpōnerentur. Sanè magna ea, nec omni, etiam Principum, sanguini communia sunt, quæ Christophorus in certamine Equestri, in quo Landshuti Lublinensis Dynastæ insolentem fastum lethali domuit lanceâ, Germanæ gloriæ vindex, quæ in Hungaria, & in Belgio egit, ultor injuriæ, à Brugenibus Maximiliano Cæsaris filio illatæ, acerrimus, profectus demum in Palæstinam, & Rhodi vitâ functus, partâ ubique Bojæ virtutis, quæ Hieroum est, gloriâ; cùm tamen huc non pertinent, ampliori Historicorum stylo tractanda relinquo. Ego ad Albertum reviso, quem denuo in alto navigantem, novis jactari fluctibus aspicio.

Ultimum, sed triste, est solatium, vitando naufragio, navim levare pondere, ejectis mercibus. Ne tamen quidquam deesset Alberto, quin in omnibus prudentissimi Navarchi officium impleret, & hanc sortem expertus superavit turbulentissimam mirâ constantiâ, qua nullis convulsus injuriis, nullis dejectus minis, nullis perterritus pericu-

lis, semper firmus stetit in proposito; mira magnanimitate, qua, suorum memor Natalium, auctoritatem dignitatis suæ, urgentibus undique fatibus iniquioribus, nulli-
 bi leviter cedendo, servavit illibatam; nempe clavus sapientiae nunquam suum amisit Governatorem. Deduxerat Albertus in Boicam, charissimam conjugem Cunegundem, Friderici Imperatoris filiam, tam benignè à Sigismundo Cunegundis patruo traditam, quàm opulentiè dotatam. Propè tamen erat, ut pretiosissima hæc merces Alberto causa naufragii foret. Cæsar ex nuptiis, se inficio invitis, summè aversabatur generum, acutis subinde odiis, onerariam etiam Alberti navim, quasi indebitis mercibus ditio-
 rem, spoliare aggressus, dotem primò Tyroleos, quam, beneficio Sigismundi, Albertus cum conjugè in Boicam revehere videbatur, in littus pristinum repositam voluit, aut navim juratò exitiò naufragam; dein accessionem Ratisbonæ, è libera civitate transeuntis in Boicam, adeò ægrè tulit, ut hoc spolium, licet justò commutatum pretiò, illiciti damnaret commercii, vi pertinacissimâ denuo eripiendum, nisi Albertus mallet, diuturniore Ratisbonæ possessione, de omnibus periclitari. Un-

de factum, ut, quidquid excusaret Albertus, ad Cæsarem Linzium digressus, hic decretoria animi destinatione interminatus sit, se conceptam indignationem non prius positurum, aut aures accommodaturum reconciliationi, quam Arx Ratisbonæ solo foret æquata, & Civitas libera, solutæque Bojcorum dominatu ad Imperium rediisset. Quid agit Albertus inter tot tonitrua irati Jovis, inter tot scopulos? memor ille Æneidos:

cecu cæca Menætes

Saxa timens, proram pelagi detorsit ad undas.

Reversusque Monachium, maluit pati aversum à se Cæsaris animum, quam extemporali facilitate, & apertâ formidinis possessione indecoram sibi conditionem acceptare.

Ratisbona, olim Bojcorum Gentis caput, languebat mirum in modum, per malam Magistratûs administrationem ad eam accisâ potentiâ, ut omnino impar publicis oneribus, de subsidio, incertis tamen adhuc consiliis, sibi prospiceret. Cives jam penè extrema passi, & fœdiora reformidantes, antiqua respiciebant tempora, dolebantque, opes, ac quietem pristinam, queis gaudebant opulenti sub æquo Bojorum Ducum dominatu, in splendidam de-

suisse

sisse paupertatem. Inde, recantatis in Magistratum inju-
 riis, cæperunt libera voce egenam abominari libertatem,
 ac Alberto, qui opem, & majora offerebat afflictis com-
 da, non portas modò Urbis, sed & animòs aperire, illecti
 præcipuè tum persoluto jam priùs ære, quo Albertus op-
 pignoratam suburbium Danubianum redemerat, tum sua-
 vi regimine, quo recuperati suburbii jura moderavit, au-
 xitque proventus. Ergò, relatis in tabulas pactiois legi-
 bus, se, suaque Alberti potestati dediderunt, non vanè
 persuasit redituram cum Bojco dominati fortunam anti-
 quam, inani libertatis titulo potiorem. Neque Albertus
 obviam ire oggerenti se se fortunæ cunctatus, quidquam
 omisit, tam pretiosum antiqui dominatûs segmentum at-
 texere suo, magna pollicitus Privilegia, Immunitatésque,
 & quidquid dare nova regiminis benignitas, aut sperare
 poterat inops Civium miseria. Magnus hic lapis colli-
 sionis Fridericum inter, & Albertum, magnos utrimque
 concitavit motus, Friderico tenaci juris antiqui, Alberto
 novi. Exagitavit præter hanc litem utriusque animum
 dos Cunegundi pacta, Comitatus Tyrolij, quâ antiquatâ
 Fridericus universam ditionem Maximiliano filio per so-

lenes tabulas transcripsit, exclusâ Cunegunde filiâ, ejus-
 que posteris. Nempe hic in fæderibus nuptialibus Re-
 gum mos, aut labes est, ut omnis augendæ potentiaë,
 nulla sanguinis habeatur ratio. Tulit id damni, ejectâs-
 que è navi sua pretiosas adeò merces Albertus, licet ægrè,
 sed è lege prudentiaë suæ consultò dissimulans, cedensque
 temporum necessitati. Verùm monitus ab ipso Maximi-
 liano, Fridericum, nisi redditâ imperio Ratisbonâ, inex-
 orabilem moliri extrema, Comitiô Ambergæ habitò,
 cum omnibus Bojariæ Ducibus belli, periculorùmque so-
 cietatem iniit. Cui accessêre Palatini Comites omnes, Rex
 Bohemiaë, Saxo, Brunsvicensis, Hassus, Herbipolensis,
 Bambergensis, Ratisbonensis, Wormatiensis, Spirensis,
 Antistites, ipsâque Civitas Norimberga. Magnæ fanè
 prudentiaë erat, tot velis, tot remis navim firmare contra
 omnes ventorum impetus; sed magni pariter infortunii,
 insperatâ inconstantiâ velorum alia turpiter cessisse ventis,
 remorum alios penitus dissiluisse. Navigat tamen Alber-
 tus, & conducto remige irruentes passim fluctus superat.
 Inter audaculos bellatores Bojariæ infestos primi erant
 Staufferi, quos coactâ ter mille peditum, & Equitum tre-
 cento-

centorum manu Albertus repressit, vel captivos accepit, motis etiam in fratres coniuratos castris adeò felix, ut in Wolfgangum ad extremam redactum pleraque clades defævierit. Erant hi fratres odii Cæsarei incentores, in funestis in Boicam irruptionibus Antesignani, muniti Cæsaris tabulis, quò tutiùs, & potentiùs in fratrem furerent. Eò usque prolabitur invidia, ut non suam tantùm dignitatem, cuius quisque est tenacissimus, sed etiam proprii sanguinis immemor, naturam exuat, labes, si unquam purpuram maculat, eluenda nunquam. Aspice hìc Albertum, quisquis es, & nega, si potès, fuisse unquam ex fraterno diffidio infeliciorem, ex sua prudentià celebriorem, seu ponas ante oculos ferale edicti Cæsarei tabulas, iteratùmque in Ratisbonenses fulmen, quo etiam Albertus afflabatur; seu ingruentem undique hostilem exercitum, Boicis viribus longè superiorem, ipsis fratribus Alberti Ducibus, ubique abactâ prædâ pessima molientibus, & jam publicis prædonibus, quibus à natura datum, patriæ esse protectores, & asylum. His adjicere potes totam Sueviam ad exsequendam Cæsaris sententiam in Albertum armatam, desultoriam Georgii Ducis fidem, qui jam aper-

tè à fœdere defciscens, Alberto omnè adversus Cæsarem auxilium obnuntiavit, & demum ab aliis Confœderatis tenues suppetias, aut nullas. Utpote qui, quò prolectabat spes, transferebant studia, & Sacramenta non fide, sed felicitatè bellantium distinguebant, magno Principibus exemplo, qua cautela agendum, dum quis in Fœderatorum auxiliis potiorem salutis suæ partem reponit, qui sæpè, parvi habitâ vel constantiæ gloriâ, vel amicitiaæ dignitate, indignâ pactorum permutatione, sua commoda alienò nundinantur exitiò. Albertus igitur, quocunque se verteret, infelix, cum nec Ratisbonam, quam jam per sexennium possidebat, tueri, nec Tyrolim, quam amiserat, assequi posset, aggressus est prudentissimè, quod ultimum credidit spei, armatâ copiarum undecunque collectarum manu; pacis consilia expectare, non rogare, ac sic tenere portum, committendo fluctibus nec omnia, nec nulla. Cæterùm non fefellit Maximilianum Alberto semper amicissimum, quò collimaret Alberti solertia; proin haud falsè conjectans, Albertum restituendæ Ratisbonæ, pactis aliis honestis conditionibus, diutiùs non fore contrarium, facilè obtinuit, quod Cæsar tam pertinaciter expetiit. Ut-

rum.

rumque eventus docuit, deditâ Cæsari Ratisbonâ, ac sic rebus compositis, nullâ aliâ Alberto imposita graviori lege, ière in mutuos amplexus focer, generque, qui tam propè aberant à mutua pernicie. Atque hunc in modum parata in Boicam tempestas dissipata est, singularisque Alberti prudentia salvam in portum eduxit navim, tot fluctibus jactatam quidem, everfam nullis.

Debetur enimvero Alberto in omne ævum sequens hæc sapientiæ gloria, ab illo servatam sub unius dominitu potentiam Gentis Boicæ, in posteris etiam æterna lege fuisse stabilitam, utpote quæ prius sparsa in plures, ipso consortii numero evilescebat, continuis etiam convulsâ discordiis, & civili attrita bello. Hujus aliud, idque tristius exemplum expertus Albertus, ex iniquo Ducis Georgii testamento, his etiam malis in herciscunda familia cavuit in posterum prudentissimè.

Belli, quo ultra biennium Boica fuit concussa; causa fuit suprema Ducis Georgij voluntas, qua Elisabetham Ruperto Rheni Palatino Comiti nuptam, universarum patris ditionum hæredem instituit, exclusis summò præjudiciò, justis stirpis Boicæ hæredibus. Innotuit illud

Alberto communicatis litteris per Wolfgangum Lolbergium, Georgio Duci à secretis Epistolis, & supremum tabularij Præfectum: factum quod nunquam probaverim, licet Alberto proficuum, conscius fidei, quam inviolatam summa inter negotia hoc in officio per viginti sex annos servavi Serenissimo Principi meo, non ideo laudandus, cum egi, quod debui, sed ideo felix, quod per gratiam Principis mihi facultas fuerit & egisse, & debuisse. Uni Deo, uni Domino fidus esto; quisquis hæc inter officia Principi servis, nunquam cautus satis, nisi mutus aliis, Hero tuo facundus, sed veraciter, nullius reus invidiæ, aut ambitionis, qua vel aliis minus æquò faveas, justò plus tibi.

Obtinuerat equidem Albertus diploma, Cæsaris manu exaratum, quo disertè reprobabatur omnis dispositio, sive præterita, sive futura Ducis Georgii de suo Ducatu, si quidquam in damnum, injuriámque Alberti, ejusque filiorum foret statutum; Nec satis. Novo Diplomate in Augustana Curia pronuntiatum à Maximiliano Romanorum Rege de possessione capienda. Quod, licet in Annalibus jam notatum, hinc tamen repetere nec ingratum, nec inutile erit; cum ex eo clariùs eluceat, quam jacturam

passa sit Boica è fatali dissensione inter Duces unius sanguinis, tum etiam, quâ prudentiâ Albertus navim suam contra tam impetuosos turbines firmârit, ne ulterius luxatis tabulis penitus periret naufraga.

Posteaquam Nos Maximilianus Romanorum Rex, in causa inter Albertum, & Wolfgangum Bavariæ Duces, & Rupertum, item Ducem Bavariæ, ejusque Conjugem, per singulas disceptationes, nobis audientibus, habitas, clarè intelleximus, Georgium Bavariæ Ducem, bonæ memoriæ, nullum Agnatum, propiorémque Feudorum Hæredem, quàm Albertum, & Wolfgangum post mortem reliquisse, cùm & iisdem Alberto, & Wolfgango prædicti Georgij Principatum, acceptâ ab iis obsequii Clientelaris fide, concesserimus. His, aliisque justis, quæ nobis propositæ fuerunt, causis permoti, Nos, utpote Romanorum Rex, & legitimus Feudorum Dominus, juridicè declaramus, decernimus, præfatos Albertum, & Wolfgangum Duces, in jam dicti Georgij Ducis relictorum Principatum superioris, & inferioris Bavariæ, aliorumque omnium Comitatum, Dominiorum, intra, & extra Bavariam, quæ Dux Georgius nostro, & Imperii benefi-

cio obtinuit, & possedit, absque omni quorumlibet exceptione, possessionem immitti debere, prout vigore hujus nostræ sententiæ eos immittimus, & pro immixtis haberi volumus &c. Plura sanè nec Maximilianus dare, nec Albertus sperare poterat; prævaluit tamen in Ruperto vel odium, vel pertinacia, eò usque, ut occupatâ Landishutâ, Dingelsingô, Mospurgô, locisque aliis, proscriptis licet cum complicibus, adiutoribus, consultoribus, conspirantibus, auxilium, aut favorem præstantibus, funestum illud orsus sit bellum, quo nobilissimæ Provinciæ antiquissimæ Gentis, velut de corpore suo excisæ adeò diffilierint in partes, ut dissolutum, luxatumque corpus vix reliquerit vestigium pulcherrimi, quo quondam floruerat, contextûs, & è suis Provinciis Boici Duces non, quantum deberent, reciperent, sed quantum alii permetterent; tanquam fatis constitutum esset, abolere omnem Boicæ potentiam, & excisum radicitus antiquissimum Imperii decus expungere Imperiô, ut fatendum sit, vix humanæ fuisse prudentiæ, rebus fessis obviam ire, sistere tam periculofam ruinam, & ruentibus in Gentem Boicam fatis afferre moram. Quod Inferiùs docebimus.

Vide-

Videbatur funestum patriæ bellum, alternante favore fortunâ continuatum, præmatura morte sopiendum, cùm recruduit acriùs, à Philippo Septemviro Ruperti patre, novis animis, & majoribus susceptum viribus; donèc tandem fessis utrimque partibus, pax auctoritate Cæsaris, inter utriusque Stirpis Boicæ Principes coaruit, non alio fructu, quàm ut ex segmentis unius potentia plures ditescerent. Longum foret, leves sigillatim pugnas, captas, receptasque urbes, illatam vim, aut repulsam, levia ad rem meam momenta, operosius recensere. Hac proin pace novus in Norico erectus Palatinatus, Ruperti pupillis cessit, & cum eo Neoburgum cum Arce, Præfectura, & adjectis nemoribus, Höchstadium, Lauinga, Gundelfinga, Monheimium, Hilpoltsteinium, Haidecca, Weida, Forâ Burgheimium, aula Richardi, Labatta, Allersberga, Flossum, Vohendrossum, Endorfium, Korenbrunna, Heinsperga, Greilspachium, Burgstainium; atque hæc ex possessionibus Georgii. Quibus addita ex possessionibus Alberti. Sulzbachum, Lengfelda, Reginstauffium, Velburgum, Veldorfium, Calmünza, Schwaigendorffium, Schmidmülilium, Hombaurum. Vali

quanta portio ! quantæ merces è navi projectæ Boicæ !
 Succedunt præmia auxiliariorum, magna itidem spolia
 Boicæ detracta. Utiloni Friderico Zolerano Palatii Cæsari
 rei Magistro cæsere Spiza, & Schwalnpacum in Austria.
 Episcopo Frisingensi Massenhufium. Duci Wirtembergi-
 co Haidenheimium, Arx Helensteinia, Præfectura Prenza-
 lia. Marchioni Friderico Brandenburgico Freidenstadium,
 & Præfectura Hirspergensis. Norimbergensibus Reichen-
 ecka, Herspruckum, Lauffa, Alerperga, Hochensteinia.
 Hieronymo Croariensi Jurisconsulto Arx Constainia. Jo-
 anni Langemantelio Consuli Augustano Arx, & ditio
 Wolfspergia, Yglinga supra Landspergam. Oettinganis
 Comitibus Baldera Arx, & dominium. Hildebrando
 Kitchero Ellenkovium. Gaspari Winzero Arx Brande-
 burgia, & forum ad Alpes. Paulo Liechtenstainio, Ba-
 roni Castelcornio Marquarsteinium, postea redemptum
 magnô pretiô. Brunovicensi Civitati forum Vorsterium.
 Berrero Arx Waldensis, & dominium. Joanni Pefenhu-
 fio Ebersprunense forum. Comiti Ortenburgico Arx
 Matighovia cum oppido, & ditione. Prô ! infelicem Boi-
 cam, quæ iniquô fatô tot, tantôsque felices fecit. Ma-

jorā pro bono publico præstitere Duces Boici, minorare-
tulere, vel nihil, nisi quod ex factis expensis Magni audie-
rint, aliis proficui plurimum, parum sibi. Adeo diffe-
runt tempora, & temporum mores.

Nec Maximilianus Cæsar suo ære bellum in Alberti
subsidium gestum voluit. Huic attributus Dominatus Spi-
zenfis, & Schwalenbacensis, tradita Arx Ratenberga ad
Oenum cum tota valle Zillerana. Civitas, & Arx Kueff-
steinia cum nemoribus ad ditionem Kizbichelsenem spe-
ctantibus, quantum satis esset ad Tyrolenses rei metallicæ
officinas. Neoburgum ad Oenum supra Passavium. Arx
Rennarigela ad Danubium, & Neohusium. Comitatus
Kirchbergensis. Weiffenhornium Civitas, & Castrum.
Obenhufium, &, quidquid à Verberenis Ulmensibus pro-
venerat. Maurstetta & Buecha. Pfaffenhovium ad Ul-
mam. Smihena Arx ad Lycum. Sylva Wörteria, &
Weiffenburgica. Wertera, Augia, Marchionatus Burgo-
viensis inter Danubium. Jus Georgii ad Ellerbachum.
Præfectura, & Advocatia Archi-Episcopatûs Salisburgen-
sis, Episcopatûs Passaviensis, & Monasterii Regiobrun-


nensis. Jus venandi, & tota Jurisdictio Marchionatus Burgovienſis inter Danubium, Lycum, Wertacum amnes. Jurisdictio in Judæos Ratisbonenſes, & quæque Georgio pignori data. Venatio Spizenſis, & principalis Jurisdictio. Kizbichela Civitas, & annexa Ditio. Præfectura Manſenſis una cum Cænobio. Arx Wideneckia cum Jurisdictione. Perſolvenda centum florenorum millia, prius promiſſa in ſubſidium belli Turcici; remittenda alia quatuordecim millia, à Maximiliano debita &c. Mirare nunc Coloſſum è ruderibus: ex ungue Leonem; ſed mirari deſine, & tum fuiſſe æmules, vel invidos Boicæ potentia, cum, quod ſuperèſt, vix caret invidia. Nimia eſt diſparitas edictum inter, prius citatum, & edicti executionem; nimia eſt jaçtura, quam Albertus eſt paſſus, cujus tamen ſapientia tribuendum, ne navim ſuam omnino vacuam haberet; primam ille, & potiorem (ſaltem ita nominavère litis Arbitri in Comitibus Conſtantiſibus) è poſſeſſionibus Ducis Georgii obtinuit. Cum tamen in poſteris ſuis tanti pænitere dehinc nollet, contrario hoc vento probè uſus,

ſta.

statuit prudentissimè , ne quis Principalium filiorum , præter natu maximum , eundémque solum Provincia- rum Hæredem , summæ rei clavum teneret , designatâ cæteris sanguine dignâ conditione. Assenit novis Fami- liæ pactis lubens Wolfgangus , ac indivisum Bojariæ Principatum unius imperio gubernandum probavit Al- berto , ex periculorum , & curarum confortio adeò fi- dus , quàm frater germanus. Obierat nempe , ut dixi- mus superiùs , Christophorus Rhodi , redux ex Palæstina ægrotus , ubi Crucis illud lignum , quo naufragus emerfit Orbis , felicésque Palæstinae glebas , Christi quondam cruo- re madentes , est veneratus , magni animi Princeps , qui breve quodlibet otium pro supplicio ducebat , pro pœna , uni diu terrarum solo quietè affigi , etiam patrio. Pa- rentantes piissimè mortuo , non omittamus memorare , eum ante discessum è patria , supremæ voluntatis tabu- lis Albertum omnium rerum suarum Hæredem scripsis- se , in signum reconciliatæ charitatis , fratrique profuit mortuus , qui rarò profuerat vivus.

Habes nunc salvum in portu Albertum , salvám-

que Reipublicæ navim, qui suâ sapientiâ inter tot, tantâsque tempestates, Boicam potentiam tot tractuum avulsione diminutam, post tot sparfos titulos, tot abruptos artus, velut laceræ navis disjectas tabulas, in unam recollegit, eo etiam iniquissimo tempore, quo penè ne in puppi quidem locus erat, ubi Gubernator ad clavum federet. Adeò Navarchus sapiens vento bene navigat omni.





PIETAS AD OMNIA UTILIS.



DISCURSUS IX.

PARS PRIMA.

CRITICO-POLITICA.

Pietas ad omnia utilis.



Iram vim, & sacrosanctum quiddam habent ultima jam penè agonizantium parentum monita. Decedit nempe in illo momento omnis vana sapientia, & tum ex cognitione eorum, quæ acta voluissent in vitæ suæ decursu, tum, quæ agenda statuerent, prolongatò terminò, non, nisi sacra prodit oracula consulta morientis prudentia. Tobias, cùm putaret, orationem suam exaudiri, ut moreretur, vocavit filium suum ad se, dicens: *Audi, fili mi, verba oris mei, eaque*

Bbbb

in

in corde tuo, quasi fundamentum reponere. Basin proin, præcipuè in Regibus, ac Principibus, & regiminis, regni, & vitæ suæ, ac fundamentum primum constituat filius ex iis, quæ, moriente patre, vel vidit, vel audivit. Hoc specialiter observari à filiis suis voluit Theodosius Princeps prudentissimus, in ultimo monito universam Imperii molem verti minimè dubitans. Fuit illud non cura divitiarum, non amplitudo Regnorum, nec, quidquid humana spectaret ambitio. Unicum, & in hoc omnia commendavit filiis Theodosius: *Pietatem colerent, Pietatis hæredes, felicissimos, potentissimos, & gloriosissimos ratus; nec plura, nec majora dare cum posset, in hac unica portione, singulis communi, omnium hæreditatem absolvit.* Prudentiâ celebris, felix regnò, suis charus, timendus hostibus, luculenter dives, in bello victor, in pace gloriosus, vitâ longævus est, qui pius. Habes in compendio omnia, quæ ad felicitatem humanam spectant, quæ acquirunt cælestem.

Pietas, de qua agitur, indissolubili unione amorem, & timorem Dei complectitur, ita, ut unum sine altero in nullo subsistat, qui dicta pietatis emolumenta sibi op-

tat

tat unicè proficua. Nemo Deum amat, qui non timet, nemo piè timet, qui non amat. Unde illud sacrae Scripturae Oraculum: (1) *Quid Dominus Deus tuus petit à te, quam ut timeas eum, & ambules in viis ejus, & diligas eum? Timore poenae, non amore si bonum fit, nondum (2) bene fit bonum, nec fit in corde, quod fieri videtur in opere, quando mallet homo non facere, si posset impunè.* Illa proin ex amore, & timore Dei unita pietas illa est, quæ ad omnia utilis, omnia tribuit, & omnibus, præcipuè tamen Regibus, & Principibus. Quæ superius memoravi, paucis delibabo singula.

Optionem dedit Deus Salomoni, quid peteret? Adeò magnus Rex aliud eligere non potuit, nisi, quod ratus maximum. Divitias, & pompam, ac amplitudinem Regni Salomonem sprevisse, haud miror; longævam verò ætatem ultra solitum vitæ terminum producendam inter vota Salomonis non prævaluisse, magnum est, quod ipse Deus, ut summè rarum, si quid ignorare posset, non expectâsse videbatur. Cùm enim omnibus deliciis afflu-

B b b b 2

ant

(1) Deut. 10. (2) S. Aug. contra Pelag. l. 2.

ant Reges , nil potius habent , quàm iis frui diutissimè , toties inter ipsas delicias mæsti , quoties , vel inviti cogitant , iis demum carendum . Equidem pretiosa Regum est vita : huic conservandæ quærentur undique Medici optimi , ac in nulla re , & erga nullos unquam minùs avari sunt Principes , quàm dum ægroti . Salomon vitæ longævæ , & , quod maximum , sanitatis perfectæ , Fidejussorem habere poterat ipsum Deum ; neque enim gratia , aut donum fuisset vita inter morborum ærumnas exacta . Qui sic vivit , quotidie moritur , & ipsam , quam aliàs horremus , mortem in votis habet . Aliud , & optimè statuit Salomon , ipso delectu suo acceptus Deo . Gnarus ille , (3) *solan inter omnes possessiones immortalem esse sapientiam* , hanc elegit , petiit , & obtinuit , Rex unus , qui nullum è Regibus habuit æmulum . Enimvero venerunt illi omnia bona pariter cum ea , ita , ut ipsius Dei iudiciò nemo felix esse possit , nisi qui sapiens , nullus , qui sapit , infelix . (4) *Virtutum sola est imperium obtinentis propria ; nam cæteræ necessariò communes esse videntur imperantibus cum iis , quibus*

impe-

(3) *Isocrates.* (4) *Arist. l. 3. pol. c. 3.*

imperatur. Atque, ut bene imperaret Salomon, causa fuit, ut scientiam rogaret. Quo factum, ut arguerentur illi, qui malè imperant, putâsse, scientiam Regibus indecoram, eamque tum in se, tum in aliis odisse. Neutiquam inficias iverim, neminem fore, qui non optaret, Salomonis exemplò, scientiam sine labore partam; cum hæc in plurimis ex solo laborum fastidio sibi adsciscat contemptum, vel odium. Verùm Dii laboribus omnia vendunt, & donum, quod accepit Salomon à Deo, nulli sperandum est. Nullius proin laboris tædeat Principem ad Sceptra natum, ut hanc sibi comparet, sine cujus oraculo inane, & mutum Regiæ dignitatis Idolum erit. Scientiæ labor in tria dividitur: in puero labor disciplinæ, in juventute exercitii, in senio doctrinæ, ut, quæ nescit, in pueritia discat, quæ didicit, in senio doceat. Vides, quantum in omni ætate scientiam colant ij maximè, qui ad clavum sedent, & quorum turpi inscitiâ navis Reipublicæ perit vel Syrtibus absorpta, vel rupibus allisa. Redeo ad Salomonem. Pietas patris Davidis filio Salomoni Deum adeò liberalem effecit, quam tum ipse etiam Salomon in cultu Dei probè æmulatus est. Pater monuerat: *Initi-*

um sapientiæ esse timorem (5) Dei. Filius ultro factus est, *in (6) malevolam animam non intrare sapientiam, nec habitare in corpore subdito peccatis.* Cùm ergo neminem diligit (7) Deus, nisi eum, qui cum sapientia inhabitat, hæc verò domicilium aliud non admittat, nisi pietatis, sufficit esse pium, ut sapientiam possideas, (8) *cujus radix est, timere Deum, & rami illius longævi.*

Pietas ad omnia utilis, optima Regum æconomia, longævæ vitæ certissima medicina, Regnorum firmissima tutela est. (9) *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.* Necessè est, habere Reges thesauros opulentos, tum pro gloria dignitatis, tum in subsidium variorum pacis, bellique eventuum. Tarda enim, vel dura nimis opum est comparatio, quæ in ultima fit necessitate, neglecta à Regibus, dum vires & sibi, & subditis adhuc aderant: Regibus nempe per decoram, non fordidam parsimoniam; subditis, si non exhauriuntur tempore pacis, auctis semper exactionibus, è quibus impares de-

(5) *Psalm. 110.* (6) *Sap. 1.* (7) *Sap. 7.* (8) *Eccles. 1.*
 (9) *Roman. c. 8.*

in sunt ad belli subsidia. Statuat Rex Thesaurarium suum pietatem, nunquam vacuas inveniet cistas, sine hac semper pauper, optimum dum se putat æconomum. *Beatus* (10) *vir, qui timet Dominum, gloria, & divitiæ in domo ejus.* Majorem sponforem divitiarum an requiras? Pietatem tibi thesauriza, hujus nunquam satis avarus esse poteris. Et hæc sola avaritia proficua, & honesta est. Tiberius Augustus contra, ac vellet Augusta, obstrepentibus Ministris, in egenos, & miseros summè liberalis, deambulabat per Palatium, vidit in pavimento domûs tabulam marmoream Cruce Dominica signatam: substitit, suis ita locutus, oculis in cælum elatis: *Cruce tua, Domine, frontem nostram munimus, & pectora: & ecce Crucem sub pedibus calcamus,* & dictò citiùs jussit auferri tabulam. Inventa sub illa alia, cui pariter Crux Dominica insculpta erat: hæc quoque sublata est; qua pariter amotâ apparuit tertia, eodem signo sacra. Jussa demum hæc itidem erui, Tiberio thesaurum præbuit plusquam mille centenariorum. Fosse-rem egit pietas. Quid mirum, si effodit thesaurum? in pietate erga pauperes collocavit divitias suas Tiberius, pius

fænerator Trapezitam habuit Deum, qui plus dedit, quàm accepit. Optandum foret, ut omnes Reges, & Principes in hunc pietatis lapidem offenderent, & obstrepentium consilia audirent minùs, liberalitatem Dei & ipsi sibi devincerent. Solus ille nunquam exhaustus, solus ille nunquam ingratus est. Quod uni ex minimis factum, Deo factum. Felix prodigalitas, quæ talem meruit habere debitorem. Omnes naturæ instinctu abundantiam potius, quàm penuriam expetimus: quidquid autem vehementer expetitur, id quæritur diligentissimè: quod diligenter quæritur, laboriosè obtinetur. Alia est pietatis, & piorum ratio. Non laboriosè quærentur ea bona, quæ Regem præcipuè, tum etiam omnem hominem beatum in terris efficiunt, ex amæno pietatis studio, & cultu profluunt ultro, quæ optes, quæ cupias; uti vicissim ex turbido vitiorum puteo non, nisi vermibus scatentem lacunam hauries, qui dein non corporis viscera, sed intimam animi mædullam arrodunt, eò usque, ut in vermes tandem desitura sit hæc corporis compago. Divina Providentia Reges ad sublimem locum, nulla in ipsis merita animadvertens, extulit. Caveant, ne eadem pluribus præ

præ aliis cumulatos beneficiis deturbet ingratos. Sæpè Deus ab iis peccatis pænarum telam orditur, quorum nos maximè cepit oblivio. Non enim idcirco sublimes Deus Principatus, ac Potentatus instituit, ut majora committant delicta, majoribûsque fruantur deliciis; sed, ut occasionem habeant Principes, tantò pluribus, plenioribûsque ipsum colendi obsequiis.

Interrogavit olim Deus apud Prophetam: (11) *Si Dominus ego sum, ubi est timor meus?* Timeri vult, ut diligatur, & ut ipse diligit: (12) *Timor enim Dei initium dilectionis ejus.* Qui (13) *timetis Dominum, diligite eum;* nam interrogationi sue subjunxit Deus mercedem magnam valde: (14) *Dabo eis cor unum, & viam unam, ut timeant me universis diebus, & bene sit eis, et filiis eorum post eos.* Etiam posteris providet pietas. Non satis est pietate beari parentes, filiis etiam consultum cupit. Vitam prolongat primùm parentibus: (15) *Timor enim Domini apponit dies;* dein etiam in sobolem benefi-

D d d d

ca

(11) *Malach. 5.* (12) *Eccl. 25.* (13) *Eccl. 2.* (14) *Jerem. 32.* (15) *Prov. 10.*

ca est; cùm *non tantùm* (16) *semen hominum bo-*
norabitur hoc, quod timet Deum; sed etiam (17)
timenti Dominum non occurrent mala, in tenta-
tione Deus illum conservabit, liberabit à malis,
 & *erit illi* (18) *fiducia fortitudinis, filiis ejus*
erit spes. Plura quid cupias? quid speres? An non ul-
 tro fateris, solam pietatem ad omnia utilem, solam com-
 plecti omnia? Hæc adstet, ô Rex, Regina à dexteris tuis
 in vestitu deaurato, circumamicta varietate, & bene tibi
 erit, & tuis. Vives diu, & feliciter, nec trepidabis ad oc-
 cursum mortis; *Cùm timenti* (19) *Dominum bene*
erit in extremis, & in die obitûs sui benedicetur.
 Expelle è satellitio tuo, juratâ in interitum tuum perfidiâ,
 blandientes vitiorum Emisarios. Aulâ tuâ ejice susurro-
 nem superbiam, malum *adedò* (20) *ingens, ac pesti-*
ferum, ut nihil lethalius Principi contingere possit,
cùm semel animò radices egit. Quid enim est
 tam sanctum, quod non contemnat? aut tam justum,
 quod non violet tumidi, & elati vir animi? lumen ratio-
 nis,

(16) *Eccl. 10.* (17) *Eccl. 33.* (18) *Prov. 14.* (19) *Eccl. 1.*
 (20) *Joan. à chokier in thes. pol. aphor. l. 6. c. 3.*

nis, ac prudentiæ extinguit arrogantia, quæ simul animum vel civilis viri occupavit. Jam omni humanitate deposita, in lentam, sævâmq; mutatur naturam, pro nam prorsus interturbare, spoliare, rapere, concutere omnia. Unde est, ut regimen illius negligat Deus, agâtque præcipitem in ruinam, & Odyssæam miseriarum. Proscribe turpes Veneris adultores, qui animam occidunt. Homini libidinoso nullus est reliquus in sensibus vigor; hi enim libidinibus vegetati inertes torpent, & inutiles; apud hunc cessant officia mentis, cessant monita rationis. Ultimatum malorum accedit infamia, quæ scelere, & flagitio contrahitur. Ut enim libidini obscænitatis hæret, ita voluptatem comitantur omnis generis ludibria, quæ momentô pœnæ, & cruciatus excipiunt. Itaque ut libidinem sequitur illa volatica voluptas, & umbratile gaudium, ita utramque denique amplectitur calamitas. Hinc ipsa cum Regis calumnia, sceptrâ frangi, diademata proteri constat. Procul sint ab aula Harpyæ avarorum, & invidorum famulæ in cothurno virorum gravium, & germanæ probitatis æconomorum non incedentia, sed claudicantia spectra larvata. Aliud est avarum, aliud esse pro-

digum. Utrumque in Rege vitium est. Media virtus prima coronæ gemmâ, moderata liberalitas, nullius vitii labem accipit. Solem repræsentant regno suo, quotquot Reges sunt, & Principes. Soli Soli liberalitas est propria. Solis Regibus, & Principibus necessaria, & gloriosa. Luna quod dat, alienum est: A Sole mutuum accipit, in dando etiam semper inconstans, in dato sæpè maligna. Profusa videtur fontium liberalitas, avara tamen est, vel nulla. Mari subducunt tacitè, quas cum strepitu protrudunt aquas; sæpè ipsi deficient, vel exhauriuntur. Utrumque liberalitati contrarium est. Fluvij, quod uni adjiciunt littori, rapiunt ex alieno. Terra etiam plus promittit, quàm præstat. Si in præstito fæcunda, infida in fæcunditate, Zizania segeti, spinas miscet rosis. Ipsa fortuna multis dat nimis, fati nulli; nonnullis est avarissima. Solem adoramus Reges, ac Principes. Sol unus idem in omnes munificus est, ex suo, sine sui penuria, & semper, & quod maximum, non rogatus. Eadem Regum, & Principum est liberalitas, spontanea, prompta, & assidua. (21) *Illis, qui promeruerunt justum est, & eis, qui indigent, subvenire, pium. Do-*

mūs (22) Principis munificentiae officina est: nemo tristis egreditur, nemo egenus. Semper (23) illi, quod largiatur, occurrit, cui bene velle non deficit. Liberalitas prompta lætior est, opportuna gloriosior, & utilior. Nempe suarum rerum (24) munifici, moram non ferunt largiendi. Accedit (25) rei pretio inæstimabile momentum occasionis. Ut lux Solis, ita liberalitas Regia est assidua, sine fænore, sine damno. Munificentiam (26) Regis decet quotidie cum Sole relucere. Principum (27) beneficia, ut Majestate præcellunt, ita mutuum non requirunt. Extra fortunam id solum est, quidquid (28) donatur amicis.

Quas dederis, solas semper habebis opes.

Liberalis animi Thesaurarius est Deus. Rex, aut Princeps minùs munificus, Sol est in hyeme, lucet, non calefacit. Inter omnia Principum opera plurimi facienda est magnanimitas, & munificentia, maximè, cum bene

E e e e

me-

(22) Seneca. (23) Leoferm. r. (24) Symmachus. (25) Val. Max. (26) Cassiodorus. (27) Cassiodorus. (28) Martialis.

merendo de hominibus, non exactis, & avaris rationibus utuntur, neque parcunt in largitionibus, nec, tanquam in lance trutinæ æqualia pro æqualibus computant, sed gratias ingenuè proferunt, non tantum ex vasis fundentes ipsas, ut Poëtæ canunt, nec aliis hujusmodi organis inclusas, sed nudas, intactas, & sine velamentis externis continuas, sibi quæ cohærentes, benignè, & benevolè porrigunt, ut decet, & gratiosum est. Hujusmodi enim gratiarum decus meritò coronam Imperii appellaverim. Munificentia comites inseparabilis gloria, amor subditorum, laus immortalis, &, quod ad propositum meum spectat, ipsa est genuina pietatis filia, Deo adeò grata, ut etiam pro potu aquæ lubens debitorem agat. Solis Divini radios putamus, & habemus in terris Reges, & Principes. Quod Solis est, agant, ut gaudeant subditi.

Necdum satis dictum de emolumentis, quæ Regibus, ac Principibus à pietate obveniunt. Utilis illa ad omnia, imperantibus auctoritatem conciliat, subditos movet exemplò, magnum utrumque subsidium, sed certum, & infallibile, feliciter regnare cupienti. Sol in suo regno non est, qui solus non est. Ab ortu suo Sol unus

iplen-

splendet ; nec tamen Astra fugiunt , nec extinguuntur. Sequuntur stato ordine stellati Proceres , omne Planetarum Ministerium , totúmque Astrorum Famulitium. Singula manent ex luce plena , qua , Sole absente , sunt splendida , qua , præsentè , obscura. Omnes dum micant , nox est. Ille solus , dum lucet , plena dies. *Una in quolibet*
 (29) *Regno auctoritas Regis sit , & Principis.*
 Auctoritas Regum , & Principum est superioritas agnita , legitima , independens , inseparabilis. Gratia , & favor communicatur subditis , pro libitu , pro merito , auctoritas nulli. Corona , & sceptrum absit , & Purpura , sola auctoritas constituit Regem. Qui sine auctoritate regit , Rex est in theatro , ùt olim Reges Francorum Merovingæ stirpis defectu auctoritatis defecère , & desinere Reges. Quod Regi in thoro sponsa Regia. , illi in throno est auctoritas , una uni , sola soli. Obscuri sunt Magistratus , nisi ex Sole micant. Nec officit Soli Astrorum fulgor ; luceant oportet , non dominantur. Manet , & est sua Planetis distinctio , Regiis Ministris debita dignitas ; sed nec Planetae reliquis stellis lucem Solis præripiunt , nec Ministri subditis gratiam Regis. Varietas luminum Majestas

E e e e 2

est

est in Sole. Pessimè consulunt Regi, qui se invicem vel unice respiciunt, vel suspectant, aut despiciunt alios, tum ex diffidentia præsentis fortunæ, vel futuræ anxii. Rara unio inter æmulos; nulla æmulatio inter Astra. Sol unus idem omnibus est, omnibus se communicat pleno orbe, nec communicando minuitur, nec deficit. Omnes dependent à Sole, à nullis Sol. Æquale monstrum est Rex dependens à subdito, & subditus independens à Rege. Solis vices agunt Planetæ; nec omnia negotia solus Rex, sed ut Sol Planetas, ita suos Rex regit, non regitur. Prima est pietas, quæ hanc authoritatem conciliat Regibus. Illius enim Principis magnitudo stabilis, fundatæque est, quem omnes tam supra se esse, quàm pro se sciunt, cujus aurem excubare pro salute singulorum, atque universorum experiuntur. Quo procedente, non, tanquam malum aliquod, aut noxium animal è cubili profiluerit, diffugiunt, sed tanquam ad clarum, & beneficum sydus certatim advolant, objicere se pro illo mucronibus insidiantium paratissimi, & substernere corpora sua, si per stragem illi humanam iter ad salutem sternendum sit. Magna hæc est authoritas Regum, magnum ex authoritate Regibus præ-

præsidium. Hanc solam auctoritatem Regibus donat pietas, cum miser, & despectus est omnis improbus, felix, & potens licet. (30) *Abominatio est Domino via impij*; in hanc ne pelliciat exemplò suò subditos, caveat summopere Princeps. Integer (31) vitæ, sceleris-que purus sit Princeps, qui probè regnare cupit, & feliciter. Sole sereno virent campi, maturescunt fegetes, & fructus; turbidò, si non pereunt, periclitantur. *Optimus civitatis status sub Rege justo est.*

(32) *Sunt castra simillima Regi.*

Duce ignavo nec strenuus est miles, Duce strenuo nullus, vel rarò ignavus. (33) *Ad exempla vivimus, nec tantum ratione componimur, quantum consuetudine abducimur.* Regum probitas omni lege potior est.

Facile (34) facit inferior, quod fieri videt à priore.

Regibus gloriosum est, subditis præluere exemplò, subditis leve, imitari.

Propè (35) omnes homines unius moribus vivimus.

De (36) profectu plebis gloriatur cura Pastoris.

Fffff

Unde

(30) Prov. 15. (31) Horat. (32) Statius. (33) Sen. Ep. 113. (34) S. Ambr. (35) Plin. in Paneg. (36) Leo serm. 2.

Unde monitum illud Basilii Imperatoris ad Leonem filium : sicut cæteris prælatus, ut omnibus imperares, ita contende, ut virtute quoque cæteris antecellas : virtus enim principatu præstantior est. Si autem dignitate reliquis præstas omnibus, virtute verò ab aliis præcelleris, Imperator quidem es, sed in eo, quod minoris excellentiæ est ; in eo autem, quod præclarius est, Imperator non es ; imò sub alterius imperio es. Vah oraculum ! quod tinniat in auribus Regum, ac Principum, cùm è somno surgunt, cùm somnum repetunt. Quanta foret tranquillitas dormientium ? Dixi priùs, Solem esse Reges, ac Principes. Apostolus eos stellas nominat. Voluit ille sub hoc velamine monere Reges, ut in Firmamento Regnorum suorum, uti stellæ, micarent semper, & nunquam paterentur Eclipsin. Ad stellas nempe nimis à terra remotas umbra nequit pertingere. Clavum qui tenet imperii, vitæ ille honestate aliis præluceat, nec ullâ etiam maculâ publici scandali gloriæ suæ deliquium patiatur. Hæc est pietatis regula, hæc merces, ut nunquam solus malus, nec pius esse possit, quin totum applaudat Regnum pio Regi, malum horreant omnes. Usque adeò pietas ad omnia uti-

lis & Regem format, & subditos, in singulos penè ultra meritum benefica.

Hucusque pietatem in Aulis Regum, ac Principum vel quæsivimus, vel inventam commendavimus. Nunc rumor est, eam etiam in castris inter belli tumultus sua figere tentoria. Olim in cilicio, & fago, in squalore, & pulvere mærentem, dolentem descripsere pietatem Anachoretæ, quasi è mundo exulem, & sibi solis propriam. Non ita est. Pietas ad omnia utilis, & læta est, & quod mireris, etiam loricata. Sæpiùs reiteratum à Maximiliano Emmanuele Electore dictum sæpiùs in mentem revocavi, se in omni bellica expeditione expertum esse, nullos audaciores in hostem progredi, quàm qui piè vivere erant soliti. Hos ipsa animat virtus, nullius sibi mali conscientia, cujus reos continuus angit metus, ex certo vitiorum supplicio. Maximilianus I. idem testatus, idem maximè & ipse coluit, & laudavit in suo Tillio. Hic est ille vir, cum quo pietas in castris educata consenuit, Heros perpetuò cælebs, justitæ tenax, profusus proprii peculii in causas pias, & honestas, abstinentissimus alieni, pauperi propior, quàm opulento, inter tantas ditescendi facultates ad ul-


timum usque spiritum, osor vitiorum omnium, intolens improbitatis alienæ, in piissimo agone ex glorioso vulnere faucius hanc, quam in armis semper habuit, tesseram, sibi à conscientia arbitro identidem revocari voluit:

In te, Domine, speravi, non confundar in æternum.

Pietas Tillio septuaginta trium annorum militi tot, tantisque victorias dedit, quibus ille hodie dum inter clarissimos belli Duces memoratur. Pietas est, quæ etiam olim tot Imperatoribus, tot Regibus de hostibus triumphum dedit. Constantino in decretoria cum hostibus pugna Crux pro labaro, pro armis fuit; suppetias è cælo pietas adduxit, militem, qui vinci nequibat, ipsos cælestes Spiritus. Flagrabant, ait Nazarius, verendum nescio quid umbone corusci, & cælestium armorum lux terribilis ardebat. Tales enim venerant, ut tui crederentur. Hæc ipsorum fermocinatio, hoc inter audientes ferebant: Constantino imus auxilio. Habent profectò & divina jactantiam, & cælestia quoque tangit ambitio. Illi Cælô delapsi, illi divinitus missi gloriabantur, quòd tibi militabant. S. Ambrosii pietas stravit Gothorum millia ducenta, in castris Honorii nullo vulnere accepto, nullo amisso milite. Theo-

dosius

dosius contra Eugenium pugnans, novò prodigiò ventos
 evocavit, supplici ad Deum dexterâ. Horum famulatu
 in ipsos hostes tela rediére. Theodosii Nepos Theodosius
 fudit Persas, & Saracenos, immisso à Deo hostibus ter-
 rore panico, ut voluntario prokursu in Euphratem decur-
 rentes, fluctibus supra centum millia absorpti sint. Aspa-
 ris exercitus, Angelo ductore, per ingentis stagni æquor
 incolumis arma circumtulit; nempe exsiccaverat stagnum,
 qui ducebat, Angelus. Viris his piis pro armis fuère ora-
 tiones, pro lorica cilicia. Plures alios ex pietate victores
 brevitatis studiò prætereo. Adeò verum est, *Deum eti-*
am (37) voluntatem timentium se facere, ita, ut
 omnia possis, & omnia possideas, si pius es.



DISCURSUS IX.

PARS SECUNDA.

GUILIELMUS V.
RELIGIOSUS.

Uisquis es, qui mones: *Exeat Aula,*
Qui cupit esse pius. Palinodiam
 cane, deprecare injuriam. Wilhelmum
 in aula Religiosum, in Religioso mag-
 num Principem, Virum exhibeo, qui
 piissimis parentibus natus, in Aula cum pietate adolevit,
 cum pietate consenuit. Olim Wilhelmi abavo Alberto
 Pio Gynæceum fuere virtutes, quas tota Boiaria in sui
 Principis comitatu agnovit, suisque distinctas nominibus
 appellavit, Pacem, Pietatem, Modestiam, Humanita-
 tem,

rem, Clementiam, Benignitatem. Amœniora ingenia implendi septenarij causâ adnumerârunt amorem litterarum, qui in eo ita eximius fuit, uti in multis rarus. Inde mirum non fuit, hoc famulante Gynæceo Barbaram Alberti filiam thalamum sprevisse Regis Galliæ, ut sponsa maneret Christo. Inter has educata Nymphas, lilia virginitatis, quæ Gallicis prætulit, consecravit Deo in Parthenone Angerano. Hoc de Alberti Aula piissima. Idem non tam de Wilhelmi Palatio, quàm de tota Metropoli elogium fuit: Imperante Wilhelmo, Germaniæ Roma, Monachium audiit, adeò cultâ in se, suisque pietate, ut Templâ vix sufficerent devoto populo, eaque pietatis exercitia per menses, per hebdomadas, solô Ducum Wilhelmi, & conjugis piissimæ exemplô repeterentur, quæ olim vix anniversaria fuerant. Verùm non ego Panegyristam hîc ago Wilhelmi, cujus virtutes jam dudum habuêre præcones facundissimos; licet etiam ex his nullum, qui omnia diceret, aut fatîs. Pietas, quatenus Wilhelmo ad omnia utilis, primas hîc sibi vendicat.

Dixi superiùs, Monachium fuisse appellatum Germaniæ Romam; sed non immeritò dubitari poterit, an

Roma Monachium Romæ. *Magnificentia Legatus est munificentia*, quæ sola optimè Principis sui gloriam in extimas etiam Nationes deducit admirandam. Munificum Principem universi habent, coluntque propemodum, ut alterum in humanis induviis Deum; nihilque Principem adeò sublimat, quàm Regia munificentia, imitatrix Divinæ. Abstrusus in animis hominum est thesaurus, largitio Principis, nempe ex ea proventus illi est, ardentia universorum erga Principem studia, & opes cumulatissimæ, & extra omnes casus positæ. Interitum nescit, quidquid munificentia Principalis indulget. Hoc Legato Romæ Wilhelmi magnificentia claruit, nullâ Regum inferior; nec tamen in Vaticano, ut olim in Tarpejo monte, cum vana ostentatione pompæ, sed, quod mirère magis, laudabitur Romæ Wilhelmi magnificentia ex munificentia, vix Authore munificentia agnito. Prodidit demum plus quàm Regiam liberalem manum charta Collybistica, quæ inter stipes in Romani Hospitalis Gazophylacium jacta, eidem multa aureorum millia per Trapezitas numeranda addixit. Hæc pia liberalitas Wilhelmum Romæ, ut olim vanè ex benignitate sua gloriatus est Au-

gustus, ad cælestem gloriam extulit, ex munificentia magnificum. Videntur hodie dum Laureti in sacra Divæ Virginis æde Regalis opulentia dona, æterna pietatis Wilhelmi monumenta. Inter alia candelabrum argenteum octoginta librarum, ramorum viginti quatuor, addita dote, ut quotannis per quadragenos dies festos candidis viginti quatuor candelis luceat. Ex iis, quæ ipse attulit, pretiosissimus fuit libellus, intectus aurô solidô, unionibus, gemmisque, octo aureorum millibus æstimatus; tum etiam Christus aureus specie resurgentis è sepulchro, sepulchrô ipso adamantibus, pyropisque collucente. An non Regia hæc sunt?

Olim in Aula Imperatoris Constantinopolitani luculentum munus fuit, cui nomen erat administratio à memoria. Scilicet hic administrator describebat eos, qui militiae quidpiam fortiter fecissent. Horum nomina Imperator subjiciebat, ut, quem quisque honorem meritus esset, hoc honestaretur. Nihil est, quod ex antiqua Imperatorum pompa ævô nostrô non æmulentur Reges, & Principes; hoc solum administrationis officium inter Proceres suos expunxerunt, ita, ut nullus amplius Mardocheus

us remunerandus fit. Wilhelmus interea ipſus hunc ad-
 ministratorem egit. Revidebat ille ex innata pietate cata-
 logum ſacrorum Lypſanorum, quorum theſaurus in Pa-
 latio ſuo aſſervabatur inæſtimabilis, eſtque hodiedum pre-
 tioſiſſimum Boicæ pietatis monumentum. Inter hæc Di-
 vi Bennonis Lypſana ab Alberto vindicata, & per quad-
 riennium in Palatio ſuo retenta, Wilhelmus in maximam
 Divæ Virginis ædem cum triumpho importavit, indignum
 ratus privari diutiùs publico cultu, cui tutelam Metro-
 polis ſuæ committi voluit, tantò civium, & ſubditorum ſo-
 latiò, ut plerumque dies ipſius feriis ſacer octoginta, & plu-
 rium Paræciarum affluxu celebraretur, commune aſylum,
 & certum, quotieſcunque magna vel belli, vel peſtis ca-
 lamitas urbi imminere videtur. Ipſa aëris intemperies vel
 ſiccitatis, vel pluviarum hoc ad Deum Oratore, junctis
 Magiſtratum, civiùmque precibus corrigitur. Pietas
 Wilhelmi in ſacris his Lypſanis toti Monachio officinam
 medicamentariam aperuit, ex qua hucusque innumeri pe-
 nè, deſperata jam penitus ſalute, & obſtupeſcente ipſâ vir-
 tutem naturâ, valetudinem ſuam accepère. Atque, ut ſa-
 lubrior, & facilior eſſet ad hæc ſacra Lypſana aditus, clau-

fit in perpetuum lupanar, tunc adhuc diffimulatum; sic
 & corporum fanitati cavit Wilhelmus, & animorum sa-
 luti, dum ipsi pietas ad omnia, ille ex pietate omnibus
 utilis fuit. Protrivit hunc serpentem Wilhelmus alter Mi-
 chaël, & à turpissimo hoc colubro liberavit Monacensem
 Andromedam. Probatissimi Authores ajunt, in serpente
 voluptatis, nequitiae, mollitiæque fomitem delitescere.
 Pictura ejus cutis varias, delicatâsque rerum omnium ille-
 cebras præ se ferre videtur. Nulla re mortale genus ma-
 gis afficitur, quàm rerum varietate, aliqua ratione digestâ.
 Comeffationes, & ebrietates, gulæ, ac libidinis ministræ,
 non minùs, quàm mordax serpens, miseros artus animæ
 depascunt. Reptatus autem serpentis nihil aliud signifi-
 cat, quàm animum, qui attolli nequeat in sublime, sem-
 pèrque dejectus ad sola terræ commoda proreptat. Spi-
 ræ, conglobatâque volumina mille, quibus assiduè deci-
 pimur, laqueos, intentô velut digitô demonstrant. La-
 tebris gaudet coluber; popinîs, ganeîs, & speluncîs vo-
 luptas impura, velut in scrobibus, & hiatibus, in huma-
 nis quoque sensibus occultatur. Hinc apud Græcos Mi-
 cheæ Veneris festa in specubus, & abditissimis penetrali-

bus celebrabantur. Suffocavit in spelunca sua hunc draconem pestiferum Wilhelmus. Faxint Superi, ne unquam repullulet hæc Hydra, tum pessima, cum per plura renascitur monstrorum capita, &, ne grassetur in urbem, quæ unam prius infecit lues domum.

Sæpè, dum philosophamur, à contrario fit optima probatio; hac utar, antequam in augustam Divi Michaëlis Basilicam, à Wilhelmo funditus erectam, regiâ dotatam munificentia ingrediari: cujus Architectum egit sola pietas. Phryne Delphis Venerem auream dicavit: eam videns Diogenes, adscripsit elogium: *Ex Græcorum intemperantia.* Arguebat Diogenes Græcos, supra modum eos libidini esse deditos, quod scortum è turpi quæstutantum auri collegisset. Accedat Christianus Diogenes, struaturam Templi Divi Michaëlis intueatur, inspiciat Majestatem, immensas examinet divitias, Sanctorum Lyphana veneretur intacta gemmâs, & aurô; strata obstupescat argentô Altaria; Regiâ pompa instructas, & aurô illusas miretur Sacerdotum vestes; audiat elegantissimam laudes Deo psallentium musicam; ardentes ubique numeret faces, quæ etiam nocturno tempore diem indicant amœnam:

& adscribet sanctum elogium : *Ex pietate Fundatoris.*

Pietas ad omnia utilis Wilhelmo structuræ fundamenta posuit , removit omnem impeditenti obicem. Enimvero nec ullus fuit , nec mediocris lapis offensionis , in quem offendit architectrix Wilhelminæ munificentia pietas , sacra in Deum magnificentia. Obstabat mater , quod rarum in pia , obstabant Proceres , quod non mire- ris , obstabant plebes , unde indigneris , omnes ex timore , vel , quod verius est , usurpatô hodiedum magnis prætex- tibus præfixô titulô sumptuum viribûs majorum. Perru- pit omnia obstacula Wilhelmi pietas , cui nihil impervium , nihil adeò difficile erat , quin gloriosus exurgeret ex ipsa impedimentorum mole. Turris sacrae ædi apposita sub- fedit potiùs , quà m corruit ; ruina tamen malevolorum animos impetuosiùs erexit , non dejecit pietatem Wilhel- mi. Pietas ad omnia utilis è ruderibus turris majestatem auxit Basilicæ , Wilhelmo arcum triumphalem statuit Mo- nachij , ita , ut , si Wilhelmum non agnosceres in templo , ipsum colere deberes in choro. Tribunal veteres dixère , & ipse assentior ; cùm Angelus hodiedum ex ære fusus

sub imaginē Angeli caelestis ibidem continuas agit ad pios cineres vigilias. Magnum est, obluētari ventis, & pelagō : magnūm, sustinere nōn monitā, sed increpationes matris : magnum, tolerare Procērum iudiciū, qui velut minorū gentiū Dij insurgunt in Jovem, ausi, usurpatā tēmerē authoritate, aut suis plebis scitis subijcere Principem, aut eidem per speciem tuendōrum juriū leges dare, ita, ut illi nec serviant, qua subditorum ligantur lege, nec illis Princeps imperet jure, quo natus est. Perrupit omnē obstaculum pietās Wilhelmi, suā solummodo virtute, & satis quidem efficac, nullius egens stipendii, aut mercedis conductitiæ. Nempe, uti virtus ex se potens est, ita hypocrisis ex se flaccida, multo labore sudans, parūm præstat, multūm obest, proficua nec sibi, nec aliis, omnibus contemptā in vivis tacitè, in fine apertè. Sic Wilhelmus suam pietatem, & fidissimorum Virorum consilia secutus, obstrepentes vel sprevit, vel compescuit. Eandem constantiam paucorum, sed probissimorum Virorum consiliis tenuit jam prius Willihelmus IV. avus Wilhelmi, de quo hic sermō est. Ne pestiferā hæresis patriam inficeret, in vicino aère nimium quantū diffusa, quatuor

ei Viros opportunissimo tempore Deus addidit, in sustentanda Religione avitæ fidei columnas, vel salutis Boicæ quadrigam, uti tum vocitabant, Christophorum Dynastam Schwarzenbergium, Leonardum Eckium, Augustinum Löschium, & Franciscum Burcardum. His Consiliariis primariis salva stetit pietas Boica: inter nefandæ hæresis nocivas nebulas stat, stabitque & nostrô ævô incolumis patriæ salus, quadrigæ simili commissa. Schwarzenbergio avita Principum progenies. novum decus apud Principem, in populo magnum authoritatis adminiculum dedit; majus tamen virtus singularis; licet reliquos minimè ignobiles, non tamen ex stirpe sua, unicè præclaros integerrima probitas, profunda scientia, veritas in ore, & in animo candor commendavit,

Redeo ad Wilhelmum. Augustæ Basilicæ adjecit Wilhelmus Collegium pro Patribus Societatis JESU. Palatium non immeritò dixeris. Gymnasium pro juventute, domum pro studiosis Convictoribus sub clientela Divi Gregorij, aliam Ingolstadij sub tutela Divi Ignatij. Præterea domum Oettinganam, Eberspergensem, & Ratisbonensem, quæ omnes & beneficio, & liberalitate Wil-

helmi eum Reipublicæ fructum apportant, ut ubique pietatis, & scientiarum alumnos futuros quondam magnos vel Præsules, vel Magistratus Wilhelmi munificentia excolat. Atque in hoc maximè æmulabatur Wilhelmus parentem suum Albertum, quem Menzelius fontem auri appellavit, in omnes nobilium studiorum campos exundantem, rigantemque, quidquid fuit usquam eruditionis, & eruditorum. Sperate Musæ animò alacres, necdum vena exaruit. Nunc ex sacra hac pietatis palæstra Wilhelmmum comitemur in aliam.

Pietas ad omnia utilis Wilhelmo loricam induit, ipse cilicium. Quæ hæc disparitas armorum in belligerante? pugnat in castris, penè Eremicola in claustris. Vincit hostem, hostibus nec visis, nec visus. Desine mirari, ô Princeps, Moysem exhibeo, qui tensis ad Deum brachiis victoriam exorat, Josues duos, qui victoriam hostibus extorquent. Pietas in armis est, de victoria quis dubitet? Wilhelmus orat, Ferdinandus frater in Gebhardum Truchsessium Apostatam, Maximilianus Wilhelmi filius in Eridericum rebellem (sic fasti Annalium loquuntur) arma movent, vincit uterque, dubiâ fanè victoriæ palmâ,

an hæc pietati Wilhelmi deberetur magis, an virtuti bellicæ Ferdinandi, & Maximiliani. Litem dirimunt ambo, ultro facti, plus precibus, & pietate effectum Wilhelmi, quàm pugnantium viribus. Patuit hoc luculentiùs, disjectis insidiis, Ernesto, & Ferdinando structis. Gebhardus ab ipsis malorum Authoribus desertus, deficientibus in dies magis, magisque rebus suis, cùm in armis parùm sibi superesse præsidii videret, ad malas artes conversus est. Sicarios conduxit octo, qui Ernestum unà cum Ferdinando è medio tollerent. Atrox facinus! sed, qui à Deo Apostata, inter homines nullo erubescit crimine. Orabat Wilhelmus domi suæ pro salute fratrum, & in castris perdidit sicarios, rupitque insidias. Uterque Numinis Wilhelmi pietate exoratus propitiam manum, tutelamque expertus id evasit discriminis, unius è percussoribus denunciatione ultroneâ, qui stimulante conscientia facinus atrox, atque infame detestatus, pacta cogitati sceleris impunitate, meditatus, jamque dispositas insidias, & socios edidit, quorum aliqui comprehensi, parricidij consilium capite luerunt. Accedit aliud, Ferdinando Wilhelmi precibus obtentum beneficium, ita, ut continuas pro fratribus ex-

cubias agere videretur. Globus è balista in adversum Ferdinandi pectus delatus, qui fatalis esse debuerat, innoxius fuit, amissis momentò viribus vim divinitus retusam ostendit, relictis in veste vestigiis longo tractu diffusis. Ecce denuo Wilhelmi pietas fratri pro lorica, uti toti Christianæ Reipublicæ quasi maximum præsidium fuit.

Magnum fanè ex pietate Wilhelmi Christianæ rei subsidium sollicitabat ipse summus Pontifex. Inter primos erat Wilhelmus, isque zelosissimus, qui Augustæ in Conventu Imperiali Religionis causam agebat, cum de edicto Gebhardi de Religionis autonomia ageretur, plurimum questus, aliorum conatus, ad quos non minùs ea res pertinebat, defuisse suis. Relata hæc Summo Pontifici Gregorio à suo in dictis Augustanis Comitibus Legato Mardutio tantùm valuère, ut periclitanti ex unius Ecclesiastici Septemviri turpi ab Ecclesia defectione Religioni factis consultum putaret, si illius curam Wilhelmi pietas ulterius suscipere voluerit. Juvat apponere litteras, quibus eam requisivit : Dilecte Fili, Nobilis Vir, salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Incredibiliter lætati sumus tuâ gloriâ, cuius quidem apud

nos gravissimum habes testimonium dilecti filij nostri Ludovici Cardinalis Madrutij: sic enim per litteras, dum Augustæ Legatus erat, & proximè coràm confirmavit, magnopere in conventu isto extitisse pietatem tuam, & Catholicarum rerum zelum. Certum antea habebamus, te semper tui, Majorumque tuorum similem futurum, in Catholica Religione tuenda, inque omni virtute colenda; sed lætamur, campum tum tibi datum esse, in quo posset pietas excurrere. Magnam nunc item spem habemus, te in summo Coloniensis Ecclesiæ discrimine, consilio, auctoritate, ope, nullò locò, Ecclesiæ illius incolumitati, Catholicæque Religionis amplitudini defuturum. Narratur ubique Archi-Episcopi illius turpitude, expectanturque in dies deteriora: tantum abest, ut emendationis spes ulla ostendatur. Nihil hætenus hortando, monendo profecimus. Certum autem habemus, non desistere, neque Ecclesiam illam tanto in periculo deserere; sed magnopere indigemus ope, atque auxiliò optimorum Principum, in quibus Nobilitatem tuam in primis numeramus. Rogamus igitur, atque obtestamur per Christi gloriam, ut hanc causam commendatam habeas, eamque pietate,

& prudentiâ tuâ amplectaris ; tuâque merita hoc etiam cumulo augeas, neque antea desistas, quàm res optatum exitum habeat, Ecclesiæ scilicet illi salutarem, vicinis securum, ac tranquillum, bonis omnibus lætum. Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die prima Januarij M.D. LXXXIII. Pontificatûs nostri annô primô.

Majorem pietatis Wilhelmi præconem, testémque, quem ego Vatem etiam optimum dixerim, nemo requireret ; uti enim spem omnem Summi Pontificis optatus complevit eventus, ita hodiedum ex Wilhelmi pietate, & sanguine, Ecclesiæ Colonienfis gloria conservatur, tantò majore totius Religionis emolumentô, quò minor tunc spes affulgebat, illius incolumitatem sine maximo detrimento posse retineri. Et vates fuit Gregorius ; eadem pietate, qua Wilhelmus Bavariam, rexit Ernestus Archiepiscopatum Coloniensem. Nec discontinuatâ à tempore Ernesti serie, nec interruptâ, sed hæreditaria pietate eadem hodie præest Clemens Augustus, iis ubique relucens virtutibus, quas Roma non satis admirari potuit, tot illi subjectæ Provinciæ non satis amare. Piè sibi invicem invident solatium, quo gaudet quælibet ex illius præsentia,
Nem-

Nempe ex tam augusta progenie succedit semper augusta pietas. Procuravit pietas Ernesto, Wilhelmi fratri, Septemviralem dignitatem. Eadem nec minùs liberalis fuit erga filium Maximilianum.

Satis commune, & usitatum est dictum illud: maledictum verbum: Renuncio. Wilhelmo amænissima fuit tessera, cùm ad quietiorem anhelaret vitam, lassus pompæ mundanæ, & in pompa curarum. Ille Deo diu, multùmque consulto, approbante Cæsare, gubernationi plenimodè renunciat, & Maximilianum ex affe præficit utrique Bavariæ rarò exemplò, in quo nescias, an mireris potiùs rerum humanarum contemptum, an singularis pietatis in Deum, paternæ in filium virtutem. Magno solatio erat Wilhelmo, quòd haberet filium, cui Principatûs habenas tutò committeret, longè tamen majori, quòd liberum à curis campum nactus, pietatem unicè coleret. Stupendum videtur, quod sequitur. Annos viginti novem Wilhelmus, major rebus mortalibus, in cælestium contemplatione, ac in continuo pietatis, virtutùmque exercitio transegit, eò conspectior orbi, quò se altiùs depressit. Et licèt potentiam deposuerit, mirâ tamen po-

tentiâ omnium sibi amorem conservavit. Pulcherrimum erat videre Maximilianum, qui summô imperiô Provincias regebat, eâ in Wilhelmum parentem observantiâ, ut non ipse regere, sed regi ab illo videretur. Erant consilia Patris filio leges, adstabat sedenti capite detecto, & quoad Wilhelmus superstes, Maximilianus obsequiosissimus fuit filius. Æmulabatur pietatem pietas, utrique ad omnia ita utilis, ut Wilhelmus, dum penè Principem exiit, tres (quod illi soli contigit) filios videret in Purpura, Cardinalem scilicet S. R. E. & duos S. R. I. Septemviros; Maximilianus verò primus dignitatem Electoralem in stirpem suam reduxit.

Dixi aliqua superius de Maximiliano Josue, Frederici Palatini Victore, altero Moyse Wilhelmo victoriam exorante. Prælii Pragensis Maximiliano tessera fuit: *Santa Maria*, indubitato triumpho omine; nempe Sodalitio Mariano, cui nomen Deiparæ ab Angelo salutatæ, non adscriptus modò, sed jam bis Præfectus Maximilianus singulari pietate sua jam tum sanctam Mariam propitiam habuit, inter Sodales antesignanus virtutibus non minùs, quàm augusto sanguine. Conduxit etiam ad Ma-

riana

riana castra Philippum, & Ferdinandum fratres, & Marchiones Badenses, quos ipse in Marianum caetum cooperavit, sanguine conjunctos, & pietate. Hæc, bellô Coloniensi sopitô, Maximiliani exercitia: tot omina fuere; Maximilianum etiam in pace sub vexillo Beatissimæ Virginis pugnantem, in bello vinci non posse. Rarum, & ævô nostrô insolitum est, vidisse olim Ingolstadium Ferdinandum (dein Imperatorem) in Academia Maximiliani æquè, ac in Sodalitio socium, fratres Philippum, Ferdinandum, & Albertum, sublimem Servatoris in Cruce effigiem, sibi mutuò succedentes palam præferre, quòd olim Monachij Ferdinandus Wilhelmi frater pariter factitavit, imitatus Joannem Comnenum Cæsarem. Et quis miretur, Vexilliferos hos sanctissimæ Crucis plurimum contribuissè, ut his sub auspiciis Maximilianus non Bohemorum tantum, sed omnium hostium, quos debellavit, vicitque, vexilla triumphans referret? Pietas nempe in Aula Wilhelmo à cunis comes ad ultimos annos inseparabilis, amicô confortiô, uti cum patre consenuit, ita cum filiis adolescebat, in nullis emortua, toti Augusto stemmati hæreditaria. Usque adeò verum est, pietatem etiam in

Aulis Principum suam habere stationem, eo gradu nobiliorem, quo aliàs fastus, & pompa Principum differunt à modestia ædificiorum Monasticorum, (quæ tamen hodie parum discriminantur) & quo Palatia distant à mæpaliis. Ab exemplo Wilhelmi, & totius augustæ propaginis crede, si non vides.





SIC UTRAQUE DUCTI
AD UNUM.



DISCURSUS X.

PARS PRIMA.

CRITICO-POLITICA.

Quæ fit eminentia Togæ, quæ Sagi?

Et Leges armis constant, & Legibus arma.



Ominis est, magna meditari, tentare varia, formare sibi plurima, solius Dei statuere eventus, è cuius arbitrio consilia suum sortiuntur effectum, vel penitus inversa suffocantur in partu. Nil temerè, nil fortuitò agitur; inane Fortunæ simulacrum, de qua plerumque vel dolemus, vel gaudemus, nostri ingenii figmentum est, sub forma cæcæ Deæ non nisi à cæcis agnitum, & à vera Philosophia, & Religione ever-

Mmmmm

sum

sum Idolum. Fuit illa fortis, fatique potestas, quam felices adorant, execrantur miseri, altius inspicientibus una est divina voluntas, quæ supremè de actionibus nostris disponens, omnia perducit ad finem sibi proportionatum, cooperatione liberâ, nunquam coactâ. Talis est motus ille primi mobilis, qui sine inversione motûs naturalis, cælos, & sidera circumagit suavi ductu, coincidente singulorum motu ad motum principalem, sine turbatione ordinis, sine, quòd quælibet vim patiantur. Talis est in omni artis suæ apprimè perito artifice scientiæ effectus, nunquam intentioni suæ contrarius. Pictor colores suos miscet, penicillò non temerè, sed ex lege artis ductò; dùmque membrorum seorsim debitam servat proportionem, totius corporis formam, quam pingere meditatur, producit perfectam. Architectus, qui ad regulas structuram suam componit, securus est perficiendi artificii, quod Architecto laudem, incolis amœnitatem æquè, ac commoditatem, ipsi structuræ stabilitatem procurat. Non eadem est in consiliis hominum certitudo, quibus nunquam præfixus eventus certus, & infallibilis ex principio humanæ prudentiæ statui potest. Affigit nempe Divina Providen-

tia principiis, quæ nobis inhærent, & ex quibus agere solemus, occasionum incrementa, vel decrementa, subministrat etiam media tollendæ difficultatis, quibus cooperari, vel refragari nobis utrumque liberum, ipsi verò præscium est. Deus infinitè justus nec semper piissimas etiam susceptiones ad optatum perducit finem, nec resistit pessimis, ex principio illo æterno, in quo judicia Dei abyssus multa. Unde uti illius gloriæ, & nostræ fiduciæ augmentum est, ut nonnunquam per insolitas vias ad præfixum pertingamus finem, ita ad conservationem totius structuræ necessarium est, ut causæ secundæ in operationibus suis ex lege naturæ ordinariè nec impediuntur, nec enerventur. Hinc videmus quotidie tum votis, & spebus nostris opportunos, tum præter omnem expectationem contrarios omnino eventus. Succumbit sæpè infirmiori fortior; vicissim dominatur sæpiùs pseudo-politica sapientiæ ex altioribus principiis haustæ. Qui hodie victor, cras victori triumpho gloriam auget. Atque sine hac naturali rerum vicissitudine intercideret penitus civilis prudentiæ humanæ societas, aliis tamen viis, & modis suo tempore compensante Deo defectum eorum, quæ etiam in viris

probis tum in consilio, tum in executione impedita fuerit, vel everfa. Magna sunt, ut tandem ad materiam discursûs nostri propiùs accedamus, quæ hac super re in revolutionibus Regnorum observantur. Miramur magnitudinem Regni cujusdam, & timemus potentiam: hac sensim in ipsa mole sua confidente in rudera, altiùs suspicimus felices usurpatorum successus; causas tamen tum ortûs, tum occasûs, non, quantum convenit, examinamus.

Errat, qui putat, Regna amplissima, & ad summum perducta felicitatis gradum, durare diu, ac esse firmissima. Fructus arborum deliciores corruptioni sunt magis obnoxii. Perfecta sanitas corporis humani Medicorum judiciô vicina est morbo, si non proxima. Idem testatur experientia, si statum Regnorum accuratiùs inspicimus. Magnis curis, multo sanguine, nonnunquam etiam per fas, nefasque, per illicita æquè, ac licita accrescit eorum gloria usque adeò, ut non vicinis tantùm, sed populis etiam remotioribus, imò omnibus dominari videantur novæ Monarchiæ titulô, suis acceptissimô, aliis exitiosô, in ruinam verò ipsius Regni quàm plurimùm

oppor-

opportunò. Neimpe ea talis Regni in supremò felicitatis gradu constituti conditio esse solet, ut exteris Nationibus continuam ægerrimæ sollicitudinis curam imponat, quam illud ipsum Regnum in sui conservationem omnino exuisse videtur. *Nimium vicina virtutibus sua sunt vitia.* Ex opulentia luxus, & voluptas, ex his inveterata invalescunt crimina. Succedit fastui mollities animorum: nulla cura belli, ac pro coronide ambitio, antesignana ultimæ ruinæ, quæ animos, & animorum studia dividit: alios incitamentò ad altiores honorum gradus, alios vindictâ neglectæ justitiæ, quo passim titulò ultima audent, majori votorum suorum spe dejecti, ita, ut omnino difficile non sit extero Principi, utriusque partes fovendo, utriusque ruinam in suum deducere augmentum, ac novam collabenti Regno in sua commoda statuere formam, quæ Usurpatoris talis Regni, ac Provinciæ primâ, sed pessimè nominatur forma. Nolim tamen, ut quis adeò temerarius audeat credere, Deum esse Auctorem instinctûs illius, qui usurpatorem impellit, ut alienam potentiam supprimat, suam augeat ex alienis spoliis. Ipsa hominis indoles in has occasiones continuò vigil, oblatas amplectitur

ambabus ulnâs; quin imò, votis tardiùs venientes, virtute, an dolò, perinde est, quærit, & attrahit; atque in hoc ipso elucet specialiter Divina Justitia. Punit ex una parte florentis Regni ex ipsa felicitate enatum scelus, inversum legum ordinem, ac communia virtutum loco habitata crimina; ex altera compensat temporaliter bene acta qualiacunque Usurpatoris; cum vix ullus hominum sit, quin aliqua Deo placita egerit, unde mercedem à Summo Largitore accipiat; licet etiam supremum Numen pessimo quoque meriti supplicii instrumentò, (quale flagellum fuit Attila) uti soleat. Verùm ubi Deus in Regno quodam, aut Republica dissolutioni morum, collabenti justitiæ, subditorum pressuris, & arrogantia potentiorum incedi cogitat, voluntatis suæ instrumentum talem producit virum, qui unus curandis totius Reipublicæ malis ob acceptas Ministrò primariò dignas virtutes sufficiat. Atque hoc in casu elucet vel maximè suprema Divinæ Providentiæ bonitas, Deo suaviter disponente, nullo (quod Gentiles stultè opinabantur) urgente fato; ita, ut audacter dicam, probum Ministrum, qui ad gubernacula Regni admotus, Regis, ac subditorum salutem curat, clavim-

que

que negotiorum prudenter gubernat, Regis, ac Regni non gloriam esse tantum, sed & florentis Reipublicæ certum augurium.

Notum est, operationes animi physicè malas, vel bonas esse ex dispositione organorum, ex qualitate temperamenti, vel ex contracto habitu. In simili cardine versatur felicitas, & calamitas, gloria, & dedecus Regis, ac Principis. Singula dependent à probitate, vel à læsa integritate, à prudentia, vel ab ignorantia Ministri, qui Regiæ auctoritatis vicarius, potentiæ Regiæ est dispensator. Ea hucusque observatio fuit, ut Orbis ex Ministro agnosceret Regem, ac Principem: nunquam enim Princeps fuit bonus, Consiliariis utendo malis. Nunquam fuit Princeps malus, Consiliariis utendo (& parendo) bonis. *Quò latius venenum per corpus diffunditur, eò præsentius affert vitæ discrimen.* Quò quis potentior est in Republica, eò plus damni affert improbitas. Ingens sanè bonum est, Ministrum habere bonum, probum, verum, & fidelem; ingens ex adverso malum est, probitatem requiri in Ministro; cum & sibi, & cæteris malus sit. Hactenus sanè neque legimus, nec vidimus Medicorum

penuriâ vel Regem, vel Regnum ipsius periisse; at sapientum penuriâ Consiliariorum, quos Princeps penes se habeat, & secretò consulat, innumeros Reges, & Regna plurima vidimus desolari, corruere, & everti. Medici penuriâ unius hominis vita periclitatur: penuria Ministri probi, ac sapientis ruina venit populi, ac Regni.

Olim ea fuit opinio Sapientum, *melius esse audire Socratem de moribus, quàm Hypocratem de corporibus disceptantem.* Dei donum, fulcrum Regni, Regis adjutorium, singulare beneficium subditorum est Minister bonus. Illi à Deo veniunt magna consilia in ancipiti rerum statu: eae vires, quibus statuta in consiliis, postea in executione feliciter perficiuntur: hostium turbati animi, ne etiam, cum possint, resistere audeant: insperatae victoriae in rebus penè desperatis: mentis denique vigor ille, quo talis Minister à Deo submissus, non temerè electus, inter negotia continua, eaque gravissima, non succumbit, inter adversa non corruit, nec in prosperis ambitiosè gloriatur; sed ex iis solatium prudenter in tristiciores casus sibi reservat. Utilitatem publicam ex bono Ministro comitatur ipsa necessitas, ancipiti hucusque opinio-

ne,

ne, an Regi plùs expediat ad gloriam, an subditis ad tranquillitatem, habere virum, qui humeros supponat ingenti Regiminis moli, eâ prudentiâ, ea fide, ne aggravet pondus, & ne præcipitèt in casum, quem semper erectum stare plurimùm interest, ruinâ inevitabili, ubi vacillare, vel titubare incipit; siquidem experientiâ constat, dissolutam Regni compagem difficilè sine cæmento civilis sanguinis, vel adsciti exterorum auxiliij (quod æquè perniciosum) coalescere.

Princeps Regni sui, vastissimi corporis caput est. Sine activitate membrorum languet enerve, perit penitus, si membra capiti imperant, vel non obediunt, scissis in diversa studia manibûs, pedibûsque. De quolibet Rege, aut Principe, qui bene, & feliciter gubernat, Regni que sui habenas gloriosè moderatur, dici potest: Spiritus intus agit. Ministri nervos constituunt, quibûs ille movet tantæ molis machinam sine luxatione membrorum, & eò gyrò, quem pro bono Reipublicæ opportunum arbitratur. Facilè obruitur Princeps multitudine, gravitate, ac diversitate negotiorum, quæ Regni gubernacula, ut umbra corpus, sequuntur comites inseparabiles, & quantus-

cunque sit Principis zelus, tum gloriæ suæ, tum salutis publicæ, evitare vix poterit, quin denique labori succedat lassitudo, lassitudini tædium, tædio plerumque ira, aut violentia, aut præcipites nimiùm sententiæ. Verùm diviso inter Ministros labore, commissâ eorum fidei, ac prudentiæ aliquâ negotiorum parte, servatur Principi serenus animus, æqualisque in curas vigor.

Eum hucusque Regem atas vidit nulla, qui solus omnia Regni sui negotia scire, eadem unus librare, & expedire potuit; sociato cum Ministris labore, uti Navarchus, ope, & concordia Remigum, securiùs navigat, ita clavum Imperij assumptò auxiliò non deserit, sed dirigit feliciter. Non temerè autem, cùm de electione Ministri agendum est ex monito Exodi 18. *Provide de omni plebe viros potentes, & timentes Deum, in quibus sit veritas, & qui oderunt avaritiam.* Observat sacra Scriptura duo puncta essentialia Ministro cuicumque. Ij, qui ex privilegio Natalium throno Regio propiùs accedunt, magnis passibus antecunt sanguine, & stirpe inferiores, præhabendi reliquis, si Nobilitati necessariæ Ministro virtutes, nativæ quasi dotes, suavî vinculo junguntur. Vicissim il-

li minimè negligendi, quos singularis prudentia, integra fides, probata veritas, & longa rerum experientia commendat, à meritis mirè compensatâ Natalium forte. Ex quibus satis palam elucet, summopere esse cavendum, ne Princeps in hoc honorum fastigium eos evehat, quos dein ipse Princeps sine suo, aut Reipublicæ periculo inde detrudere vix possit; cum semper certa vel primæ levitatis, vel seræ nimis pœnitentiæ nota remaneat: uti pariter probrosum est, Ministrum etiam mediocris fortunæ post collatos primò favores, odiò postremùm prosequi. Cujus mali medela præcipua est, si Princeps ex supremo suo arbitrio, ipse Minister ex sua prudentia id summopere cautum velit, ne subditi conqueri possint, penès unum tantùm Imperij præmia, penès reliquos solam servitii necessitatem esse; inde enim plerumque evenit, ut talem Ministrum potentiâ inter claros potiùs, quàm inter bonos, boni, malique, causis diversis, studiò parî, omnes infensis oculis, animò aversò aspiciant, falso cultu venerentur, verò execrentur odiò. In hunc scopulum offendit plerumque Minister indebitè provectus in immensum novus homo; nec observatis interstitiis temporum promo-

tus ad supremam hanc dignitatem, in odium, & invidiam
 æmulorum, queis maximè obnoxius, quicumque Regem
 possidet. Citiùs, & certiùs in casum ruit ille, qui studiò
 rei privatae, negligentia publicæ, sibi plurimum, parùm
 aliis bonus, odium incurrit omnium. Intolerabile servi-
 tium est fortibus, & Nobilibus viris, cùm per fastidia adu-
 lantium adeundus est Princeps, vel cùm alius post Prin-
 cipem rogandus est.

Felix ille delectus est Ministri, qui Principis arcana
 servare, maturò consiliò ponderare, ejus voluntatem ex-
 sequi, & dum ipse Principis imperio plena fide obedit,
 subditis scit imperare. Prima, & continua illius cura sit,
 talem virum inter negotia diu, noctùque sudantem in aula
 honorari, amari, timerique in publico, domi suæ deesse
 nihil: frustra enim lætum laborem speres ab eo, qui fri-
 get, & alget. Olim Romani, ac Græci præcipuo cultu
 distinguebant illos, per quos Deorum suorum Oracula re-
 cipiebant, nullâ inde in Deos ipsos resultante injuriâ. Glo-
 riæ Principis decedit nihil, accedit plurimum ex honore
 Ministri; præcipuè, (1) *si accedit modestiæ fama,*
quæ neque summis mortalium spernenda est, &

à

(1) Tacit. lib. 1, fol. 292.

à *Diis æstimatur*. Hac autem deficiente, & splendore, quem à gratia Principis accepit, in fastum vitiosè translato, idem evenire solet, quod in Luna, quæ sæpè Solem Eclypsi supprimit, & obscurat, cui tamen omnem lucem suam debet. Quod maximè periculosum est Regibus, populo auditis tantùm, non visis. Verum equidem est, Ministrum nonnunquam, velut siparium, & velum intercedere inter Principem, & subditos, ita, ut, si severus nimium, vel parùm liberalis sit, severitatis, vel avaritiæ nota non Principi, sed Ministro affigatur, stante publico in Principem amore, recidente in Ministrum odii publici culpâ, quæ tamen in arcano nulla est.

Ex his fatiè amplè, ut arbitror, deductis, non immeritò inferri posset, togam ex sua eminentia prævalere sago, nisi forent, qui primum gradum post Regiam dignitatem primo militiæ Præfecto, ac supremo belli Duci sine injuria non eripi posse arbitrantur. Togam, ut superius visum, commendat justitia: hæc sola leges armis ponit; hæc si desit, bella sunt latrocinia, Tyranni Duces belli, victoriæ violentia. Armorum gloria tantum valet quantum servit conservandæ, vel administrandæ justitiæ.

Arma iniusta Deo illudunt; cum Princeps, qui inconsulte bellum gerit, potentiam à Deo sibi collatam contra Deum usurpat. Homerus jam pridem statuit, *Principes justos, & justitiæ Patronos Deorum filios esse nuncupandos.* Cur proin primi non sint justitiæ Ministri? qui eam & Principi, & populo procurant, sæpè etiam præter sententiam Principis, exemplò Augusti, qui, ut Dion ait, *sæpenumero ferebat per Consiliarios suos contraria suæ sententiæ decreta fieri*, quæ in belli Ducibus licentia non est, in quibus obedientia statutiæ semel executionis, non consilium requiritur. Contraria etiam facta, licèt gloriosa, & victoriosa plerumque improbantur, puniuntur nonnunquam. Quod olim apud Romanos non rarò usitatum.

Nemo est, qui ignoret, Statum Ecclesiasticum antecedere togam, sagúmque. Neminem etiam latet, plures Cardinales Regum egisse Ministros, administrandæ Reipublicæ curatores indefessos, paucos, vel nullos in re militari Regibus parem navâsse operam, in bello quidem socios, sed qui consiliò, non armis pugnarent. Equidem

Car.

dinalis Guisus militiæ Præfectum egit in castris ; verùm ex Purpura Romana , & sacro charactere rara fuit in hunc Principem laus : militiam affectabat impatiens sui , non miles , quia Cardinalis ; non item Cardinalis , quia miles erat. Indebitum certè characteri , vecordi in arma libidine , militari licentiâ traducere vitam. Atque ex his prærogativis affurgit præ eminentiæ disceptatio , quas tamen , qui sagi causam agunt , potiori , ut putant , ratione convellunt.

Fuisse inter Ministros Reipublicæ Cardinales , qui publica negotia ad immortalè laudem curabant , nemo inficias ibit ex recenti memoria Cardinalium in Gallia Mazarini , Richelii : in Hispania Ximenii , in Anglia Volfèii. Verùm , cum hæc munia , in quibus prævaluere , non fuerint Ecclesiastica , ex ordine Ecclesiastico illis nulla accedit prærogativa. Est in consiliis Princeps , fateor , ibique administrat justitiam ex opinione Ministrorum , ex qua etiam suam sæpè mutat sententiam ; hanc justitiam tamen ille ipse nullibi immediatè exsequitur , nisi in bello. *Militia , sive bellum est tribunal , in quo judicat Deus.* Hoc jus exercetur à Principe. Ipse Princeps ad

ministrat hanc justitiam bellicam. Atque, ut eam probe curet, ipse arma induit, subit pericula, æstûmque diei, ac noctis vigili curâ sustentat.

Sententia belli est functio divinæ justitiæ, solis communicata Principibus. Per hanc subditis conservant justitiæ emolumenta, victis imponunt justitiæ præcepta. Usus armorum primam sanè Principi vindicat gloriam, ac corpus illud constituit, cujus ipse est caput, cujus membra conficiunt sæpè Principes ejusdem sanguinis, plerumque, si non semper, supremi Officiales coronæ, Governatores Provinciarum, ac personæ Illustres ex Natalibus æquè, ac meritis, ita, ut supremis belli Ducibus, cujuscunque Nationis prima Nobilitatis prærogativa quasi vinculo indissolubili inhæreat, acceptis à prima juventute iis militiæ principis, ut non nisi Martium quid spirare docti, in Patrios, Avitósque triumphos, gloriæ æmuli adolescant. Cujus sanè inter præcepta Palladis togatæ nullum invenies incitamentum; quin imò plurimi nec vanè judicant, lethalem esse Republicæ, lippis, & tonsoribus promiscuum scientiarum usum, ex quo strata cuilibet in Parnassum via facilis, paucis in summum apicem ascen-

fus est. Obstat item ratio politica, qua docemur, stare,
 & augeri commerciis Regna, quæ ire in pejus, & minui
 certum est, ubi quilibet à populo sectatur litteras: raro
 mercatorem se ferat, qui ex litteris gloriatur. Hinc liti-
 bus augmenta in pagis, dum Vasallus vanâ latinitalis ima-
 gine, qua illuditur, litem feudi Domino movet. Hinc
 advocatulis implentur oppidula, quibus velut hirudinibus
 populi sudor, & sanguis vita sunt. Perniciosus est Rei-
 publicæ contemptus armorum, quibus nisi exercentur
 primâ adolescentiâ juvenes, spernunt bellica, aut spernun-
 tur ipsi à bellicis. Nimis invaluit pessimus nostris tem-
 poribus usus, ut, qui imbuitur litteris, procul habeatur
 armis, quo fit, ut rari militent, dum litteris incumbunt
 ferè omnes. Et, ut copia litteratorum penuriam indicat
 Præfectorum, Ducumque militiæ, quorum defectum dein
 supplemus suppetiis exterorum, nullâ Patriæ laude, sæpè
 etiam querente Nobilitate, tardiùs, quàm oporteret, mi-
 litaris gloriæ æmulâ. Viget per arma Imperium Otoma-
 nicum; quia rarus Mahumetanâ lege scientiarum usus.
 Hæc in favorem sagi, ex magnorum virorum oraculo di-

ta sunt. Quæ etiam experientia quotidiana in plurimis quidem, non tamen univèrsim probat in omnibus, nullusque abusus impediatur usum.

Interea novam sagor eruunt præminentiam ex ipsa potentia, quæ supremis belli Ducibus communis, uti magnifica Authoritas pro facundia est; nempe, cum apud eos sola bene imperandi cura valet, inania transmittuntur. Pessimè tamen credunt plerique, militaribus ingeniis subtilitatem deesse; quia castrensis jurisdictio secura, & obtusior, ac plura manu agens calliditatem fori non exerceat. Ducis boni imperatoria authoritas omnis in virtutibus est, maximè verò in fide Principi suo data. Hanc si tollas, Regis sui dominus est, non vicarius. Non semper Regibus expedit, nec unquam, ut ipsi pericula belli subeant. Translata proin in belli Ducem potestas Regia penè omnes Regni vires suo regit arbitrio: uni omnes militant, & tot millium virorum exercitus ab unius ore dependet. Grande planè miraculum, tot capita etiam primæ Nobilitatis unius amplecti sententiam; imò exsequi sine mora, quæ in consiliis inter disputationes trans-

giture,

gitur, plurium votis diversitate opinionum distractis. In bello Ducis cognita virtus, & animus in præcipites casus celer, & expeditus obsequiosam in milite fiduciam poscit, non examinare cunctando, quæ imperata sunt. Planè altior humanò consiliò videtur in re militari concordia. Exercitus patienti, non rebellì animò malevolæ fortunæ injurias tolerat, si victus; si victor, & in hostili Regione spoliis, & gloriâ dives, ubi alios libertate exuit, suam nunquam recipit, in utraque fortuna natus ad Ducis unius obsequium, quod imperium adeò absolutum togata Pallas ignorat.

Neque militaris prudentia gradù cedit civili. Magnum illi ex longa rerum experientia emolumentum, magnum in executione consilium; quia in promptu, & quasi ex itapede sumptum. Oraculum Catonis est, *in bello non peccari bis*: qui semel deliquit, æternùm deliquit. Prospera omnes sibi vindicant: adversa uni imputantur. Hinc belli Ducì tot inter hostes, ac pericula versanti perpetua cautio, sempiternæ excubiæ. Error inemendabilis, qui emendationem non recipit. In aliis

consilia mutantur pro libitu; statuta hodie, cras abrogantur, parùmque durant in Rebuspublicis præcepta; præcipuè si nova, & insolita, nunquam, si onerosa. Unde, si non in Principem, certè in Ministrum commune odium. Militia promptuarium est, ex quo prodeunt Governatores Provinciarum, Præfetti urbium, & Arcium, ex quarum conservatione Regno venit tranquillitas, & salus. Additur nonnunquam socius, qui, ut rei militaris minùs peritus, pecuniariam, & publica curet, rara tamen ex disparitate potentia concordia non tollit præminentiam primi, nec necessitatem secundi. *Arca- num Imperij est, dissensione eorum, qui Provincias administrant, valere auctoritatem Regum.* Securior in bello, quàm in pace fidei Principi datæ regula est, læsæ nulla venia. *Qui deliberant, jam desciverunt: & quærere, an fidei maneat, jam non manentiùm est.* Non idem in publicis viget rigor. Sunt multa fucis illita, & multi sibi amicos faciunt ex Mammona iniquitatis; dum sibi negotia accommodant

non

non se negotiis, levi saltu ab uno dominio ad alterum pro commodo suo, famæ leviore cura. Atque hæc utriusque partis argumenta paucis perstringere volui, nec arbitri, nec iudex, cum sententia, quæ mea est, illum valere præ omnibus sagatæ, & togatæ Palladis clientem, qui in utroque Cæsar, juxta illud Taciti : *Equidem beatos puto, quibus Deorum munere datum, aut facere scribenda, aut legenda scribere; beatissimos verò, quibus utrumque.*



Rrrrr

DIS-

DISCURSUS X.

PARS SECUNDA.

POLITICO - HISTORICA.
MAXIMILIANUS I.

Acobus Magnæ Britanniaë Rex si ambi-
 dexter arma æquè , ac libros tractare
 voluisset , audiisset equidem magnus
 togâ , sagóque , qualis Angliæ Rex. Ve-
 rùm in Politicis probè institutus , litte-
 rarum summè cultor , in bellicis parùm versatus , pacem
 eò studiò coluit , ut nullâ Generi sui calamitate induci po-
 tuerit , quò eum , Nepotésque armis potius , quàm con-
 siliò juvaret , subditis nunquam gravis , dominatione per
 annos viginti , & tres tranquillâ , & lætâ.

Litteras colere , amare etiam , quâ decet , remune-
 ratione litteratos , magna in Principem laus ; sed sine ar-

mis

mis tota non est. Qui magnus audit, valet utroque. Antequam nostra percurramus sæcula, inter veteres fuere Alexander, Pompejus, Cæsar, Augustus, Lucullus, Sylla, Romanorum pars magna, magna etiam Græcorum, ab eruditione pariter, ac ab ipsa militia posteritati celebres. Ipsa tamen Roma vidit & alios scientiarum omnium rudes, in armis expertissimos.

Ab aratro vocavit Cincinnatos, & Marios: ab agresti tugurio Hostilios: à mercatura Tarquinnios Priscos: à famulatu Servios Tullios. Nempe his Pallas noverca, illis mater erat utroque lactatis ubere. Rara avis in terris, & rari nantes in gurgite vasto Duces sine litteris, sine lectione, sine litteratis. Cæsari, Augusto, Antonino, Trajano, & Adriano nulla dies abiit sine lectione, sine scriptione. Atque hæ sunt validissimi Magistri, ex quibus Princeps sæpè una die, sæpè horâ unâ discat, quod vix ex fastidiosa plurimorum annorum experientia maximi, fortunatissimique exercituum ductores per sudores, vulnera, sanguinem, & damna, ætate totâ, bellóque sunt consecuti. Inde noscunt Gentium mores, ingenia, robora, opes, & animos, institutum, disciplinam militarem, bel-

lorumque initia, progressus, finem, varios exitus felices, infelices, dubios, Regnorum incrementa, interitus, causas, ac quidquid denique cuique magnum, inopinatum, fortunatum, infortunatumque acciderit. Sine litteratis purpura Regum cum vita ponitur: nec ulla superest memoria, ubi posuerint. Unde sine Scriptoribus sceptrum cum corpore integuntur terræ, ut multi nesciant fuisse. Vicissim curâ Scriptorum eruditorum memoria eorum vivit æterna, scripta libris, incisa marmori, ipsis in laudem, posteris in exemplum.

Præ aliis mihi sit, ne à domesticis ad externos abeam, Magnus ille Maximilianus, qui suò sæculò Salomon Boicus audit, ancipiti gloriâ, an à scientiarum laureis, an à trophæis victoriarum plus famæ tulerit. Ad eò strictò vinculo hæ virtutes in uno capite coaluere. Ætatis suæ annò decimo quartò Ingolstadiensi Academia, ab Agnato ibidem in emolumentum Reipublicæ litterariæ institutæ, erectoque cætui Mariano nomen dedit, eâ laude, qua dein in proveciori ætate continuo studiò eruditionem sociavit militiæ, pietatem utrique. Ibi quadrienniò moratus, Ethicæ præcepta, Philosophiæ partes Principe dignas, archi.

chitectonicam, rationesque muniendarum Urbium ex legibus Mathematicis hausit, percepti fructus documentò operatissimò, quoad vixit. His additum Juris prudentiæ studium; quo factum, ut non tantùm civilis doctrinæ præcepta communia, sed etiam Bojcarum Legum instituta optimè calleret, dato quidem jam tum nunquam fatis laudando, subditis verò toto Regni sui tempore utilissimo specimine, Justitiam se scire, & nôsse administrare. Usque adeò etiam in hoc Lycæo hæc purpura non erubuit, quin potius quasi recens tincta clareret, & eo tempore præter Maximiliani Serenissimos duos Fratres Philippum, & Ferdinandum, hunc dein Electorem Colonensem, illum Romanæ Ecclesiæ Cardinalem, Ferdinandus Archi-Dux Austriae, postea Imperator Augustus, in eadem palæstra adolesceret, positis utrinque iis mutuæ amicitiae radicibus, quibus in sequentibus annis Maximilianus Ferdinando nutantem Regni Bohemici coronam; hic verò Maximiliano avulsum per aliquot sæcula ab Insignibus Bojcis pileum Electoralem restituit.

Nec litteras tantùm Maximilianus, ut modò visum, sed & artes coluit. Primis annis penicillo donabat sub-

fecivas horas. In qua arte eos progressus fecit, ut nemo melius de pictorum manu, ac differentia, de picturarum præstantia, & pretio judicaret. Ipse annuli paterni gemma pretiosissima, rei gemmariaæ cognitione longè supra vulgarem claruit. Demum tornum tractare doctus, plurima vasa scitissimè elaborata, in selectissima Serenissimæ Domûs supellectili reposuit, datô posteris exemplô, se in juvenilibus etiam annis nihil spirâsse, nisi quod virum decet; & mireris, tantum Principem sibi, suisque Globum Imperii, & quod præstantius est, nunquam dehinc volubilem, maximô suô encomiô, æternâ Gentis suæ gloriâ elaborâsse?

Vifus fanè, quidquid addisci cum laude posset, id omne scire, nihil velle ignorare, alios etiam, imò posteritatem omnem erudiri cupiebat. Inde summa illi viro- rum eruditorum cura, quos tum exemplô, tum præmiis, & munificentia prorsus regiâ animavit, laude non omnibus communi, ut Annales Bojcos à prima Gentis origine tum sacros, tum profanos conscriberent, ipse adèò severus revisor laboris, & largus præmiator operis, ut penè author dici posset. Quæ omnia digniore calamo, & justo volumine

mine conscripta nec hîc fusiùs repetendâ ; cùm mihi ea, quæ ad rem meam sunt , tantùm in Synopsi producere sit animus , fatîs probant , Maximilianum togatam Palladem ambabûs strinxisse ulnîs, totam toto amplexum corde, & animô.

Commutato dein cum togâ sago Maximilianus in Lycæo doctus, in castris Heros galeam etiam, & loriam induit. Prima illi expeditio militaris in Donawerdanos, reliquarum continuo victoriarum cursu augurium fuit. Domuit Deo, & Cæsari rebelles. Ea civitas, quæ olim à Bojco Principatu descivit, tunc etiam à fide orthodoxa transfuga, Cæsari parere iussa, hodie antiquum dominium agnoscit , ob factos belli sumptus Bojcis adscripta subditis. Sic, quæ libertate sua tranquillè frui non potuit, ex servitute tranquillitatem accepit, & salutem , licèt illius semper avida, si qua foret spes, aut occasio recuperandæ. Adeò

(1) *difficilius est oblivisci , quàm tacere.*

Altera Salisburgensis, eò gloriosior, quò victis incruenta, summæ in Victore moderationis exemplum fuit; nempe bello inter finitimos, è quo nihil lucri, damni pluri-

S S S S S 2

mum

(1) *Tacitus.*

mum obvenit, ratio vincendi est omnium maxima, per
 quam nihil ferro permittitur. Hoc autem finjit armo-
 rum imagine potius memorabile, quàm populorum cla-
 dibûs, partisq; ex hoste Trophæis. Magni momenti
 est, ab Ecclesiastico provocari ad bellum, majoris, à Prin-
 cipe sæculari etiam invito inferri Principi Ecclesiastico.
 Hujus causam mox agunt multi ejusdem ordinis, & digni-
 tatis, sub prætextu Religionis, & immunitatis Ecclesiasticæ
 sua curantes commoda; illius pauci, usquedum ab even-
 tu felicioris aleæ & victoriam gratulari, & victoriæ causas
 approbare tutius putant, quàm in rebus dubjis conferre
 consilium, aut subsidium. Lis erat de commercio salis.
 Interrupta fuerat subvectio clausis Hallingensibûs salinis,
 unde in Bojcam secundo flumine statuta copia, fixo etiam
 pretiô ab antiquo tempore deducebatur, Archi-Episcopum
 Wolfgangum Theodoricum cum Maximiliano collisit.
 Hic antiquum reposebat jus; ille ex libera dominatione
 moliebatur novum. Querelas Maximiliani auxit impe-
 dita lignatio ad salinas Bojcas Halæ divitis necessaria; unde
 ex operarum infrequentia salis augebatur pretium, copia
 minuebatur. Necdum tamen de armis actum componen-
 dæ

dæ liti; consiliò, & jure Maximilianus illata damna, quàm bellò vindicare maluit; licèt plurimùm urgeretur, crescente ex longiori Maximiliani lenitate Archi-Episcopi audaciâ, ita, ut, quibus usque ad Rhenum, & in intima Helvetiæ cum Bojis salis commercium, magno horum proventu erat, deficiente subvectione jam sibi aliunde provisum vellet; re tum quidem adhuc feliciter impeditâ, nostrò ævò tentatâ impunè.

Hoc in negotio inter continuas comperendinationes ab Archi-Episcopo ductas, ille, cui ex officio incumberebat cura pascendi gregis, servandæque tranquillitatis publicæ, vix sui memor, meditabatur quodlibet aliud, &, qui Episcopus erat, egit militem, utrumque pessimè. Ferdinandus Maximiliani frater Præpositi jure Ecclesiam Berchtesgadensem, soli Sedi Apostolicæ, & Cæsari immediatè subjectam, per plures jam annos quietus rexerat. Hunc armatis tumultuariè Provincialibus Præposituræ possessione dejecit, oppidumque occupat, civibûs victori arma dare jussis. Unde Maximiliano ira intensior. Timebatur haud vanè Archi-Episcopi progressus ulterior in ipsam Bojcam, &, prout vellet, plus, minúsve tentaturum ex prima fortu-

na. Maximiliano jam diu leniora consilia, donec contumaciam exueret mollita ferocitas, frustra tractanti audendum, dum noxia erat tranquillitas. Assurgit in jubas Leo Bojcus, & virtuti nihil impervium ratus, per avia, & devia montium, per interclusos sylvarum meatus (hic enim situs Regionis ubique penè horridæ) velut cum feris experiri statuit. Tardiùs tamen progressus, dum mitiora sperat consilia, vi armorum ostentatâ magis, quàm illatâ, ab ipso Perillustri Collegio Salisburgensi impensius rogatur, ut oppressis suppetias ferret. Adeò Maximilianum non putabant hostem externum; adeò execrabantur domesticum. Re jam priùs ad Summum Pontificem, & Rudolphum Cæsarem delatâ, prima castra ponit ad urbem Titmaningam, è Salisburgensibus Bojçæ proximam. Dispositis tormentis bellicis una dies vidit & urbis, & arcis obsidionem pariter ac deditonem, paucarum horarum spatiò discretam; Acceptò deditonis nuntiò fugâ dilabitur Archi Episcopus in tutissimo positus, non satis tutus ex mala conscientia, non suis, vix sibi fidens. Nec satis. Gazâ sacrâ, & thesauro omni Ecclesiam spoliât, quam priùs exiit sacra libertate, ditissimam supellectilem, viæ, & fortunæ comitem trahens

in subsidium fortis qualiscunque, sive in reditum dominatione imperiosiore, sive in solatium exilii, ubi exuli opulentissimo nihil deesse poterat. Res contra cessit. Maximiliano multis precibus invitato Salisburgum venienti urbs deditur, omni in bellum apparatu instructissima, ob situm loci vix unquam sperandâ expugnatione. Hic, ubi Archiepiscopi fugam, fugæque modum novit, afflictamque Ecclesiam cofam vidit, continuo expeditam equitum alam insequi jussit, quæ fugientis vestigia premeret, & si fieri posset, retraheret prædam, si non fugitivum. Instat eques, & præter omnem spem diutiùs in itinere cum sarcinis suis hærentem Archiepiscopum captivum tenet, reducitque; licet asylum præbere debuisset opportuna Austriæ tellus, in qua captus est; quam vim dein Imperator ægrè ferens; à Maximiliano verò, quid factum, edoctus, ignorantia militum veniam, nullam Maximiliano culpam dedit, cujus moderatio Imperatori jam dudum nota, in eo etiam enituit, quòd sumptibus suis, nullò suò commodò Ecclesiæ Salisburgensi omnem tranquillitatem (in quam olim Conradus Wittelspachius Purpuram, titulúmque Legati per universam Germaniam intulit) pacem civibus, & oppressis

solatium reddiderit, accepto per novam, ac liberam electionem alio successore, Decessore Wolfgango in honestissima custodia, quoad vixit, retentô, & publicè saltem, non invitô. Eôdem beneficiô Ecclesiæ Berchtesgadenfi sua reddita libertas, suus item Præpositus. Quæ omnia eo fine fusius perstringenda putavi, ut apud domesticos tam digna servaretur memoria, quæ perijt apud externos, quorum tamen beneficio hæc acta sunt.

Nova fuit dein expeditio in Austriacos Cæsari rebelles. Non ea lenitate, nec ea celeritate res transacta, quali Salisburgensis. Cùm hic unus, illinc plures peccarint cum Proceribus rebelles Coloni, & quod pessimum, incitamento Lutheri doctrinæ ferociore, simul è promisso à Protestantibus Bohemis auxilio audaciores. Omne à mora periculum, Maximilianum eò impulit, ut Mansfeldium Bohemorum Ductorem præveniret, haud vanè ominatus, fore, ut ingeniô, & peritiâ Ducis gens alioqui ferox, dein disciplina militari instructa bellum redderet & longius, & periculosius. Relictô Lauingæ Therelasiô Tilliô cum triginta, & ampliùs armatorum millibus, accingit se in expeditionem Maximilianus, lectoque milite, sex Legiones

Bojo-

Bojorum secundò Danubio Passavium transmittit, diviso in duas turmas equitatu. Ipse Scherdingæ subsistit, lustrato priùs Vilshovii annonæ, & rei tormentariæ apparatu. Scherdingâ abeuntem comitantur quatuor Principes, duo Lotharingi, Carolus, postea Dux regnans, & Elbovius, è Silesia Princeps Teschinus, ex Italia Virgilius Ursinus. Hi ultimi prima militiæ Rudimenta sub tanto Heroë posu-
ri. Enimvero iam tum moris erat, quod dein in Hungaria sub Maximiliano secundo vidimus, ut exteri Principes ad magna nati Martium ardorem formare vellent exemplò virtutis Bojæ. In Austriacos primus belli impetus. Hi Bojis ex vicinia infestiores, clausò, ductâ ab utroque littore catenâ Danubii alveò, sibi securitatem, Bojis annonæ subvehendæ, omniumque, quæ ad bellum spectant, augendam difficultatem parabant. Grassabantur interea Coloni impunè, jamque occupata arce Lincii, totius Provinciæ gubernationem usurpabant, ubique ejectis Cæsareis præfidiis. Sæviturum in eos, qui in fide Cæsaris permanebant; vexata direptionibus Monasteria, oppida, & pagi. Præcipua rabies in milites sive Bojos, sive Cæsareos, quos fustibus, ferreis clavibus armatis, infano furore maclârunt, vix una morte

contenti. Dirum est manipulariis in rusticorum manus incidere, à quibus rependi gratia solet, qualis accepta à milite in statione, in transitu. Præ alijs lætuosa erat cædes Ludovici Ducis Saxo-Lavenburgici, plebejo sanguine nunquam satis vindicanda. Ast, ubi perruptis claustris, arborumque objicibus Maximilianus ubique victor Colonos inter necina clade fudit, ab irato milite commilitonibus igne, & ferro passim tanto furore parentatum est, ut pænâ capitis iræ modum statuendum duxerit. Intererat nempe servari Cæsari Provinciam, non devastari. Unde datum Haslangero, supremo castrorum Præfesto speciale mandatum, nullibi bellum inferret, nisi laceffitus. Timor ab efferato milite, & clementiâ victoris effecere tandem, ut Maximiliani conditionibus, plus, quàm sperarent, mitioribus molliti Proceres, & Ordines denuo in verba Cæsaris jurârint, serâ nimis pœnitentiâ docti, nullum in rebellione præsidium, ab ea verò certum esse exitium, præcipuè, si fidem, quam legitimo Principi debent, Deo negant, cœlo, & terris invisi. Sic procuravit Maximilianus Provinciæ tranquillitatem, Provinciam Cæsari, suis securitatem publicam, quæ inter vicinos sine summo utriusque partis di-

spen-

spendio tolli non potest. Mansfeldius, cui ab Anaffinis nihil sperandum ampliùs, quibùsque ab illo nullum dehinc præsidium, præcipiti fuga abijt in Bohemiam, tristioris belli ferale theatrum. Hic finis seditionis apud Austrios, adeò, ut rebellionis in ea Provincia nihil, sectæ Lutheranæ vestigia hodie nulla, vel ea occultissima invenias, qui, haud procul miraculo est, de tam immorigera gente tam exiguo tempore triumphus. Nisi majora in gloriam Maximiliani monumenta, quæ sequuntur, superessent, antequam limitibus Austriæ decederem, illud statuæ, & trophæo Maximiliani subscriberem, non ignarus, citò gloriam obsolescere in sordidis hostibus: nec quidquam indignius esse, quàm consumi eam, ubi ostendi non possit.

Gentes

*Tu regere imperiò Maximiliane memento,
Hæ tibi erunt artes, paci que imponere morem,
Parcere subjectis, & debellare rebelles.*

Verùm, cùm ad bellum Bohemicum accingor, quod pro coronide belli Austriaci Virgilius cecinit, belli Bohemici augurium erit; quamvis memor moniti Sallustiani

olim de Carthagine tacere fatiùs putem, quàm tutum dicere. Opperienda sunt quædam, siue exprimi pro dignitate non possunt, siue ostendi non debeat. Inde narratio ab alijs toties repetita, quò hìc succinctior, ita gratior erit. Ipsa amplitudo, & magnitudo rerum Maximiliano pro omni encomio est, & in hujus belli serie, quacunque ingredi-mur, in aliquam historiam vestigium ponimus.

Imperator Mathias gravis senectâ, consentientibus fratribus Maximiliano, & Alberto Archi-Ducibus utroque improbi, patruelem Ferdinandum Archi-Ducem Regno Bohemico in successorem, dein etiam Imperio adoptaverat. Inde fomenta rebellionis in Bohemia, belli in Imperio. Primis initiis pacatæ in Bohemia videbantur res, nec in flammam erupit, qui sub cinere ægrè sopitus gliscebat ignis, dum vixit Mathias. Hoc mortuo pax recens cum Protestantibus inita, aliàs satis infirma, in Bohemia, & Hungaria penitus exspiravit, hinc novas res moliente Bethlem Gaborè; illinc Ordinibus Regni apertè, & impunè tumultuantibus. Præfixa primùm rebellionis causa fidei libertas, & exstructio libera Templorum sectæ Calvinianæ. His addita dein querela læsæ immunitatis, & privilegij ab Impera-

peratore Rudolpho olim in summa necessitate expressi potius, quàm liberè concessi, seditiosos adeò sociaverat, ut jam non precari, sed jubere vellent, & suis, & exterorum viribus, uti putabant, nulli hostium impares. Primorum, & populi conventum Pragæ habitum, quem tres è Ministris Cæsareis primarii, dum pacatiorem optabant, modestò pro Cæsare responsò, habuère exitialem, è fenestra arcis ejecti in subjectam vallem quinquaginta cubitorum præcipientes, vitâ tamen, quod miraculo propius, incolumi. Eò ventum erat post mortem Mathiæ, ut Fridericus Palatinus Maximilianum Monachii invisens, eidem pro Vicarii, quod gerebat, officio Imperatoriam dignitatem ultrò offerret, promissò suffragiò Electorum Moguntini, & Brandeburgi. Suspecta Maximiliano Principi prudentissimo tam subita Friderici amicitia. Postquam Maximilianus propositionem sibi factam amicè rejecit, & saniora suasit, exarsit Fridericus in odium eò acrius, quò diutiùs dissimulatum, sperans, fore tamen, ut Maximilianum, quod per se non potuit, per Legatos in suas partes transferret. Adeò diversa sunt temporum fata. Agnatus agnato hîc ultrò procurat Imperium, quod olim ex eadem gente frater invidebat

fratri, pari tamen exitu; cùm hic dare non pòtuit, ille non eripere. Alia agebat animò Fridericus, in Maximilianum beneficus, tum ex odio in Imperatorem, quem nec Imperatorem volebat, nec Regem Bohemiæ pati poterat, tum ex spe, Ferdinandum inter & Maximilianum facta divisione, neutrum fore Protestantium viribus æqualem, inferiorem utrumque; imò qui eorum etiam suppetias requireret ex periculo ab æmulo superiore. Interim convocati Bohemiæ Regni Ordines in Comitjjs generalibus Fridericum Palatinum Regem proclamant, mox coronant, filiò etiam recens natò in successorem electò, patre superstite. Hoc in rerum statu scissa in partes studia varios novæ causæ titulos affigebant. Placebat aljjs prætextus Religionis, aljjs jus electionis exclusa successione; aljjs edium in Hispanos, quibus jus successionis ex stipulato competeat Ferdinando improle; plerisque timor ex novo incremento Domûs Austriacæ per recens acceptum Regnum Hungaricum, ita, ut Ferdinandus & Imperium, & coronas Bohemiæ, ac Hungariæ uno penè vel fortis, vel Natalium beneficiò acceperit, ex in metuendus, & malevolis exosus magis.

Qui

Qui pro libera electione stabant, eam Imperatorum Ferdinandi, Maximiliani, Rudolphi, & Mathiæ exemplò abundè firmari putabant, utpote qui datis de more reversilibus acceptum habuère, se ab ordinibus electos esse; in debitam etiam per naturam successionem probari ex actis, quæ hac super re memorat Joannes Dubravius lib. 14.

Verùm, cùm hunc ipsam Authorem citarent etiam illi, quorum erat pro successione sententia, utrumque controversiæ caput à Ferdinando, ut olim nodus Gordius ab Alexandro, gladiò dissolutum est, editò Viennæ circa annum 1618. scriptò in hæc eadem verba : Quamvis jus suum hæreditarium anceps foret, & Bohemi hæctenus habuissent aliquod jus liberæ electionis; nunc tamen, postquam Regnum universum armis sibi cessit, seque tanquam legitimum hæredem ex debito, non ex arbitrio suscepit, frustra disputationem de jure electivo instaurari; cùm ipsum Regnum sui juris factum jam jus hæreditarium Domûs Austriacæ agnoverit. Bohemis certa, & decreta erat à Gente Austriaca defectio. De substituendo, à quo regerentur, sententia incerta. Daniæ Rex præ alijs placere visus, rejectus est ex nota publica, libertatibus, & privilegijs

studere parùm, multùm, ut omnia in sua transferret commoda. Duci Sabaudo oberat fama neglectæ dominationis, regni curâ ut plurimùm alijs, præcipuè Clericis commissâ. Ducis Saxonum suspecta Protestantibus fides commune demum Bohemorum suffragium in Fridericum Palatinum conjecit, memorandô Principibus exemplô, quantum obsit, prositque apud externos, qua virtute, quô vitiô notentur à subditis. Magna erat Friderico autoritas ex Rege Angliæ focero, magna laus ex comitate, & affabilitate, majus elogium, & ad electionem illicium, quòd non obærat magnâ auri, argentique copiâ Bohemos juvare posset. Atque hoc ultimum crediderim omne perfecisse negotium inter hæsitantes Ordines; cum sibi quisque prospectum vellet, speratô ex novo regimine novô emolumentô. Facile erat ambitionem Friderici pessimè consulti in casum agere; quippe qui averfa à mente sua foceri consilia metuens, ea præcipiti assensu prævenienda putabat, aut eludenda, serò nimis sapiens, seniorum consiliô stare Regna, formari Principes, arrogantiam propriam, vel defectu alienæ prudentiæ omnia ire in pejus. Infelix unius diei prælium documento fuit, Fridericum lubricum strinxisse

anguem, effugientibus ex ipsa manu feudis hæreditariis, qua Regnum preſabat alienum, nec Rex paulò post, nec Elector. Ordinem prælii videmus passim latiùs descriptum ab his, quibus curæ erat belli hujus series. Ad meum propositum pertinet unicè Maximilianum producere Victorem in pugna illa decretoria, è qua Imperii Insignia ex Avis debita restituit Genti suæ, amicâ inter suos, & externos disceptatione, an sagô prævaleret, an togâ.

Magna sunt, eaque multa, quæ tum suspiciebantur, & hodie dum stupet Orbis, summæ prudentiæ politicæ exempla. Hæc Maximiliano in bello comes individua per diversos viarum meatus utriusque fortunæ, per aspera, & plana Templum honoris aperuit, clausit invidiæ. Si imitari non licet, non pigeat mirari. Pro Deo firma in sanctam Sedem fides cælo gratum, eadem pro Cæsare, & Imperio, Orbi spectandum dedit, rebûs feliciter gestis, ubere proventu, gloriâ immortalis. Nempe si causa justitiæ agitur, eventus infelix erit rarò, si simul & fidei, nunquam. Ultronea coronæ Cæsareæ oblatio Maximiliano molestior, quàm aljis repulsa, eum sui ipsius Imperatorem fecit, ex hoc ipso dignum, qui imperaret. Fridericus pro Rege se gessit

Yyyyy

nec-

necdum Rex, ex ambitione indebita sibi procurans exitium; sanè in multis canis Æsopicus, dum alieno inhiat, frustratus suò, non fabula, sed historia est. Ex alieno naufragio tabulam legant, quorum interest & scire, & nôsse vitare. Duo præsertim vidit illa ætas, fortè ævo videnda nulli, Regem Gallix in his Imperii turbis tranquillum, Regem Angliæ pro exule Genero suo inermem. Rex Gallix rogatus à Cæsare per Legatum Comitem Furstenbergensem, suppeticas ut mitteret presso in Hungaria per Bethlem Gaborum, electum ab indigenis in Regem, presso item in Bohemia per Fridericum, Regni pariter usurpatorem, per Legatos pacem tentare maluit, quam viribûs, queis poterat, dare, cuicunque accessisset parti. Certè eo tempore Regem Gallix sub Ministro Luynæo altus sepor tenebat, quem dein discussit sub Ministro Richelio, non sine magno Romani Imperii decremento, submissis Regi Sueciæ Gustavo Adolpho stipendiis, ac milite. Adeò sæpè dispar apparet, quæ eadem est, Regum potentia, ex usu dispari, qui penès Ministrum est. Arguebatur Luynæus rerum Gallicarum arbiter parùm curâsse nominis Gallici dignitatem, fortunæ suæ totus, & unicè intentus ex quæsitis fra-

tri suo Marechallo Cadenetto nuptijs cum Virgine Pecquî-
 na. Prædivitem hæredem è Bruxellenfi Archi-Ducis Au-
 striæ Gynecæo sperare Cadenettus haud poterat , nisi per
 fratrem abdicatâ à Gallis Palatini causâ. Richelium una
 Regis, Regnîque cura in omnem casum vigilem tenebat ;
 æquè facilis ad fædera invitare , quàm invitatus accedere.
 A fæderato sive Victore, sive victo novum semper Regno
 procurabat emolumentum, quod plerumque ex vicinis
 Provincijs, vel urbibus limiti Gallico opportunis pacisceba-
 tur in antecessum. De socordia Regis Angliæ mirè que-
 runtur fautores Palatini, qui malebant in castris auxiliares
 copias, in ærario subsidium, quàm in aula Cæsarea oratores,
 ex quorum præsentia solatium afflicto nullum, ex defectu
 militum, & stipendiorum ruina omnis. Utroque potens
 erat focer : cur minùs faveret Genero, incertum. Sanè
 exulem in Hollandia passus cum uxore, & liberis, parùm
 suæ gloriæ consuluit, saluti filiaë, & nepotum pessimè. Fortè
 præmaturè transactum coronæ Bohemicæ negotium, acer-
 bioris offensæ causa fuit, non expectatò Jacobi responsò,
 ad quem, uti dictum, Legatos præmiserat, consulendo in
 re adeò ambigua viro sapienti. Timebat Fridericus, focer

rum electioni obstiturum, qualem expertus erat Maximilianum, qui Fridericum in præceptis ruentem per litteras, & Legatos periculi admonebat. Neglecto foceri consilio neglexit Fridericus Regis Christianissimi pari damno antiquam amicitiam. Huic olim veteri fœdere junctus, novum non ambiabat, acceptâ Bohemorum coronâ, inconsulto, cujus ope præcipuè niti debebat. Cautius, & prudentius rem egit Maximilianus. Diffusus fortunæ etiam arridenti, ne perfida fieret, fidei jussorem petijt. Timebat ille, ne tandem Palatina causa, interveniente Rege Galliarum apud Cæsarem, qui nutare videbatur, Electoralem dignitatem reciperet post obitum Maximiliani, exclusâ posteritate; néve fortè, mutato rerum statu, arma Gallica in Patriam irruerent. Inde cum Rege Christianissimo fœdus injit, in quo ex una parte diserte excepit Juramentum suum, Imperatori, & Imperio præstitum: ex altera providè stipulabatur: defenderet, & manuteneret dignitatem Electoralem in ipsius Persona, & Domo Bavarâ. Quo exemplo docuit, ex prærogativa Electoribus datâ fœdera iniri posse cum exteris, sine præjudicio Imperii, sine læsa, quæ debetur Imperatori, fide. Aliud tractandis armis spe-

ci-


cimen singularis prudentiæ fuit summa affectuum moderatio, etiam inter injurias. Dux Fridlandus, qui idem Walstinus, Regi Suecorum Gustavo cum exercitu fame, & miseris enervato liberum è castris abitum permiserat, spectante Maximiliano, ringente exercitu prædæ avido, certo victoria. Maximilianus nihil intermissâ rerum curâ, negotia pro solatjis accipiens, cedendum ratus, iras tegebat, dum ultionem non pateretur tempus, sic passus offensam, ut non videretur sensisse, ne Fridlandus captâ, quam meditabatur, occasione, belli societatem abrumperet, jam diu ambiguus, an hostium, an suam causam ageret prius, ex affectata corona Bohemiæ vir impotens sui, & qui ex officio debuit esse defensor, prædator. Viginti Legionariorum, tria alariorum millia sub signis habebat, plerosque stipendiarios ex ære suo, nescio, an mirandâ, an timendâ magis in homine privato potentiâ, cui accedit superior etiam his viribus ambitio. Certè Maximilianus è castris Oettingam veterem redux, felicem gratulantibus eventum, respondit, se quidem incolumem, sed à Fridlando bene mortificatum redire. Prævaluit bonum publicum privatae gloriæ, ultionis dilationem jubente extrema necessitate. Publicum

ZZZZZ

est

est, quidquid in reges peccatur, quodque privato sapè pro virtute est, pati injuriam, deflectit in vitium Regibus, ita natis, ut utraque ipsorum fortuna ad Rempublicam spectet. Ferdinandus, ultima meditari Fridlandum, certus, tentavit ultima. Necatur perduellis in arce amicâ, ferrô transfusus suos inter satellites à paucis, omnibus inultus. Nempe hæc vis data Regibus à Deo in subditos rebelles. Hæc antiqua Principum regula, probè dissimulare, qua ratione probè regnant. Regnandi modus omnium optimus, qui altiùs arcana imperji celat. Adductis hinc in Synopsi Maximiliani togatæ, ac sagatæ prudentiæ exemplis, illud pro coronide appono, eum esse belli Ducem optimum, & felicissimum, cui prudentia lauream, Magnanimitas loricam induit.





DISCURSUS XI.

PARS PRIMA.

POLITICO - HISTORICA.

Ingens omnibus, quæ dicit Princeps, cum
Majestas insit, cum fides.

Liv. l. 26.



Ide stat omne verbum; quod in cive
laudatur, in Rege, ac Principe glorio-
sum est; ipsa virtus à nobilitate ope-
rantis nobilitatur. Nullus est, cui da-
tæ fidei integritas non cordi sit.

Virginem commendat pudicitia, virum in promif-
sis veritas. Rusticum pudet, explodi à vicinis, si quid pacisci
velit, quem sciant pactis stare nec posse, nec velle. Civis ille
miserrimus est, qui datæ fidei incurius, se ipsum diffamat,

Zzzzz 2

ut

ut nullum in egestate ab amicis subsidium, nullam perditæ reputationis spem, in commercio fiduciam possit sibi polliceri nullam. Major, si quæ est in nobilitate labes, est publica diffidentia, & nulla in promissis fides. *Nempe hominem magnificum decet in fronte animum, in ore gestare veritatem.* In his omnibus religio datæ fidei honestas, in Rege, ac Principe dignitas est. Unionum candor spectatur in corona regia, in Rege ipso candor animi. *Celsiores fortunas idem loqui decet, ac sentire* (1) Unde monuit Isocrates Principem; *verbis tuis major sit fides, quàm aliorum juratis.* Enimvero ex hoc maximè principio dependet salus publica, & tranquillitas, rerumque omnium ordo, authoritas, & potentia Principum. Nihil est, quod promissis non agitur. In duobus Polis circumagitur Mundi hujus machina, vel subsistit. Orbem politicum in suo æquilibrio conservant hi duo cardines, promissa, & promissorum fides. Nulla est religio, quantumvis in fide erronea, quæ non principia sua ponat in promissa post mortem felicitate aliqua. Ipsa nostra or-
tho.

(1) *Amian. l. 17.*

thodoxa fides promissâ Divini aspectûs beatitudine, quæ omne, quod desiderari potest, complectitur, fideles à vitijis retinet; animat ad virtutem: de hac qui dubitat, hominum pessimus timebit nihil ex crimine; cum nihil speret ex probitate. Felices agimur principjjs spiritualibus donò fidei, secundùm illud Pauli: (1) *in repromissione Dei non hæsitavit diffidentiâ, sed & confortatus est fide, dans gloriam Deo.* Gentiles, & Turcæ carnalibus inescati delicijs, futuris voluptatibus ducuntur, quibus se, dum vivunt, felices, post mortem feliciores autumant; &, quamvis vana sint, quæ miseris promittuntur, tamen in lege sua religiosiores efficiunt, quia fidem adstruunt. Unum sine altero emortuum est. Eadem promissorum fides in qualibet familia domesticorum, natûrumque conservat tranquillam subordinationem, in commercio sedulitatem, in amicis constantiam. Hanc tolle, nulla Patri erit à filio reverentia, domino nulla à servo obedientia, mercatori nulla cura lucri, amicis certa defectio. Omnes promissis melioris fortunæ suave putant ferre onus, quod illico excutient gravè nimis, & intolerabile, ubi

A a a a a

com-

(1) *Ad Rom. 4.*

complendæ spei dubium subreperit. Quis artificum pactum absolvet opus, qui sciat, nullum fore laboris pretium? nullo remige fatigabitur mare, nec expansis aura velis, si inter pericula Nauclerus felix, post exantlatos labores red-
 dux, in littore promissi curarum præmij, & pactæ mercedis naufragium patitur. Promissi honorum gradus militiæ Præfectos, stipendia militem gregarium morti, quam omnes horrent, lætos objiciunt. Desit fides, deerunt & hi, & illi obsequio. Sola promissorum fides tot millia hominum uno movet impetu. Dissolutum erit robur, collabente fiducia. Ex hoc fundamento assurgunt Regum, & Principum fœdera, pacisque negotia. Una fides contractus roborat, contrahentium veritatem, contractorum promissa. Ædificij concamerati fornicem unus claudit lapis, compagem omnium sustinet unus; si hunc subtrahis, laxantur singuli, & ex structura nobilissima fit maceries difformis. Fide promissis deficiente nescio an Princeps, diffidat plus subditis, an Principi subditi; docti falli posse, fallere ut possint, ipsi conabuntur fraude mutua, mutuô damnô. Vicissim cui fidimus, omnia concedimus; de alienis ille disponit æquè liberè, ac de suis. Fidem sequitur gloria,
 &

& abundantia, humani commercij Charites inseparabiles; versipellem perfidiam ignominia, & dira egestas, eò etiam supplicio, ut, cùm in fidem peccaveris, peccandi occasionem habeas nunquam. *Qui fefellit, vitabitur, ne fallat denuo.*

Quamdiu cives in fide Principis confidunt, ærarium nunquam erit vacuum. Nulla est Respublica, quæ non ex suis civibus promptum habeat subsidium, stante fide publica: *nunquam enim omnes simul depauperantur.* Collapsâ fide publicâ Princeps etiam opulentissimus erit demum egenus; nec enim diu præstabit solus omnia, quæ omnium subsidiò præstanda sunt. Sumptus subitos, etsi graves, prævia Principum parsimonia subministrat, graviores, & plurium annorum sola subditorum fiducia, quo cæmento divitiæ privatorum cohærent cum ærario Principis, in suas, & publicas necessitates, ita, ut hac mutua unione Princeps nunquam sit pauper, opulentus semper. Habes hîc ex fidei datæ integritate emolumentum maximum; ex læsione illius detrimentum penè irreparabile: ut enim in corpore humano morbus citò venit, recedit tardè, ita in Republica, ubi diffidentia Principem inter, & subditos jam

publica, nullisque stari promissis, communis querela est, uno quasi turbine divitiarum privatorum, quæ alias Principi in omni casu ad manum forent, auferuntur, & quasi instante hoste, in imis terræ visceribus defodiuntur: multorum annorum cura erit, ut denuò repullulent. Certè tantæ cladis non est, perdita qualiscunque victoria, quàm perdita in rebus publicis fiducia; illius damnum reparare fatagunt omnes, hujus augent singuli, dum ex retentis in bonum publicum subsidjis & Princeps patitur, & subditus, hic pauperem se mentiens, etiam cum non sit, ille dolens, quòd sit.

Vidimus florentissima Regna ultimæ ruinæ proxima, clausis privatorum arcibus, quarum clavem, dum ipse Rex in manu haberet, solutio, quod fide publica acceperat, mutuò, statutis etiam temporibus, abjecit imprudenter solutionis dilatione, & sibi perniciofa, & suis.

Fuère, qui ærariò etiam vacuò, pro quavis necessitate promptam habuère opulentiam; gaudebant omnes, Principi suo adesse collatis subsidiis; nempe promissis non defuturum sciebant. Tardus interim in promittendo sit, sed alacris in servando. *Omnis sponsio Principis pro ju-*

rata

rata esse debet, & sacrosancta promissio omnis.

Privatus quandoque promittit plus, quàm præstare possit, vel ex spe nimis dubia, vel ex interveniente casu fortuito: hic excusatur plerumque condolendo, ille monendo, cautius ut agat imposterum. *Multa quidem fortunæ sunt committenda, data fides nunquam.* His

accedunt alji, quorum promissa terror, justusque timor expressit. Alji, qui incautiùs promittunt personis altioris dignitatis ex noxia reverentia personarum, vel ex spe redituri per aliam viam emolumentum. Promissum ab illis neglectum, non est injuria; omissa, vel etiam dilata ab his, ut armque partem diffamat, unâ odio, alterâ lamentis causam suam agente. Regum conditio nullam admittit excusationem. Eorum promissa fiunt liberè, & vel æqualibus, vel inferioribus; ex libertate augetur obligatio, ex æqualitate personarum ratio dignitatis, ex sorte inferioris, seu subditi gravitas omissionis. In quocunque defuerit promissorum fides Principis, in singulis reus erit vel perfidiæ, vel levitatis Principe indignissimæ. Quibus liberè fiunt promissa, dein neglecta, si injuriam ulciscuntur contemptu, æquales vindicabunt armis, inferiores astu quocunque re-

parabunt, aut ad incitas redacti peribunt non sine æterna Principis ignominia; nam *levis, non liberalis est, polliceri, quod præstare nec possis, nec velis; imò levißimi animi mos est, polliceri facile, quod non disponit implere.*

Promissorum fides ipsis legibus videtur esse superior. Leges statuuntur ex alieno arbitrio, promissa ex proprio, & voluntario. Per promissa quisque vult ipse, quod alii per leges. Et ipse Rex, qui aliàs videtur esse supra leges, suus fit subditus: nempe illi liberum ampliùs non est, negare concessa.

Leges, etiam fundamentales Regnorum, mutari possunt, & solent pro vicissitudine temporum, pro necessitate boni publici: promissa Regum nunquam sine summo præjudicio authoritatis Regiæ. In hos cadit illud Salomonis (1) *nubes, & ventus, & pluviae non sequentes, vir gloriosus, & promissa non complens*: adde: fidem frangenti fides frangatur eidem. Subditorum animus non semper jis clarescit virtutibus, ut Principibus

(1) *Prov. 25.*

pibus fidelitatem suam servent, solius honestatis incitamento, sine omni suo commodo; qualem sperabis ab his, qui cum damno suo videbunt, ipsi Principi datæ fidei curam vel nullam esse, vel levem? Omnes in Principe affectus, passiones omnes, & considerationes huic cedant, oportet; data fides etiam inimicis servanda est: hanc nunquam læferis, quin tyrannus, quin perfidus audias. Quid turpius, quid indignius Principe? nec enim data fides compleri debet ex consideratione personarum, quibus est data, sed illius, à quo. Uti proin imprudentis, ac levissimæ mentis signum est, concessis non insistere, ita prudentis, ac constantis, concessis inhære. Hæc virtus uni homini propria est: multa alia laudantur in brutis. Fidelitas amatur in cane. De hoc Columella: quis hominum clariùs, aut tanta vociferatione bestiam, vel furem prædicat, quàm ille latratu? quis famulus amantior domini? quis fidelior comes? quis custos incorruptior? quis excubitor inveniri vigilantior? quis denique ultor, aut vindex constantior?

Celebris est in turturibus amor conjugalis, ita, ut, si mori alterutrum contingat, alter à secundis nuptiis semper abstineat. Turtur olim Bojis felix omen fuit; Instaurabant

Hunnoburgium. Ægrè id ferentes Hungari, tanta vi sagittarum castra oppugnabant, ut plus quam ducentæ in uno tentorio hæserint; neque tamen per septem integros dies Bojorum aliquis violatus est. Oppido instaurato, tectis è stramine confectis ignem hostes injiciunt; sed ventus coortus flammam extinxit, & in hostes ipsos convertit. Turtur interea Bojos circumvolitans, feliciter eos auguriò ad eruptionem accendit. Hungari de improvísò profligati, contra Bojos divinò subnixos auxiliò, pugnare destiterunt. Hæc ex occasione, non ex proposito dicta, ad quod redeo.

Leo animal omnium in terris animantium, uno excepto homine, generosissimum est, tum præcipuè, ubi colla, armosque jubæ vestiunt. Leo unus ex feris clementiã utitur in supplices, parcitque prostratis. Elephantò nulla belluarum prudentior, ita, ut eidem cum genere humano societatem attribuat Cicero, proximúmque humanis sensibus faciat Plinius. Oppianus Elephantos inter sese sermocinari dicit. Excellunt specialiter memoriã, gloriæ cupiditate, imò & probitate, quorum exempla passim in Authoribus extant. Rectè pietatem, quæque mutuò mortales mortalibus officia debent, per formicam expresseris: si

com:

commeare eas in formicarium spectes, formicæ alterius cadaver inferentes, prodire ex cavo aliquas, factasque obviam, retrocedere quasi consternatas; alias demum vermiculos ab inferiori loco, utpote redemptionis præmia, quibus cadaver redimant, convectare; alias verò tentare, si quæ dissectæ fuerint, ut partes committant, & cohærere faciant. Eadem formica olim prudentiæ Hieroglyphicum erat, quæ memor hyemis cibaria comparat, & recondit, & cellas promptuarias facit, semina interim, ne nascantur, morsu fecat, abrosaque condit, ne rursus in fruges exeant è terra, ac sic inutilia ad usum alimenti fiant. Ne plures enumerando, latius à proposito meo excurram, laboriosa Apis, Ciconia pia, quæ hominem erga parentes pium significat; Serpens laudatur prudens. Charitas erga prolem omnibus animalibus ita communis, & adeò sollicita, ac constans est, ut erubescant Matres, quæ his temporibus vix partu solutæ, natam sobolem alienis in cunis vagire malunt, quàm maternis fovere in brachijs, quid dicam, materno solari ubere? Satis, imò penè rarum vidisse semel, quem genuit; reliqua cura foeminæ aut coloni, aut militis uxori committitur, non, quòd nesciant maternâ minorem ex legè naturæ, sed ne tæ-

Ccccc


dium,

dium, vel impedimentum accipiant, quò minùs mollioribus, affuetisque commercijs vacare possint.

Habemus proin in animalibus tales effectus, qui, si in homine semper eo in gradu extarent, eum à magnis virtutibus commendarent; sed, quæ nulli animalium propria, solius hominis prærogativa est, datæ fidei religio; quam longè per eam quis recedit ab ingenio ferarum, & quantum ex ea antecellit inter homines, tantùm illi gloriosius est, Dei constantiam præferre; habet enim hæc virtus aliquid divino simile. *Fidelis Deus in omnibus verbis suis: (1) & alibi: non est Deus, quasi homo, ut mentiatur. Et: quæ procedunt de labijs meis, non faciam irrita.* Vides mendacem, & qui fidem fallit, infra hominem, supra hominem esse, qui eam religiose colit. Certè per hanc Reges, ac Principes inter homines Dij sunt. Habent illi libertatem promittendi, potentiam adimplendi, eamque ex Natalibus, & ex propria virtute indolem generosam, ut sua verbis fides desit nunquam. Tu verò, Princeps quisquis hæc legis, sapiùs considera, & meditare monitum illud (2) *Priusquam promittas,*
de-

(1) *Psalms. 144.* (2) *Stob. lib. de mor.*

delibera, & cum promiseris, facies; si negaveris fecisse postea, fallere est. Id ergo agas, ut ne quis tuô te meritô oderit, sed ut de te dici possit, quod Phalaris ad Ponlychimonem scripsit: apud omnes testimoniô confirmare poteris, ea fide Phalarim esse, ut neminem unquam decipiat. Et non illud, quod ad Pollucum questus, nos etiam satis frequenter experimur, præcipuè ubi fortuna jam priùs peccavit, fidem non modò in alijs, sed ne in amicis quidem firmam inveniri. (1) *Ex factis, non ex dictis amici pensandi, Reges, & Principes ex dicto, & facto.*



Ccccc 2

DIS-

(1) *Livius.*

DISCURSUS XI.
 PARS SECUNDA
 HISTORICO-POLITICA.
 MAXIMILIANUS
 EMMANUEL.



Raves Viri super petram robustam datæ fidei solida stabilitate fundati, non dico, non aurâ levi, sed nec ventô, nec turbine commoventur, ne animus dubius, & incertus varijs casibus, velut quibusdam ventorum incurfantium flatibus agitatus, à proposito suo quadam levitatis reprehensione mutetur. Columna, quæ recta stat, imposito magis pondere firmatur,

altæ

altas, rectasque mentes oportet non cedere oneri, sed obniti. Talem honoris columnam Maximiliano Emmanuelli in medio Europæ erexit datæ fidei integritas, amicis aggratulantibus, hostibus stupentibus æternum Virtutis Bojæ monumentum, quod Regibus, & Principibus in exemplum, ipsi summam in gloriam, Augustæ posteritati stat hodie, stabitque in æternam memoriam. Unde tamen ea firmitas provenerit, ut toties & tam violenter concussa, nunquam casum sit minata, basin, lapidemque, cui superimposita, omnibus miraculo fuit, inspiciamus.

Cubicus lapis, qualis iste fundamentalis, sex æqualia habet latera; in quo horum ceciderit, firmiter jacebit. Sic providendum est viro, ut in data persistat fide. Hujus autem latera sex hæc sunt: prosperitas, adversitas, sui libertas, subjectio, in secreto esse, in publico: in quibus singulis, si à varijs casibus impulsatur, stet, nec à proposito suo dimoveatur. Ampla hæc virtutum, laudumque seges messorem meliorem, ac digniorem ubique inveniet, fideliorem vix ullibi. Falcem dum acuo, id omnibus persuasum velim, nihil à me datum adulationi, omnia veritati; quamvis excusatione non egeant, quæ ipsis factis constant.

Ultimæ pacis Trajecti in Hollandia factæ conditiones cùm in Orbemrevulgatæ, ad Regem Sueciæ Carolum duodecimum pervenêre, quibus Maximiliano restitutio in integrum tam ad honores, quàm ad Provincias cum indemnifatione aliqua damnorum pacta, & à Rege Christianissimo jis legibus erat firmata, ut usque ad illius plenam executionem reliqua ex parte Gallorum manerent dilata, ille Maximiliano litteras Regiæ comitatis, & amicitiaè plenas transmisit. Gratulabatur Rex Maximiliano felicem belli exitum, gloriosum in Provincias suas reditum, sed præ omnibus Regi Christianissimo talem amicum, cujus fidei integritas cuique fœderato nunquam non sit gloriosa, omnes, & singulos, qui de confœderandis sibi circumspiciunt, faciat felices; hanc restitutionem omni titulo debitam, esse quidem aliquod tantæ virtutis præmium, minimè tamen condignum; cùm eam fortuna non satis æstimare possit, mundus non satis mirari. Hæc Rex Sueciæ post initam pacem, quod à nullo Regum, aut Principum Maximiliano factum scio post tot, tamque insignes victorias, quibus iste Heros Bojcus in omnibus penè Europæ partibus inclaruit. Bellica illius facta delibabimus paucis, & modestis

fiffimè, prout ipse fecit in suis narrationibus, propriae laudis osoracerrimus. Regi Poloniae in auxilium Imperatoris socius Viennae liberatae, cum gloriae tantum avidus, belli praecipuum decus retineret, caetera socijs libenter concessit. Hanc palmam auxit Victoria ad Paracanam parta, Turcis nova clade profligatis. Obsessum dein Granum inferioris Hungariae Metropolis, Duce Maximiliano dejectis partim, partim transcensis muris assultu captum, Turcis ereptum est. Atque haec primi anni in tyrocinio belli, jam magni Imperatoris specimina fuere. Continuatae in sequentibus annis victoriae, & expugnationes urbium, tantam Maximiliano ubique terrarum gloriam pepererunt, ut penè annos non, nisi per partos Triumphos numeraret. Turci ad Granum clade internecina fusi, Maximiliani in sinistro cornu imperantis fortissimam dexteram praes alijs experti, dein semper praes alijs timuere. Nevoselium, sive Olivaria, vulgo Neuheusel, assultu captum, clausit illius anni expeditiones Maximiliani, subsequens coronidem dedit expugnatione Budae, eò gloriosior, quò illius defensio acrior, & in Turcis adeò obstinata fuit, ut factò cominùs per reiteratos assultus praeliò, omne praesidium, cives, ac familiae hostium

cujuscunque ætatis, & sexûs perierint. Necdum Ottomanicus furor adeò fractus videbatur, quin vindictam tot cladium spirarent. Positis ad Mohazium castris, cum Germanis numerò, non virtute, inferioribus, fortunam denuo experiri ausi sunt. Satis erat adesse Maximilianum, ut reiterata clade affecti, castra, tormenta bellica, omnémque apparatus victori cederent. Ultimum dein victoriarum Trophæum in Hungaria Maximiliano gloriosam complevit lauream, expugnatio Belgradi. Turcis spectantibus, Savus ponte navali junctus, Bojcas transmisit copias, fortitudinem Maximiliani, nescio, Turcis magis, an amicis mirantibus, quam hi dein laudabant; illi sibi funestam dolebant, captâ à Maximiliano civitate munitissima, eo Ducis vigore, & ardore expugnata per assultum, quo urbes prædictæ periêre, nempe communi omnium clade, & interitu; illo tamen discrimine, ut Maximilianus, dum in assultum ipse inter primos militem duceret, & animaret, sagittâ læsus, victoriam suo sanguine obsignârit, nempe ut plus virtuti suæ, quàm fortunæ deberet.

Armorum arbiter fuit, & pacis. Legatis Turcicis in castris Maximiliani pacem rogantibus, & Imperatoris,
&

& suo nomine, placidè eam concessit. Mirabantur, ut ipsi facti sunt, Viri ætate graves, se juveni Principi ad pedes adesse, & in hac ætate se virum videre, viris justæ ætatis superiorem valore, & ardore Martio, senibûs consiliò tum pace, tum bello. Ex Hungaria in Imperium redux, renovato cum Imperatore fœdere, invitatus, imò rogatus, Gallis passim instantibus eripuit Moguntiam, ad eò pressa oppugnatione, ut præsidium urbis præscriptas à Maximiliano condiciones deditiois, in donum perditæ jam libertatis, & vitæ acceperit.

Itum dein in Italiam, Duci Sabaudò in auxilium. Ut omnes scirent, adesse Maximilianum, Galli continua tormentorum dispendione, cui similem Maximilianus se nulli expertum testabatur sæpiùs, socios monuere potiùs, propinquam esse Carmaniolæ expugnationem, quàm quòd sperarent, eam contra Maximilianum defendi posse. Quocunque pergebat, fortuna erat pedissequa, tot virtutibus à gloria Maximiliano obses data. Rugiebat Leo Belgicus ad cantum Galli timidus, & Bojci Leonis in clamabat auxilium. Illuc delatus, post varias rerum vicissitudines, in quibus omnibus dignum se Regis Hispaniarum Vicarium

gessit in avitis olim Belgii Provincijs, Namurcum civitatem prius, dein arcem, quindecim Gallorum millibus defensam, illata vi, & continuo in multas horas assultu, non sine maximo sui periculo, ac magna lectissimorum Præfectorum, & militum suorum jactura, deditione coactâ, expugnavit, Regi Britanniaë decreti assultûs nuntiô missô, non socio, quod paucis notum. Hæc omnia Maximilianus ex data Imperatori fide, quam religiosè coluit, quousque illius fœderi accedere & sibi gloriosum, & Imperio proficuum putabat. Mutatâ dein causâ, de qua hic agere meum non est, cum eandem fidem Regi Christianissimo addixit, in eadem pari stetit integritate; hæc enim Electorum, ac Principum Imperii, libertatisque Germaniæ privilegia sunt, accedere fœderibus Regum exterorum, prout (salvâ tamen Imperii legibûs) convenientius putaverint: in unius semper verba jurare, subditorum est. Exemplo fuere tractatus, & fœdera cum Rege Galliaë Maximiliani Avi, Ferdinandi Mariaë Patris, quod tristius, ac infelicius Maximiliano fuit ex negata neutralitate, quæ tamen illis in nullam vertebatur culpam. Necdum fortuna è castris suis defecerat. Subitum erat, quod meditabatur, transfugium, ne

deliberando diutiùs erubesceret, longæ assuetudinis conscia, néve poeniteret acerbiùs suæ levitatis. Post expugnatam Ulmam, Memmingam, Campidunum, Neoburgum, Ratisbonam, Passavium, Kueffstainium, Ratenbergam, Erenbergam, occupatámque Tyrolin, post victorias cæsis Schlickio, & Styrumio reportatas, desultoria uno die plus nocuit, quàm profuit tot annis focia, fortè in rabiem acta, quòd minùs coleretur ex assuetudine, vel, quod in foeminis non rarum, ut alijs etiam nosci vellet tot artibus, tot promissis procantibus. Magna hæc sunt Maximiliani Trophæa; ex jis tamen Maximilianus Regi Sueciæ non ita magnus visus est, quàm ex gloria fidei integerrimæ. Vincere & ipse doctus probè sciebat, Imperatoribus exercituum ex victorjjs primam quidem deberi laudem, non ita tamen omnem, quin illius partem aliquam vigilantia Præfectorum, audacia, & ardor militum sibi ex æquo vendicet.

In servanda fide unus agit, egitque Maximilianus tantâ constantiâ, qualem ipse in alijs sibi priùs foederatis minimè invenit. Vidit nostra ætas Principes, Maximiliano penè coætaneos, Heroës fortissimos, Ducem Lotharingiæ, Principem Badensem, & Sabaudia Prîncipem Eugenium,

nium, quem ex omnibus unum superstitem Christianus hodie veneratur orbis, expavescit Ottomanicus: non vidit Maximiliano similem in utraque fortuna, datæ fidei plus tenacem, quàm eorum omnium, quidquid illi charum esse, vel triste accidere poterat. Quid mirum, si columna gloriæ in hoc lapide erecta æquè Zephyros sprevit fortunæ arridentis, quàm furentis Boream?

Vidimus fortunæ blanditias, illius jam iras, odiùmque considerare juvabit, quo pejus nihil est in foemina, quæ, postquam amare desit, eò furit violentiùs, quò amavit vehementiùs.

Et vices suas patitur bellum; nec in armis fortuna, tota licèt sit lorciata, firmior stat, quàm inter Aulæ favores, utrimque volubilis, ubique proditoria, sola virtute corrigitur. *Nemini contigit felicem esse, & semper.*

Instabilitas fortunæ stabilis est, nullum excipit ab ingenio suo. Verùm, *qui prudenter fert, quod ferre necessum est, jam fregit vim mali, & præcipuam evertit ærumnæ machinam.* Sic forti viro ubique Patria; nec magnos animos mutat etiam invita

mutatio soli Patrii, & translata ad externos avari Regni possessio; quamvis hic maxime Catonem agas. Post cladem Höchstettensem Leonem Boicum, vel suum, vel alienum fatum à Patria exulem, suscipit Leo Belgicus, adeo priorum Maximiliani affuetus suavi regimini, ut illum Belgæ jam avidè expectarent, tantum felices se rati ex illius reditu, quantum fideles Boji lugebant ex abitu. Maximilianus post dictam cladem duplici damno fortunæ injuriam tulit, solitos infelicis prælii eventus. Deditioe tredecim millium Gallorum facta, eo in prælio, eo in tempore, quo ipse vincebat, quod ævum sequens vix credat, à milite necdum victo, probè armato, nullis vel annonæ ærumnis, vel locorum angustiis fracto, vidit Maximilianus castra sua à copiis auxiliaribus vacua, suas vicissim tanto hosti, & quod maximum, Victori, impares. Accessit & majus malum, interclusus in Provincias suas reditus, ubi jam nulla effugii spes, sed dura accurrebat necessitas, à Victoribus legem, si non deteriora quæque accipiendi.

Ultimum in tanta calamitate consilium suadebat, remotiores Gallorum ad Rhenum suppetias quærere, & ibidem redintegrato exercitu vel fata meliora expectare, vel

tentare. Quod si æquè periculofum, aut infaustum acci-
 deret, penitus in Belgium recedere, ubi vi pacti fœderis cum
 Regibus Galliaë & Hispaniaë imperaret ea potestate, qua
 suas in Bojaria moderabatur Provincias, licèt non eò sola-
 tiò. Nempe æquè generofum est, sæpè utilius, ordinatè
 recedere, quàm præfervidè præliari. Atque hoc confilio
 Maximilianus copias suas primò in fylvam Herciniam, ubi
 reliquias difperfi gallici exercitûs colligeret, dein perfpectâ
 illorum in abitum obftinatâ fententiâ, ad Rhenum Argen-
 toratum usque perduxit, probè gnarus, prava æmulatione,
 aut nimiâ fui confidentiâ hosti potentiori collidi, vanæ, &
 imprudentis esse temeritatis. Contrâ, desperatis quoque
 rebus sæpenumero tempus remedium afferre; & multa
 bella primò impetu valida, per tædia, & moras, plerum-
 que etiam per fociorum difcordias evanescere. Hæc erat
 Maximiliani post acceptam cladem conditio, melior inte-
 rea Victorum, nempe infistere famæ, ac victoriæ, urgere
 cæpta, uti recenti timore, & impellere acriùs in cafum pro-
 pendentem hostem. Expugnatô ad Rhenum Landaviô
 sub auspiciis Romanorum Regis Josephi primi, potior, imò
 penè omnis belli scena in Belgio aperta est; egit & ibi for-
 tuna

tuna personam suam, ex prima, qua Maximilianum affecit, injuria audacior, & fortè veniam desperans. Maximilianum ultra annum Bruxellis haud passâ, perduto nova ad Tirlemonium clade, vel potiùs disperso Gallorum exercitu, Maximilianus sedem suam è Brabantia in Hanoniam transtulit. Statione Montibus per triennium factâ, non tamen tranquillâ, ob proditionem viri septuagenarii, cui cura, clavésque promptuarii, dies conspirationis jam proxima erat. Distulit ea tantisper Maximiliani abitum, quem acceleravit nova clades ad pagum Malplaquet dictum accepta, in quo præliò litem de victoria, cum strages hostium major esset, quàm Gallorum, diremit subsecuta Montium expugnatio, ita, ut Maximilianus priùs è Bojcis, avitisque Provinciis, tunc etiam ex illis, quibus vicaria potestate præerat, profugus in Galliam secesserit. Compendii per aliquot annos moratus, si fortis, & malevolæ fortunæ inconstantiam spectas, penè exul, si Regis Christianissimi comitatem, & Gallorum erga tantum Principem venerationem, hospes etiam in infortunio acceptissimus. Tot annorum intervallò non defuère, qui infelicem etiam Principem, non ex casibus, sed ex sua eum virtute metientes, ad nova fœdera invitarent.

Sed mansit in fide data Maximilianus , privataeque causae injuriam pati maluit, quam à causa communi, ipsò exiliò, turpiori perfugiò, decedere. Inscribenda proin & huic lapidis Bojci lateri, licet ex accumulatis calamitatibus rudiori , laus illa gloriosa incōcussae fidei.

Græcis proverbium est: *Incus maxima non metuit strepitum.* Excelsus animus non commovetur minis, aut fortunæ sævientis procellis. Mutatio voluntatis judicat, animum natate alicubi, atque alicubi apparere, prout tulit ventus. Non vagatur, quod fixum, & fundatum. Fortuna ex constantia Maximiliani acrius irritata, rabiem suam in conjuge, & liberis experiri voluit, probè gnara, horum calamitatibus facilius molliri Heroum animos, proprijs impervios.

Vidimus hucusque cladis Höchstettensis concatenata in Belgio Maximiliani infortunia. Majora erant, quæ luxit Maximilianus in charissima Familia, quæ Patria in subditis. Ingens ex illo casu toti Bojariæ damnum, ingentes per liberam in omnes Provincias excursionem factæ populationes, hominum, ac pecorum abactæ prædæ, & à Monaste-

rjis,

rjis, Templisque intentatò, in multis etiam submissò ignis
 excidiò factæ exactiones. Ulteriùs dein in intimam Provin-
 ciam, ac ipsum meditullium arma prolata, cùm omni ex
 parte instaret hostis tum victoriâ insolens, tum odiò in re-
 ligionem, oppida, & urbes, ne vastarentur, passim deditio-
 nem fecère, immensò etiam pretiò emptam. Eò jam ven-
 tum erat, ut aut ferenda sponte, aut armis vindicanda ho-
 stium potentia foret. Electrici quamquam in promptu
 miles prædiarius, potior erat subditorum salus, ita, ut eam
 maximâ etiam Provinciarum jacturâ redimendam satius
 putaret, quàm desperatis penè rebûs obniti fatis. Electrici
 in primis consiljis suadebat vel dolor, vel amor, sequi Se-
 renissimum Maritum. Milite ad fortuitas incursiones præ-
 valido comitata, ubi ad fines Provinciæ venit, à Maximi-
 liano secretis monita litteris, sibi, suisque consultius fore, ut
 ipsa Monachii permanens, reverentiâ in sceminam Princi-
 pem debitâ, urbis, Gazæque direptionem prohiberet, quæ
 ea absente & major foret, & certior. Transigendam cum
 Cæsareis pacem qualemcunque, donec mitior fortuna vel
 afflictos animos erigeret, vel hostes redderet pacatiores.
 utrumque quò citiùs procuraret, suæ curæ esse, & officij

ex amore in charissimam conjugem, ex affectu in patriam. Magni Regis Galliae fractas una clade, non tamen exhaustas, easque vires esse, quin, sive bello, sive pace agendum, & suae gloriae consulere possit, & amicorum ex foedere commodis. Sic regressa Monachium, omnibus curis pacis negotium assumpsit. *Sunt ferè semper acerba malorum remedia, quæ salutaria.* Ægrè in preces descendebat Princeps, imperare solita, Magni Maximiliani hucusque semper Victoris Coniunx, Magni Regis Poloniae Joannis filia. Verùm omnibus litteris edocta, nihil esse, quod à Cæsare dari possit Electori bellum gerenti, esse forte, quod concedi possit Electrici roganti, missis in castra Legatis, pacem obtinuit, solenni instrumento transactam, quomodo servatam dein, dicendum alijs relinquo. Ad meum propositum satis est, memorare, Electricem confisam his conditionibus, licet satis duris, abisse in Italiam, ut Matrem, Reginam Poloniae, inviseret. Negato postea ad suos reditu, nova calamitate obruebatur, ubi nuncium accepit, filios Principes tres natu maximos in Carinthiam abductos, juniores duos cum filia Monachii relictos, omnes

nes vivo Patre, viva Matre (nota in augusto hoc Sanguine Fortunæ rabiem) orphanos non tantum , sed etiam captivos esse. Dispersæ Familiæ dolor, ut reliqua præteream, Maximilianum movere debuerat, tandem à proposito si non decedere, saltem vacillare, ac sibi, suisque consulere. Verùm columna illa, nutare nescia, perditam suorum libertatem, subjectionemque, acerrimam Principibus calamitatem, invictò tulit animò, atque in his duobus lateribus lapidi suo insculpsit datæ Fidei integritatem, eodem in hac virtute posteris exemplo, quo olim claruit Fridericus Imperator, cui sacrosanctum erat, quidquid semel promiserat, quidquid edixerat, usitato semper Regibus, ac Principibus dignissimo adagio: (a)

*Non decet in labiis versari lubrica Regis,
Sancta, & plena suo sint regia pondere verba,
Dicta semel nullum patiuntur jure recursum.*

Sanè Marcus Tullius in officiis tantam promissis vim tribuit, ut fundamentum justitiæ fidem appellet, quam & Justitiæ sororem dixit Horatius, & Platonici sæpè justitiam vocare sunt soliti fidelitatem, ut ex Græco Apulejus transtulit, uti enim in justitia omnis compre-

)C

hen-

(a) *Ligur. lib. 3.*

henditur Virtus, ita ex inviolata promissæ Fidei integritate omne Principibus elogium venit, vicissim verò: (a)

Promittere irrita falsò, turpissimum est probrum.

Huic addam illud Caroli Paschalij. (b) *Quisquis Fidem exiit, hic quoque suæ famæ contemptor est.* Quod paucis comprehendit Valerius Maximus, ubi

ait: (c) *Perfidia tantum incommodi humano generis affert, quantum salutis bona Fides præstat.*

Restant duo: esse in secreto, esse in publico. Restat ultimus Fortunæ furentis impetus, cui rarò resistunt magni etiam animi.

Fortuna, ut visum, obstinato in Maximilianum odio, injurias suas dispensans per moras, jamjam gloriabatur infortunium unum alterius gradum continuo fecisse. Quem persequēbatur in Belgio, eum etiam in patria quantum poterat, opprimere ausa est, in ipsam dignitatem, & prærogativam Electoralem indignissimis Hydræ Sibilis injuriosa, ita ut violaret in publico, quem in secreto esse Virtus non patiebatur. Optime fanè dixit Stoicorum

Fautor Publius Syrus: *Cum fata peccant, hominum*

(a) *Sophocl. in Philoct. v. 854.*


(b) *De Virt. & vit. c. 31.*

(c) *Lib. 9. c. 6.*

*num consilia excidunt; quod idem est, peccatum
fati bonorum esse infelicitatem.* Maximilianus
nihil valde suum ratus, quod extra se erat, omnibus in-
juriis superior stetit immotus Virtutis, non fortunæ cli-
ens. Ille animus Maximiliano grandis, quem annis an-
terioribus ipsa natura mirabatur euntem in tot sæva pe-
ricula per ignes, & ferrum, & penè supra *tonantem*
(ut ait Virgilius) *cæli portam*, forti pectore expecta-
re voluit, usque dum fortunæ malignitas, quæ in ipsum
adeò turpiter peccavit in publico, per Virtutis suæ con-
stantiam puniretur in publico, factâ restitutione in inte-
grum, & per omnia. Adeò magnum in Viro magnani-
mo, & constanti, consurgit decus, animus in utraque
fortuna sui semper similis; atque ut magna solent Lumi-
na ad exiguæ molis opacum tenues, & in conum graci-
lescentes umbras spargere: sic mens excelsa totam furen-
tis fortunæ scenam suo fulgore obruit; quòd si verò ipsa
sit exilis, & in grande fortunæ corpus impingat, tota suis
tenebris mergitur, & nihil fermè extat, quod servetur
aut gloriæ, aut luci. Vah quantum hoc, & quàm Deo
vicinum etiam inter suas, suæque Augustæ Gentis ruinas

stare erectum, & super concussa non concuti † Stant inde Maximiliano suæ magnitudinis Trophæa, quæ nulla vis diruat, nulla ætas obnubilet. Hanc etiam Maximilianus, quam hominibus semper servavit Fidem incolumem, Deo juravit in agone, factâ publicâ, eâque sæpius iteratâ protestatione, se nec vivere velle, si fortè promissam Deo Fidem, prolongato vitæ tempore, per aliquod grave peccatum foret retracturus, aut violaturus, ea morte extinctus, qua solent miserandi, eâ gloriâ, qua semper victuri. Nempe *memoria* Maximiliani, ut ait Ecclesiasticus, in *compositionem odoris facta, opus pigmentarii, in omni ore quasi mel indulcabitur, & ut musica in Convivio Vini.*

Habes hic absolutum lapidem omni adamante pretiosorem in suis sex lateribus æqualem, verâmq; basin, in qua gloriosa Columna Maximiliani immortale magnanimitatis, & datæ Fidei integritatis prostat monumentum.





DISCURSUS XII.

PARS PRIMA.

SERENISSIMUS

CAROLUS

ALBERTUS

ELECTOR.

Ordinis Equestris Sancti Georgii
Restaurator.

I. U. I. B.



Ortes creantur fortibus , alji naturæ
beneficiô, alji virtutum meritô. Re-
gum, & Principum felix , & gloriosa
est conditio, & nasci fortes, accepto à
parentibus generoso sanguine, & for-

Hhhhhh

tes

tes generare, transmissô suô in filios, à majorum suorum fortitudine nunquam degeneres. Ne tamen unius naturæ privilegiò, quo inter homines distinguuntur, circumscripti videantur, novum, & unicè illis, singulari prærogativâ, Virtus, & Authoritas Regia reservavit, generare fortes, etiam non sui sanguinis, partu, quo Pallas è cerebro Jovis, sine matre prognata prodiit, ex debitâ virtutum æstimatione distinctis honoribus creatos Palladis fratres germanos, ita ut fortium virorum speciale privilegium sit, speciali, insigni, & continuo virtutum testimonio ab omnibus notari in publico, publico omni Superiores, quòd Principum est. Atque ex hac procreatione, adeò facundâ, prodière inclutissimi Ordines, & velut ex equo Trojano, fortissimi ordinum Equites. Nulla est Natio, quæ non hujus prærogativæ æmula, augustam hanc facunditatem genti suæ intulit, in virtute primæ nobilitatis nunquam emortuam, certiore meritæ gloriæ, quàm stirpis avitæ immortalitate.

Una, eadèmq; omnibus nationibus ratio fuit, nomine tantùm, & Insignibus diversa, ut emeritæ militiæ virtutes publicis ornamentis distinguerent. Inter Romanos fuère alii Cornicularii, ex eo ita nominati, quòd armillis,

corniculisque, virtutis ergò, tot annis, tot periculis in bello præstitæ, donabantur, more necdum adeò obsoleto, quin hodiedum aliquot Germaniæ Principes in more habeant, Aulicos suos, multo tempore cognitos, & in variis ministeriis usurpatos, corniculis argentô comprehensis, & ex humeris suspensis, ornare. (1) Observatum id præcipuè à Galloꝝ Rege Henrico secundo, dum adhuc Aurelianensium Dux existeret. Creavit ille, post liberatam obsidione Landresii urbem, Equites cornicularios, eoque nomine appellari jussit eos, qui dehinc, prælii tempore, in navatæ virtutis præmium ad id dignitatis cooptari mererentur. Alii fuere torquati, nempe torquium ornamentis, ut primi corniculis, condecorati, qui mos in hunc usque diem inter omnium Nationum Ordines Equestres ita invaluit, ut nullus omnino Regum, & Principum sit, qui non per diversa torquis Insignia Ordinem suum distinguat. Ex hoc ornamento noscitur & nostro ævo Manlius torquatus. Victor ille Gallici militis, qui eximiâ corporis magnitudine, majore animi fastu, fortissimum è Romanis virum ad pugnam provocaverat, à porrecto in spatium ingens cæsi hostis corpore, præter torquem, nullum rapuit spolium, abundè sibi

Hhh h h h 2

fatis.

(1) *Petrus Belojus.*

fatisfactum ratus, torquem hunc cruore hostili nobilius, quàm unionibus, conspersum, collo suo circumdare, ac ex Torquati cognomine, immortalis gloriâ, posteris celebrari. Habuit & Bojaria suos Manlios, nulli Romanorum secundos, virtute pares, prærogativâ Natalium Superiores. Ægrè tulerant Insubres in obsidione Mediolanensi, se ab Ottone Wittelspachio muris egressos tantâ clade intra mœnia fuisse rejectos; horum unus, Juventâ fervidus, altera die urbe egressus, acceptam injuriam singulari certamine reponere statuit; Castris Cæsareis ubi ad eò propinquus, ut spectari, & audiri posset, unum de Cæsareis provocavit ad duellum, magnâ tum verborum jactantiâ, tum singularis agilitatis, equum, quò vellet, agitandi ostentatione. Diu altum ex ea parte in castris silentium, cùm Albertus Andechsius, raptâ subitò hastâ, Soloque protectus clypeò, tantâ vi in insolentem Juvenem, tela identidem vibrantem, hastam adigit, ut dejectum equo in arenam everberârit. Nec lubuit de prostrato spolia legere, nec irasci ulterius. Solâ facti gloriâ contentus, victo arma, & vitam donavit Leo Bojcus, superbos debellare, subjectis parcere, avitâ Boici sanguinis lege doctus. Qua laude Christophorus Lubinensis

nenſis Dynaſtæ arrogantiam in nuptiis Ducis Landiſhuta-
ni morte puniit , rem omnium faſtorum elogiis decan-
tatam, hîc repetere, ſuperfluum eſt. Nempe Ducum Bo-
jorum eſt, non torque victis erepto, ſed ſua virtute, provo-
catoribus reformidandâ, gloriari.

Fuère demum alij, Monozoni dicti , Illuſtres à cin-
gulo , ſeu baltheo militari, hoc donati ob facta egregia.
Verùm, ut ipſe Tacitus teſtatur, vetuſtiori in militia Ger-
manorum cingulo, ſive baltheo miles , non emeritus tan-
tùm, ſed juvenis, ubi Bello aptus judicabatur, publicè orna-
batur , uſque adeò, ut antequam iſtum juventæ honorem
acciperet, pars domûs ſuæ videretur , qui poſtea Reipu-
blicæ.

Longobardis ea conſuetudo fuit, ut Regis filius cum
Patre non pranderet, niſi priùs à Rege Gentis exteræ arma
ſuſcepiffet, nec ipſis Arragoniæ Regibus Imperii inſignia ca-
peſſere jus erat, quàm Equeſtri auctoramento forent deco-
rati. Imò nec Jus ſigilli, nondum baltheo militari cinctis
obveniebat , unde litteræ quælibet Richardi Comitis Ce-
ſtrenſis ſigillo Matris Ermentrudis claudebantur, & in Bur-
gundia ex decreto Jacobi , & Guilielmi Juſti expreſſè no-

tabatur, armigerum, cum Equeſtrem Ordinem ſuſciperet, ſigillum mutare. Differunt noſtro ævo hæc Equitum decora à priſco, & re, & nomine, nunquam tamen defuit laudanda huius honoris ambitio. Germanis tribuebatur cum baltheo gladius, Romanis, & præcipuè Principibus cingulum; ita Tiberius Cæſar Equitum Auguſtaliſum centurias inſtituit, quibus Druſum Filium, Titum Claudium, & Germanicum Nepotes adſcripſit. Germana nobilitas inane putavit cinguli decus, cui gladius, quo vir virum, miles militem, Reipublicæ commodis utilem, regno dignum ſe præſtaret, aberat. Leopoldus ſanctus Marchio accinctus eſt gladio. Otacher, quo anno gladium accepit, cum baltheo, Styrienſis Marchionis titulum Ducali commutavit. Ludovicus quartus, Magni Ottonis Wittelſpachii filius, annos juventæ vix egreſſus, Wormatiæ Inſignia belli accepit, quo dein, in Patriam redux, implicitus, magna ardoris Martii ſpecimina dedit. Tranſiit equidem in aliam, & formam, & nomenclaturam hæc Equites creandi authoritas, & quos, priſco more, cingulo, & gladio accinctos dicimus, hodie, mutatâ conſuetudine, gladio percuffos, & cingulo in calcaria aurea commutato, auratos nominamus Equites, nunquam

quam tamen immutatâ Equites creandi authoritate, quæ solis Regibus & Principibus, aut eorum Primogenitis convenit. Vileſcebat ſenſim eximium operæ naviter in militaribus ſtudiis inſumptæ pretium, ac præmium publicum, dum illud nobilium multitudo etiam indignis conferre aſueſceret; præcavit malo authoritas Regia, quæ hanc tribuendi militaris auctoramenti poteſtatem, ſibi reſervando, & aſſequi digniorem, & aſſequitam glorioſiorem effecit. Sic nemo dehinc creabatur Eques, niſi ab ipſo Rege, & Principe, vel Regis, & Principis Primogenito, acceptâ tamen priùs à Patre authoritate, vel à Regis in exercitu Legato obres tum fortiter geſtas, tum gerendas. Eſt exemplò Maximilianus Rex Romanorum, Friderici Imperatoris filius. Expugnauerat is Albam Regiam, Urbem Regum Ungariæ, & Mauſolæò inſignem; affectûs præcipuo honore expeditionis ſocijs Principibûs, quos inter Chriſtophorus Bojorum Princeps Alberti ſapientis Frater, effractis portis, cædem Ungarorum aduſque civitatis forum protulit, Equites creavit Albertum Rêchbergium, Georgium Roſenbergium, Joannem Cloſnerum, Siſridum Tôrringium, Joannem Holzſattelium, Caſparem Schenckium, Ottonem Ober-

hamerum, Wolfgangum Weichsum, Joannem Schilbat-
 zium, & Georgium Peuscherium. Dixi superius, Longo-
 bardis, & alijs usuenisse, ut filios ad Principes vicinos, Re-
 gésque mitterent, Equestrem ab illis dignitatem recepturos.
 Noti sunt, qui, eo fine in alia regna profecti, ornamenta
 hæc militaria sibi comparanda duxêre honori. Abiit in
 Scotiam Henricus secundus Anglorum Rex ad Davidem
 Scotorum Regem, Malcolmus Rex Scotorum ad Henri-
 cum secundum, Alexander Guilielmi Scotorum Regis fi-
 lius in Angliam, & Eduardus Primus ad Alphonsum Unde-
 cimum Regem Castellæ; Sed dein apud Gallos, cæteras-
 que Europæ Nationes, mos obtinuit, ut à Parentibus filii
 Equestri induerentur honore. Philippus Augustus Ludo-
 vicum Juonem filium aliósque centum nobilissimos Viros
 Compendii militari donavit baltheô, pari honore sanctus
 Ludovicus Philippum tertium, hic Philippum pulchrum,
 Pulcher tres alios suos filios, præsentem Eduardô generô Anglo-
 rum Rege, affecêre, & nostrô ævô Serenissimus Elector
 Baviariæ Maximilianus Emmanuel Serenissimum Princi-
 pem Filium Ferdinandum Equitem creavit aurei velleris,
 quem dein Serenissimus Frater Carolus Albertus Elector,

Ordinis sancti Georgii Restaurator, uti inferiùs docebimus, huic etiam Ordini adlegit.

Neutiquam tamen, hîs præmissis, inficias iverim, esse exempla Regum, qui Equestrem dignitatem à Vasallis, & strenuis viris, accipere non dedignabantur. Memorat Froissardus Ludovicum undecimum à Philippo Bono Burgundiæ Duce, Henricum secundum à Marechallo Bisiensi, Franciscum primum, Gallorum Regem, memorabili illà pugnâ Meligniacensî à Petro Bajardo; Eduardum quartum à Comite Deuoniæ, Henricum septimum à Comite Arondeliæ, Eduardum sextum à Duce Somersetti, aliósque ab alijs Equestribus Ordinis ornamenta accepisse; nempe tum consuetudo obtinuerat, ut Equestres honores factis præclaris inter belli pericula partes Majorum imaginibus præferrent. In his virtutis mercedem, Familiæ laudem, generis, & nominis memoriam optimè existimabant collocatam. Et observatione dignum est, Equestribus Ordinis nobiles tanti fuisse olim, ut quivis suos Clientes, Armigeros, Ephebos, Satellites, ministrósque haberet concolori secum veste amictos. Unde sanè valentius nihil erat ad excitandos viros strenuos, sibique arctiùs adstringendos

optimos, benéque & meritos, & merituros, quàm eos benignè, & benevolè Equestri dignitate honorare, qui clarò locò nati, & à re instructi, priùs honoratæ tantùm functionis nomina tulère. Nec rarò factum justò ad laudem bellicam incitamentò, ut in patentibus campis, spectante toto exercitu, militaris honos conferretur Viris fortissimis, quorum bellò spectata virtus, sive in acie, sive in oppugnatione præ aliis emicuit. Roderici Diæ de Biuat cognomentum Cidi Mauris in Hispania summè erat terribile, hunc Ferdinandus primus post captam Coimbriam creavit Equitem; nec minùs heroicæ virtutis æmulos Carolus octavus Gallia Rex post victoriam Farniensem, Carolus quintus Imperator post devictum Saxonem Equestri adscripsit Ordini, cùmque tanta passim nobilitas afflueret, ut singillatim omnibus eam dignitatem conferre non posset, vulgari Hispanorum linguâ exclamavit : Sint omnes Equites. Extat in Archivis Lovaniensibus, olim cautum fuisse, ne quis Equestri cingatur Baltheo, nisi tertio cùm Duce ad bellum profectus : quo fiebat, ut in collatæ dignitatis tabulis numerus expeditionum, in primis sacrarum, adscriberetur.

Mira semper inhæsit altissimis animis, Virisque
gloriæ

gloriæ cupidis, gloriosi hujus, ac splendidi præmji ambitio, mira etiam Regum existimatio. Majestatis suæ esse putant Imperatores, Reges, & Principes, mutuâ quadam Monarchis inter se facultate, & genuinô nobilitatis conferendæ jure, alterutrius filiis hujus dignitatis insignia tum dare, tum accipere, eoque honore ornati plerumque Legati Regum, suô probè functi officiô, ad sua revertuntur. Ea apud majores nostros Equestris Ordinis semper fuit auctoritas, ut in pactis, & conventionibus satis fuerit, Equites Equestri fide aliquid spondisse, solebátque Carolus quintus, cum aliquid magni affirmaret, dicto adjungere, id à se fide Equestris Viri pronuntiatum, ut non immeritò Equitum fidem Cicero omnis justitiæ fundamentum appellaverit. Huc pertinet diversitas illa titulorum, qua Equites in tabulis publicis, ab alijs necdum isto honore condecoratis, Reges, ac Principes distinguebant, illos vocare soliti fideles, & amicos, hos fideles Ministros, quod præcipuè in tabulis Ducum Brabantiaë observatur. Præter alias Equestris Ordinis prærogativas, & solennitates, quarum plurimæ in Gallia observabantur, etiam ea erat, ut, cum Regis filii, aut fratres Equestrem acciperent Ordinem,

nem, publicum Equitibus epulum exhiberetur, Rege affidente coronatô. In Anglia tempore Eduardi primi, quod hodie in Instituto Ordinis sanctissimi Georgii observatur, Equitibus creandis distribuebantur è Regia Garderoba purpuræ, byssinæ Syndones, & Cyclades auro textæ, prout cuique competebant, agebátque Princeps Walliæ, præcepto Regis Patris sui cum præcellis tyronibus per noctem vigilias in Ecclesia Westmonasterji, die altero ipse à Patre balthéo donatus militari in Palatio, è quo egressus, jam factus miles, reliquos tyrones in Ecclesia eodem condecoravit honore, tanto accursu, & multitudine spectantium, ut duo milites, pressurâ populi, suffocarentur, synco-pifarent plures, licèt cuivis Equitum tres milites adducendum, tuendumque essent attributi. Nec in Anglia tantum, sed & in alijs Regnis hæc vigiliarum consuetudo invaluerat, eo fine, & præviâ quadam instructione, oportere Equites in hac solennitate promovendos, adesse corde mundos, & animô, virtutis causâ omnes labores, & difficultates strenuè perferre, prudentiâ in Sermone uti, & in operibus, imprimis verò fidem, ac veritatem colere. Nostrô ævô hæc prisca consuetudo piâ Exomologesi, & sacrâ synaxi, ad
quam

quàm accedere gladiatis licet, compensatur. Cæterùm commendat hanc dignitatem Equestrem ipsa facultas, ut ubicunque gentium tam in regno suo, quàm in dominatu alieno, ab ijs, quibus competit, conferri possit, & quod mireris, hoc militaris honoris auctoramentum Turcis etiam, & Barbaris speciale gloriæ decus jam olim sit habitum. Si historicis sua habenda fides, constat Gentiles Equestris dignitatis tum conferendæ, tum accipiendæ magnos fuisse æmulos. (1) Excelluerat Gentilis Belinus in arte pingendi insignis, scientiâ Ottomannis multùm gratâ, notâ parùm. Evocatum Constantinopolim Selimus secundus Turcarum Imperator in Equestrem Ordinem cooptavit, insigni ornatum torquis aurei. (2) Bernhardus Poterius Jacobi Arragoniæ Regis Legatus, Missarum solennibus Alexandria celebratis, filium Soldani Babiloniæ, Patris rogatu, militari cinxit auctoramento. Habuit Ferdinandus cognomento Sanctus, expeditionis contra Hilpalim susceptæ socium Mahometem; hunc capta urbe creavit Equitem, additis Castellæ Insignibûs cum duorum serpentum capitibus, tanto Mahometis honore, ut deinceps Granatæ

LIIII

Reges

(1) *Franciscus Sansovinus.* (2) *Hieron. Zurita.*

Reges ea servarint, pristinô mutató scutô Gentilitiô. Citatur in Originibus Gallicis liber cæremoniarum quas Hugo Caborius, Eques Regni Hierosolymitani, observasse traditur, cùm Saladinum Ægypti Soldanum, decus militare expetentem, Equestrî cingulô adornavit. Et Indis militia Equitum, rudiore quidem Barbaræ Nationis more, in honore fuit. Teevytlorum Equitum solennia in Americano novi Orbis tractu à magno Sacerdote eo ritu celebrantur, ut Sacerdos tyroni nates tygridis offe, & aquilæ rostrô acutissimô perforaret, monendo, ut dehinc in arduis, bellicis periculis, tygridum, & aquilarum instar, alios præirent ferociâ, & fortitudine. Ritu sacro, & magnô ad virtutem incitamentô inter Equites Christianos Ordinis conferendi solennitas peragitur, in qua Eques ter percussus gladiô, aureis indutus calcaribus, donatusque torque, pendulâ ex eo cruce decussatâ, pignus accipit & gestamen, quo novus Christo authoratus miles, gerenda sibi bella sciret, sed pro fide, & in quibus, supra arma ipsa, religio, & pietas effulgerent. Notatu dignum est, quod de Guilielmo Hollandiæ Comite Joannes Becanus, illorum temporum vicinus Scriptor, memorat. Guilielmus in Imperatorem electus, ad-

huc

huc armiger, & domicellus Hollandiæ, priusquam Aquisgrani diadema Regni fusciperet, aliorum Christianorum Imperatorum more à Rege Bohemiæ miles consecratur; aderat solennitati Petrus Capucius S. R. E. Cardinalis, & Legatus: hic electum Imperatorem, antequam militares prælegeret regulas, præmissâ adhortatione, ita specialiter instruxit, quòd miles debeat esse

Magnanimus in adversitate,
 Ingenuus in Confanguinitate,
 Largifluus in honestate,
 Egregius in curialitate, &
 Strenuus in virili probitate.

Susceptis devotè regulis, firmatâque jurejurandò earum observantiâ, Rex Bohemiæ grandem colaphum in collum Tyronis dedit, monuitque, meminerit Christi coram Anna Pontifice colaphizati, & illusi, coram Pilato Præside flagellis cæsi, ac spinis coronati, coram Herode chlamyde vestiti, & derisi, coram omni populo nudi, vulnerati, & in cruce suspensi, memoraret hæc Christi opprobria assiduè, acceptaret ejus crucem, & mortem vindicaret. Sanè non alia unquam fuère Equitum Christianorum statuta, quàm

rit, eiectis è Palæstina Saracenis, fide orthodoxâ ubique
 propagatâ, Hierosolymam nacti, libertatis æternæ Matrem,
 sacrâque Christi vestigia oberrarent, in complexu tumuli,
 cui incubuit mortuus, & inter oscula beatæ glebæ ipsi bea-
 tiores. Eo fine Godefridus Bullionius in Antuerpiensi Mar-
 chionatu suo, exercitûs in Asiam ducendi primitias dele-
 git & roborâ, Civésque duodecim, pia duodenarji Aposto-
 lorum numeri memoriâ stimulatus, Equestri titulo deco-
 ravit, spem operis, & ominis felicitatem adimplente suc-
 cessu, quo de Turcis, ac Saracenis gloriosè triumphavit,
 unde dein Philippi primi, & Ludovici Crassi Regum Fran-
 corum tempore, Christianorum militum triplex Ordo ac-
 crevit, Hospitalariorum Divi Joannis, Templariorum, &
 Teutonicus, secutis initia exigua opibûs immensis, quod
 alijs exitio fuit. Templariorum Ordo sanè, quorum no-
 men multis turpitudinum maculis infame cæperat esse,
 invidiosum, penitus interiit, iisque divitiæ, quibus aucti im-
 mensum erant, exitio fuère, sive ex copia voluptatum, in-
 dole virtutum, quibus res tantas terrâ, marique perfecerant,
 extinctâ, sive ex ea re invidiâ apud populum conflatâ, apud
 Principes spe lucri; sed præterita reprehendi magis, quàm

reparari possunt. Inter inaudita, non singulis modò, sed universis, totique Ordini objecta crimina hæc gravissima: Christum ejurare esse solitos, Virginémque Matrem. Horret animus narrare reliqua, cum hæc sufficiant, ut nemo vel obstupuerit, vel doluerit, hunc Ordinem, sublati tam impiè sacris Ordinis auspiciis, esse extinctum, eorum bonis, quibus ipsis Regibus ditiores erant, attributis partim Rhodiis Militibus, partim inter novas Familias sparsis. Enimvero ita est, vix ullus Ordinum & multùm floruit & diu, nisi Divæ Virgini imprimis facer; excipio alios in nationibus à fide orthodoxa alienis, honoris potius institutos gratiâ, quàm pietatis. E pluribus antiquissimum Equitum Teutonicorum Ordinem Hospitalem sanctæ Mariæ in Hierusalem hîc memorare volui. Hi alio nomine Crucigeri, semper tamen Mariani dicti, ut à Templariis, & Fratribus S. Joannis distinguerentur, crucem nigram in limbo candido chlamydibus suis imposuere, Religiosâ quadam Societate inter se devincti, quâ sub patrocinio Beatissimæ Virginis Mariæ, cui se se præcipuè devoverant, non minorem orationibus, quàm armis navarent operam; Rosarium nempe quotidie recitandum pro tessera, in scuto dictam

Crucem in Ordinis insigne Mariæburgi assumpsere, manetque hodie dum hoc Florentissimi Ordinis augustale decus, licet ex defectione Alberti Brandenburgici tota Prussia tum illis, tum Catholicæ Reipublicæ decesserit, damnò tot sæculis deploratò, in sæculis vix reparandò. Nempe Provinciam, quam antea ususfructus titulò, & vicariâ Ordinis potestate tantum obtinebat, dominandi libidine, jure proprietatis possidendam satius duxit, quam quæ Principem, & Equitem decerent, observare. Sunt etiam & Principum fluxæ voluntates, & ex commodo sæpe mutantur, nullâ fidei curâ; usque ad eò insita mortalibus potentiæ cupido; nec diuturnum quidquam, nec homini charum est præ cupiditate dominandi. Multa, & magna forent hujus Ordinis elogia, quæ, tenuitatis meæ mihi conscius, silentiò veneror, ne, fusiori Panegyri, & tantis meritis impari, diutius à proposito meo alienus sim. Illud pro omnibus sufficiat, Magnum Ordinis Teutonici Magistrum felici nostrò ævò esse Serenissimum Principem Palatinum, Electorem Moguntinum, ex Augusta Bojorum Ducum Gente Augustum Mariani cultûs Antesignanum, Protectoremque, cui Deus gloriæ, & pietatis fructum addat seros annos, vitamque longævam.

Venio

Venio tandem ad scopum , in quem collimat hic discursus , & penè invitus prætereo nobilissimos reliquos Equitum Ordines in Castris Marianis stipendia merentes Christianæ pietatis. Ecce tesseram Ordinis Mariani , de quo hic sermo, recens in Bavaria, curâ & studio Serenissimi Electoris nostri Caroli Alberti ita restaurati , ut eum veriùs primum Fundatorem dicas. Immaculatæ Virgini immaculata Bavaria. O Felicem Bavariam sub hoc præsidio ! beatam sub hoc regimine, cujus ductu Divæ Virgini semper immaculatæ tuendo honori , juramenô te ita adstringis , ut illa in cultum suum noviter emissi voti tot habeat obsides, quot Augustæ Gentis tuæ, & primæ Nobilitatis tuæ jam suos suscepit Equites. Puritatem, quam corde fovent, exhibent habitu ex integro candidi, nisi quòd in chlamyde cærulea fidem quoque , & justitiam profiteantur ; cùm sine ista virtutum concordia, nec Marianos, nec Bojos se Equites fore existiment. Ite alacres in bella generosi Principes & Proceres ; enseni, quem hostili tingendum sanguine his sub auspiciis accepistis , vibrare manu strenua Mariani vexilli milites, calcaria, quæ recens induistis, equis in hostem adactis, fatigate sacrae militiæ Equites

M m m m m m a

hoc

hoc sub præsidio gloriosi semper victores. Immaculatæ Virgini militare, jam triumphare est; nescit illa vinci; hæc Antesignanâ nescit Eques timidè retrocedere, miles turpiter fugere; sub illius præsidio certa est læsi honoris ultio, ulciscentûm certa victoria; afflictam ab improbis turpi mendaciô maculam sine vindicta non patitur, quæ, omnis maculæ nescia, vindices suos ut Mater benigna fovet, protegit ut potens Patrona, nunquam laceßita impunè. Basilii Imperatoris belli Ducem, verum Marianæ militiæ (1) Equitem provocârat ad prælium Saracenorum Princeps, Tarfi Regulus, eo convitiô, vîsurum se, an, & quantum contra suam potentiam ipsi profuerit Mariæ Filius, ejûsque Parens. Appendit sacrae Divæ Virginis Imagini sceleratas provocatorias pius Eques, & simul suæ victoriæ Trophæum. Congressus cum hoste internecina clade fudit Barbarorum insolentem multitudinem, dein, cum spoliis in Patriam redux, ad posterorum memoriam Sacratissimæ Palladi suæ columnam erexit, æternum monumentum, sub hoc præsidio belligerantes militiæ Marianæ Equites vinci non posse. Verùm penè injuriam facio nostris Equitibus, dum è tot retro sæculis Basilium in nostrum reduco ævum. Septem de-

funt

(1) *Baronius ad annum 886.*

sunt adhuc anni, quin sæculum expleatur, quo Maximilianus primus medio in foro hujus Metropolis æream Divæ Virginis statuam, auro largissimè obductam, scapòque marmoreo columnatam posuit, & pietatis Bojcæ, & Victoriæ Marianæ monumentum perenne. In decretorio illo Pragensis pugnæ conflictu Maximiliano tessera erat Maria, & ex tessera omen, felixque augurium victoriæ. Quî enim vinci poterat Marianus Eques non tantùm Equestris militiæ, sed Marianî etiam exercitûs Præfectus? Militabat ille Divæ Virgini domi, in conscribendis tot legionibus, quot Patres Soc. Jesu Mariana erexêre sodalitia, eo solatio, eo fructu, ut jam nullius in Bavaria Civitatis Magistratus, Civis, ac Juvenis sit, quem non hi Patres Castrenses sub Vexillo Mariano conduxissent militem, veri Patres Castrenses etiam Ordinis Inviolatæ Virginis, utpote qui singulis annis Ingolstadii juramentum exsolvunt tuendæ Immaculatæ Conceptionis, quæ Equitum regula inter primas. Ad quæ Mariana castra Maximilianus, & fratres, & Agnatos suos conduxit, Augustum militiæ Marianæ è Gente sua supplementum. Foris impios evertendo impostores, qui aut maculas impingere auderent Soli, qui circumdedit Deum, Lunæ,

N n n n n

quæ

quæ pulcherrima, & labis nescia, Immaculatæ Conceptionis relucet fulgore, aut convitiis evocare terribilem, quæ ut acies ordinata, avernalem etiam conculcat Draconem. Legat Roma, si tamen potest, in columna Trajani antiquitatum Hieroglyphica, in Monacensi columna Mariana hæc est inscriptio.

D. O. M.

**VIRGINI DEIPARÆ BOJCÆ DOMINÆ
BENIGNISSIMÆ,**

PROTECTRICI POTENTISSIMÆ,

ob Patriam, Urbes, Exercitus, se ipsum

Domum, & Spes suas servata,

Hoc perenne ad Posteris Monumentum

MAXIMILIANUS

C. P. Rb. U. B. D. S. R. I.

ARCHIDAPIFER,

ELECTOR

Clientum infimus

Gratus, Suppléxque posuit

A. M. D. C. XXXIIX.

Olim

Olim Græcis Syngrapha tabella erat, in qua perscripta pactio utriusque pacifcentis manu continebatur, nobis, totique Bavariæ hæc columna pacti Mariani Syngrapha est, stabit æternùm Servorum in Dominam, Dominæ in Servos amor, ille ex cultu Mariano, hic ex Mariano præsidio mutuus, quod nunquam deerit, quamdiu ille non abfuerit. Legimus in sacra Scriptura, Ministeriô Angelorum honorificè sepeliisse Dominum, amicum Moysen : (1) *Et sepelivit eum in valle terræ Moab contra Phogor.* Et ecce inter Michaëlem, pompæ isti funebri Præfectum, & Dæmonem rixa non levis. Unde Judas Apostolus : (2) *Cùm Michaël Archangelus cum Diabolo disputans altercaretur de Moysi corpore, non est ausus judicium inferre blasphemiæ, sed dixit : imperet tibi Deus.* Mira Dæmonis altercatio, de Reliquiis Moysis ; an illius intererat, ne delitescerent in occulto ? An ille Judæis illud solatium ex reliquiis Moysis superesse voluit, quod moriturus Patriarcha Joseph reliquit Israëlitis, monens suos : (3) *Deus visitabit vos : asportate ossa mea vobiscum de loco isto.* Intellexerat probè Moy-

N n n n n 2

ses,

(1) Deut. 34. 6. (2) 1. v. 9. (3) Genes. 50. v. 24.

ses, quantum sibi à reliquiis Josephi sperandum foret, ille enim dum cæteri Israëlitaë tot Ægyptiorum spoliis in exitu onusti discederent, cordatus populi Princeps, inde se longè ditiozem existimans, nihil aliud, præter has, legitur secum abstulisse: (1) *Tulit quoque Moyses ossa Josephi secum.* Cur ergo Dæmon noluit Judæis ignorari ossa Moysis, cum vix dubitari posset, quin ex refricatâ acceptorum beneficiorum memoriâ Judæi traditas à Moysè leges studiosiùs forent observaturi? Verùm non tam de abscondito Moysis sepulchro, quàm de absconditi sepulchri loco decertatum est. Erat in Phogor Idolum celebre, quod vocabant Belphegor, in quo Dæmon, fixo domicilio, damnis, dolis, fallaciis, miserimam illam Provinciam fædissimè divexabat; inde questus sepulchri vicinitatem, nempe contrà, aut è regione Phogor, Græcè, juxta domum Phogor, timuit, ne vi reliquiarum sacrâ ipse deinceps, quasi vinculis, constringeretur, regiôque sacri pignoris custòs dehinc contra tartaream Principis inferni tyrannidem invicem custodiretur. Quamdiu in Bavaria hæc Mariani & amoris, & cultûs mutui permanebit Syngrapha, quam tabulam dudum infernalis rabies non è foro solummodo Monacensi, sed

(1) *Exod. 13, 19.*

sed è Corde Bavaro, sed frustra avellere voluit, stabit contra omnes insultus erecta Bavaria sub præsidio immaculatæ Virginis immaculata.

Nec habeo, unde metuum me nimiùm dicere, cùm Bavariam appello ex tessera nova novi Equitum Ordinis Immaculatam. Nulla est Provincia, Regnum omnino nullum, quod hac prærogativâ gloriari potest, nulla unquam Hæresis maculâ fuisse affectum, qualis ab omni ævo Bavaria, tot sanctæ Sedis testimoniis laudata, in orthodoxa fide constans stetit, & purissima, si conterminam Baviaræ Tyrolis Provinciam excipias, nempe has duas Pater Canisius è Soc. Jesu, Vir sacris dignus aris, nomine tribûs Judæ, & Benjamin distinxit, quæ nunquam defecêre. Miraculô non vacat, Bavariam inter funestas belli injurias, quarum maxima fuit, infectæ Hæresis præsidiarios habuisse milites, nec è nobilitate, nec è plebe numerasse quemquam, qui ex hac contagione pestem contraxerit, quæ laus, quod solatium unicè Divæ Virginis cultui nunquam interrupto, quin potiùs, ringentibus ad pium spectaculum A catholicis, aucto debetur. Vigebat olim Constantinopoli, post omnipotentis Dei primarium honorem cultus Deiparæ Virginis

O o o o o

usque

usque adeo, ut illi ab ipsis Constantini temporibus eadem urbs dedicata, ejusque nomine appellata sit Civitas Virginis. Meliori fanè jure Bavaria audit Provincia Virginis; excubat ad Aulam Principis hæc regia Virginis imago, ad cuius pedes ardens diu, noctúque lampas palam omnibus testatur, quæ in corde Principum avita Mariani cultûs pietas arderet, quam Cives passim in ædibus suis studiosè æmulantur, Magistratus urbium in foris publicis, in quibus ubique hujus imaginis solatium in publicam venerationem prostat, ut subditi meminissent quotidie, sub quo securi viverent præsidio, dum quotidie experiuntur, sub quo felices vivunt regimine. Avitum in Divam Virginem cultum Serenissimus Carolus Albertus, dum augere non potuit, restauravit, inducto recens Nobilissimorum Equitum Ordine, qui jam ante plura sæcula Bojariæ Principibus in magno pretio habitus injuriâ temporum, rerúmque humanarum inconstantiâ in defuetudinem abjit.

Hodie Serenissimus Elector, supremus Ordinis Magister, & Restaurator est, insigne verò Ordinis Torques aureus in festis solennibus, pendulâ ex eo cruce decussatâ nivei coloris, promicante in medio ex una parte Beatissimæ

Vir-

Virginis Immaculatæ, ex altera Divi Georgii Imagine, ut-
 râque aureo pictâ encausto, extremitatum rhombis, cæru-
 leo & candido colore reticulatis. Torquem conficiunt
 itidem Bojcis rhombis interfluentibus, octo suis spatiis di-
 stincti Leones, quorum unus facem ardentem, alter stri-
 ctum ungue tenet gladium acclinis uterque columnæ, glo-
 bo Imperii desuper reposito, litteris in torque intermediis,
 quarum initiales mōnent Equites, fortes ut sint in fide, &
 Justitiâ. Cæterùm diebus, nullo Ordinis festo distinctis,
 suprema Equitum Curia magnæ, quos vocant, crucis, Tæ-
 niam coloris cærulei quatuor largam digitis albicantibus
 pariter extremitatibus à dextro humero sub sinistro brachio
 corpori circumducit, annexâ cruce, quam stellatam vocant,
 & è sinistrâ ad pectus vestibus annexam portant, interlu-
 cente in medio crucis circulo cruce aliâ rubei coloris, quod
 commune reliquis etiam Equitibus, sed minoris formæ, in-
 signe est. Crucis inscriptio è litteris initialibus in parte, quæ
 Divam Virginem spectat: *Inviolatæ Virgini inviolata*
Bavaria, & in altera Divi Georgii: *Iustus ut palma flo-*
rebit. Terminatur torquis ille ore Leonis, è Bojci Leonis
 symbolo, è quo Crux superius descripta profluit, ceu favus

mellis in ore Leonis Samisonici. De his mihi sermo erit in Discursu secundo, uti etiam de habitu, Regulis, & omnibus iis, quæ hujus sunt Ordinis, dum ea hic solummodo explicanda mihi proposui, quæ supremum Ordinis Magistrum, & Ordinis Dominam respiciunt. Finis instituti Christianæ protectio Fidei, & augmentum, zelus protegendi Beatissimæ Virginis Immaculatæ cultûs, bellum in Ottomanos perpetuum, jactis in Teutonici Ordinis typum novæ militiæ fundamentis, eo discrimine, quod Equitibus permissum uxorem ducere. Cætera, ut dixi, quæ regulas & statuta Ordinis attinent, ad sequentem discursum remitto, hinc illius dignitatem memorâsse satis sit, sub quo nempe præsidio, sub quo regimine ea denuo revixerit.

Cogitabat equidem Serenissimus Elector Maximilianus Emanuel, gloriosæ memoriæ, è Gallia redux, Ordinem hunc jam ante quingentos annos in Bojaria celebrem restaurare, sed morte interceptus, gloriam hanc reliquit Serenissimo Filio, ut statim initio Regni sui, factô præclaro gloriosus, à Serenissimi parentis elogiis distingueretur, usque dum bello gesta, Martiâ suâ indole, æquaret, cujus jam ea dedit contra Ottomanos specimina, Serenissimo Principi

Euge.


Eugenio in castris ad Belgradum cum Serenissimo Fratre Ferdinando Socius, ut suis, quas adduxerat Augustissimo Cæsari in suppetias, copiis, quasque ipse exemplò, & personâ suâ, in patrios affurgens ausus, animârat, magna pars & victoriæ, & dediti Belgradi, deberetur, dolentibus Turcîs, se denuo Bojci Leonis ungues experiri, & Lunæ suæ cornua, quæ vix è tot damnis coaluerant, iisdem fulminibus à Nato confringi, queis Pater, tot cladibûs illatis, ea tum è turribus expugnatarum urbium, tum è tentoriis profligatorum exercituum deiecit. Nempe militabat jam tum Beatissimæ Virgini Augustus Eques, & undulante vexillo primæ suæ Legionis, Immaculatæ Virginis non tam imaginem ostentans, quàm se militem professus, antiquum hunc Ordinem restauravit, simul, ac præscribenda postmodum Ordinis statuta suo in Mariam cultu, pro sancta Fide zelo, gloriosè adimplevit, ita, ut, dum omnes Deiparam, innatâ Bojis pietate, veneramur Reginam, à recens erecto Marianorum Equitum Ordine, Carolum Albertum audacter illius Proregem asseram, sub illius præsidio semper Victorem, sub cuius regimine felix est, eritque in seram ætatem Bavaria, revirescente pristinâ majorum gloriâ.

P P P P P

DIS.

DISCURSUS XII.

PARS SECUNDA.



Iustus ut Palma florebit.



Lim moris , hodie legis est , notari à Chronicis Illustrium Equitum Genus, Progenitores, Antiquitatem, Nobilitatem, & Potentiam. Nec abs re; Vix enim degener erit ille, cui tam antiqua, & tam ingenita est Nobilitas. Et Ordinis Antiquitatem, & Equitum Nobilitatem hîc exponere animus est, utramque eo vinculo adeò sibi cohærentem, ut, dum ab Ordine prisca Equitum probatur dignitas, Ordini vicissim à gloriosâ Equitû Profapia suus quoque, ac novus in singulis accedat honos.

De ortu, & Origine Ordinis Divi Georgii antequam quidquam statuamus, pauca hæc prolegomena præmittenda putavi, me neutiquam velle asserere, Ordinem hunc à Ducibus Bojis jam tum fuisse institutum, quando Eccardus I. Palatinus Schirorum cum Sigeberto Moguntino, Leopoldus IV. Eberhardi Arnulphi mali primogeniti filii atnepos, comitante Conjuge Itha, Henrici IV. Cæsaris Sorore Germanâ, cum Godefrido Billionæo, Otto III. Præfectus Palatii Bojarii, & Eccardus, Peronatus dictus, in Palæstinam abiêre, cùm probè sciam, Originem Ordinum, ac primam institutionis laudem deberi ijs, qui cum Godefrido Billionæo, seu Bullonio, restituto Hierosolymarum regno, Ordines erexêre Hospitaliorum, & Templariorum, ad quorum dein imitationem sub aliis, aliisque titulis, Patronis, atque constitutionibus, ortum suum habuêre per omnes Christianorum ditiones Ordines Equestres; Verùm illud ex Chartophilacio Electorali sustinere præsumo, primos è dictis Ducibus Bojis, facta quadam inter Quatuorviros Societate, sub auspiciis, & ex singulari Divi Georgii cultu tam periculosam profectioem suscepisse, quæ dein erga hunc Divum pietas semper fuit hæreditaria, licet nullis certis regulis,

gulis, aut instituto quodam firmata, usque dum cultus ille Divi Georgii, ac magna in illius præsidio fiducia in Ordinem Equestrem excreverit, suumque nata sit Fundatorem, à quo, uti inferiùs docebimus, Ordo ille transit dein etiam ad Duces Bojos, ita, ut, quod priùs privatâ pietate actum, illud postmodum ex communi Ordinis Lege observandum foret. Conveniunt enim & Authores, & Bullæ Pontificiæ, primum Ordinis Divi Georgii in Germania fuisse Fundatorem Fridericum Tertium, Imperatorem semper Augustum. Nec ulla est in hac assertionem difficultas, quæ eam dubiam possit reddere.

Restant plurima in Annalibus Bojcis vestigia, Duces Bojos à pluribus retro sæculis singulari devotione coluisse Divum Georgium, & hodie dum conscriptum sub illius signo Sodalitium in Processionibus publicis numeratur antiquissimum; verùm ex eo plus deduci non potest, quàm illos priùs ex privatâ devotione particulares Divi Georgii cultores fuisse, dein ex communi quodam Instituto magnos hujus Ordinis Equites sub Fundatore Imperatore, Alberti Sapientis Socero, quales hodie sunt sub Restauratore Carolo Alberto & Frater, & Filii, & Agnati. Quis enim dubi-

dubitet , adeò cognatis Principibus ex communi pietate communem fuisse pietatis tesseram? habemus etiamnum vario labore ex argento , & auro efficta Crucis , hujusque Ordinis Insignia , quæ olim statis in Festis publicè è collo pendebant, ausim dicere, Ducibus Bojis , transmissa veriùs vel à Fundatore Friderico , vel à Confirmatore Ordinis Maximiliano Primo , quàm jacta novæ in Bojaria militiæ specimina. Fieri sanè non potuit, ut Albertus Sapiens, Friderici Imperatoris, ut dictum, Gener, hujus Ordinis non haberet Insignia, uti omnino verosimile non est, tam altum in Annalibus hujus foundationis invaluisse silentium, si plus erui posset, quàm Duces Bojos, ad hunc Ordinem ab Imperatore invitatos, eum tamdiu observâsse , quamdiu ille in Imperio non defuisset, ita, ut qualiscunque Fundatoris , aut antiquitatis hæc Equestris militia fuerit, Serenissimus Carolus Albertus, ut Restaurator, primam semper Fundatoris gloriam, æmula pietate assequatur.

Quæ de Friderico Imperatore superiùs dicta, ea extra quæstionem, & omnem sunt omnino Controversiam, si Bullis Apostolicis est, quæ debetur, fides. Bulla Pauli „ Secundi, Summi Pontificis, ita Orditur : Sanè Charissi-

Qqqqqq

„ mus

„ mus in Christo Filius noster Fridericus, Romanorum Im-
 „ perator semper Augustus, qui fervore defensionis accen-
 „ sus, nuper ad visitandum Sacratissima BB. Petri, & Pauli
 „ Apostolorum, & alia Deo dicata loca, ad Almam Urbem
 „ ex voto personaliter se contulit, nobis humiliter explica-
 „ vit, quòd ipse ad laudem, & gloriam Omnipotentis, ac
 „ gloriosæ Virginis Mariæ, pro exaltatione quoque Catho-
 „ licæ Fidei, animæ suæ salute, ac Domûs Austriæ (à qua
 „ Originem traxit) commemoratione, & decore, unum
 „ Militarem Ordinem sub invocatione sancti Georgii Mar-
 „ tyris, per nos erigi, atque institui desiderat. In alia
 Bulla Julius Secundus, Pontifex, Fridericum his verbis denuo
 declarat Fundatorem hujus Ordinis : *Ordinem Divi
 Georgii Martyris erexit, & auctoritate sanctæ
 Sedis Apostolicæ primus fundavit.* Quid clariùs
 dici, aut quid ad stabiliendam assertionem ulteriùs requiri
 possit, haud video. Notandum hîc occurrit, eodem anno,
 quo Fridericus Romam, dicto fine, abijt, ad eundem Pon-
 tificem Paulum Secundum, Albertum Sapientem, Bojariæ
 Ducem, cum Christophoro Fratre, fuisse profectum; unde

vix dubitare licet, non aliquam inter hos Principes intercessisse etiam Ordinis communicationem.

Cæterùm Fridericus instituto (1) Equitum Ordine Sancti Georgii, ad Turcarum à finibus Ungariæ, Styriæ, Carinthiæ, vicinisque, arma depellenda, ejus Magistro Generali Regiam Sedem in Millestadio, Carinthiæ oppido, amænissimo loco designavit, cui & honorem Principis adjecit, & ne quid ad splendorem deesset, Toparcharum Cranichbergensium recens cum Familia extinctorum, castra, ac prædia, in vitæ, Aulæque subsidia, attribuit: nimirum Tautmanstorffium, Scharfenecam, & S. Petronillæ prædium, quorum proventibus adjuti S. Georgii Equites, Christiani nominis zelô incensi, non rarò virtutis suæ præclara contra Solymannum, Selimum, aliósque Ecclesiæ hostes, specimina edidère. Rebus spiritualibus præfecit novæ Civitatis in Austria Episcopum, itémque Canonicos, eâ de causa in arcem postea translatos, signatos singulos eadem Divi Georgii rubrâ Cruce, quæ plana & simplex, Gentilitios Clypeos occupare solebat. Acta hæc conscio summo Pontifice, qui pariter consensit, ut ad hos S. Georgii Equites transfirent etiam Commendaturæ, ut vocant, Morbe-

Q q q q q q 2

gien-

(1) *Vide Bullas Leonis X. & Alexandri VI.*

gientis, Ordinis Equitum sancti Johannis ab Hierufalem, Diœcesis Passaviensis, Hospitale, & Monasterium Divi Martini ejusdem, hodie Viennensis Diœcesis, Capella Beatissimæ Virginis novæ foundationis, & demum Ecclesia Parochialis montis Stradensis Diœcesis Salisburgensis, atque hæc omnia eo privilegio, ut in hac Commendatura Hospitaliorum Ordinem suppresserit, Monachis verò Ordinis Divi Benedicti Monasterii Millestadiensis liberum arbitrium permiserit migrandi, quocunque vellent, in alia ejusdem Ordinis Monasteria, ita tamen, ut quilibet eorum, quoad vixerit, impensis Equitum Divi Georgii, victum, aliâque necessaria perciperet, dictumque Monasterium, retento semper Hospitalitatis onere, nunquam in profanos usus converti, aut ad sæculare dominium transferri posset. Confirmavit hunc Ordinem sequentibus annis Maximilianus Imperator, Friderici filius, amplioribus privilegijs, litterasque desuper conscriptas signavit Oeniponti decimâ octavâ Septembris anni 1493. quas Summus Pontifex Alexander Sextus denuo ratas habuit anno insequente 1494. Ex quibus abunde, ut opinor, patet, Equites Bojos quos in primâ parte Discursûs hujus nominavimus, ad Albam Regiam à

Maxi-

Maximiliano creatos, haud alios fuisse, quàm Equites Divi Georgii, communicato jam priùs Ducibus Bojis ejusdem Ordinis Insigni, utpote quos illius belli socios summis, ùt testantur Annales, ante reditum in Patriam honoribus affecerat. Quod etiam ex eo probatur, clypeum Ducis Christophori, qui postea pariter in Palæstinam abijt, in Insula Rhodis mortuus in reditu, hac Cruce Divi Georgii fuisse insignitum, certò fati testimonio, Christophorum à Friderico jam priùs Ordini suo fuisse adscriptum, qui dein cum Friderici filio adeò gloriosè bella gessit. Hæc sunt, quæ meò judiciò de ortu hujus Ordinis ex Fastis, & fide dignis Authoribus allegari possunt, cujus deniquè occasum iidem ita memorant.

Magnorum opus est Regum, & Principum, instituere duratura in omne ævum Sacra ejus naturæ, quorum, etiamsi jeceris fundamenta per immensos sumptus, stabilitas tamen pendet ex posterorum arbitrio, vel ab injuriâ temporum. His sanè causis intercidit in nostra usque tempora Ordo Equitum Divi Georgii, felici tamen, si fas est dicere, iniqui etiam fati culpâ, quæ talem meruit habere Restauratorem,

R r r r r

Nihil

Nihil non movit Maximilianus promovendo, conservandóque Instituto, sed, postquam civilia intervenêre bella, ortæque passim Hæreses, plures Imperii Provincias infecêre, ea, quæ Equitibus tum pro victu, tum pro decoro erant assignata, occupata ab alijs, varjis Principibus cessêre in spolium, usque adeò, ut præter nomen dicti Ordinis vestigia invenias nulla. Ipsa Ordinis sedes, Monasterium Millestadiense, olim Religiosis Divi Benedicti subductum, à Ferdinando secundo, Archi-Duce Austriæ, postea Imperatore, Patribus Societatis JESU in foundationem Collegii Graziensis in Styria traditum est anno 1598. ita, ut, si probè computum facias, paucis annis sæculum excedat hujus Ordinis principium, & finis. Unde eò gloriosior est Serenissimus Restaurator, quòd maximò pro fide zelò primis principiis & piè insistere, &, ne denuo in tristem recidat casum, vel neglectûs, vel oblivionis, summâ prudentiâ providere, ac omnibus etiam temporum injuriis pulcherrimò statutò cautum voluerit. Insignia, quæ semel Augusta Domus Bojca Clypeo suo Gentilitio appendit, augeri, avelli non possunt. Stabit Ordo Equitum Divi Georgii, quousque illa steterit: transeunte semper cum avitis titulis in Suc-

cessores Regni, supremi Magistrum dignitate; majorem aetatem, aut certiore Ordinis stabilitatem an requiras ?

Cæterum sæpe factorum decreta ex mirâ rerum vicissitudine malè arguimus, cum eorum secreta tardius, & non, nisi ab eventu, cognoscimus. Dixi superius sub Archiduce Ferdinando II. iniquitate temporum interiisse penitus pristinum Ordinis Divi Georgii splendorem, hîc asserere licebit, sub eodem Ferdinando, si non jus ipsum, certè magnum augurium in Serenissimam Domum Boicam transiisse, restaurandi dicti Ordinis. Adverte, si placet, paucis docebo. Partâ ad Pragam victoriâ, Periscelidem adamantibus intextam, Anglici Ordinis Insigne, quod Friderico properanti exciderat, Verdugo inter primos Cæsareani exercitûs Ductores, Maximiliano opimum spoliolum obtulit, hodie inter pretiosa Domûs Bavaricæ asservatum, Illud ad Cæsarem à Cæsareano non fuisse relatum, quis negabit omen? Voluere fata, ut demum in Maximiliani Pronepote, Carolo Alberto, quod Nepos Maximilianus Emmanuel, morte præreptus, efficere, ut voluerat, nequirit, ex hoc Periscelidis spolio exurgeret Trophæum immortale resuscitati, & gloriosè restaurati Ordinis Divi Georgii, & quod

fortuna Maximiliano transmisit victoriæ præmium, illud Carolus pro ominè, vel monito acciperet, restaurandæ pietatis in Divum Georgium, cujus olim Insigne Periscelidis pro fundamento fuit.

Vulgaria sunt, quibus ortus Ordinis Periscelidis ad Joannam, Comitissam Sarisburix, refertur, quòd ipsi Choroas agitanti delapsam Rex è terra sustulerit, ridentem nobilium adstantium multitudinem his compefcens : Hony soit, qui mal pense, id est: malè vertat ei, qui malè cogitat; futurum nempe, ut brevè summus honor ejusmodi Periscelidi haberetur. Hæc vulgi opinio, cui tritum illud :

nec vilis, etiam si fuerit, hæc origo est; nempe

Nobilitas sub amore jacet. (1) Antiquiora sunt, quæ de Periscelidis Origine memorant Authores. Horum testimonio Eduardus III. Anglorum Rex invictissimus, ut Arturi Regis memoriam refricaret, qui orbicularis mensæ Equitum Sodalitium, toto adeò terrarum orbe decantatum, instituerat, cùm de Gallis, atque Scotis, capto Joanne Rege Gallix, & Davide Scotix, sæpiùs triumphâisset, nobilissimam conscripsit Equitum auratorum Societatem, quos ob Periscelidem suam in prælji felicitis tesseram datam, Garterji, sive

Peris-

(1) *Bern. Girardus l. 15. Polydorus Virgilius, Guilielmus Camdenus Britannicarum rerum scriptor studiosissimus.*

Periscelidis Equites nominavit, huncque Ordinem ad honorem Omnipotentis Dei, & Beatæ, ac Immaculatæ Virginis Mariæ, atque Beati Martyris S. Georgji (ecce quàm bene cum nostro Ordine omnia conveniunt) instituit, exstructo ad illius honorem in Castro suo Windesori Templò Augustissimò. Dicti Equites sinistram tibiam paulò infra genu substringunt, & aureâ fibulâ, in concordia Symbolum, tanquam vinculo arctissimæ Societatis connectunt. Scutum album rubra cruce distinctum est, pendulâ è colari, quod magnum vocant, Divi Georgii, Bellatorum Præfidis, effigie. (1) Cæterùm hujus Ordinis Solemnia Windesoriæ quot annis statò die, Divo Georgio Equitum Tutelari sacro, præfidente Rege, celebrantur. Atque in hanc Societatem potentissimi quique Orbis Christiani Principes cooperari, maximi instar honoris duxerunt, & à prima Ordinis institutione, qui viginti sex Equitibus constabat, ultra viginti Reges adscripti numerabantur, præter ipsos Reges Angliæ, qui ejusdem Præsides, sive, ut vocant, supremi semper habentur Magistri. Sunt quidem aliqui, qui Originem hujus Ordinis Richardo primo adscribunt, ajuntque, Eduardum eundem tantùm reduxisse, sed, quidquid est, uti ille Or-

S s s s s

do

(1) *Paulus Jovius.*

do in Anglia gloriosus floruit, manetque hoc ævo sive noviter institutus, sive denuo restauratus, ita hodie resuscitati in Bavaria hujus Ordinis gloria debetur Carolo Alberto, ut non immeritò spoliū Periscelidis à Maximiliano relictum, Carolo omen fuerit faustissimum illius restaurandi Ordinis, quo hic Serenissimus Elector Nobilissimos quosque tum è suis, tum è Proceribus exteris, confociatione quadam, & Virtutum communitate sub vexillo Divi Georgii conscriptos arctissimè sibi conjunxit, conjuratos Justitiæ, & Fidei Protectores, utpote quæ altera hujus militiæ est tessera, quæ ubique terrarum Deo, & Divæ Virgini militantes Equites, ut Palma, floreant. Atque hæc ratio est, cur jam alij hujus Ordinis Equites, nobilissimò animati institutò, in terras longinquas abière, in Societate Equitum Melitensium, sacrae pro fide militiæ prima Rudimenta posaturi.

Habet enim hic Ordo pro basi, ut quivis Eques juramentò promittat, se perpetuum fore orthodoxæ Fidei, cultusque Immaculatæ Virginis defenforem, in quem finem teneantur singuli magnum Ordinis Magistrum sequi, siquis casus exigat, ut ipse, motis contra Ottomanos ca-

stris,

stris, bellum gerat. Vicissim eodem juramento caveant, ne cuiquam contra Serenissimam Domum Bavaricam militent, aut quidquam faciant statutis Ordinis contrarium.

Hujus juramenti constans est monitum, Ordinis illud Symbolum, quod litteris initialibus in torque aureo, uti in priore parte dictum, intertextis exprimitur, in Fide, Justitia, & Fortitudine, utpote quibus Virtutibus clarescant, & Mariani Equites, & fortes, Divóque Duce Georgio digni Athletæ. Quod ipsum proinde per Ordinis habitum exprimi videtur.

Die, quâ cæremoniæ peraguntur, Equites Magnæ Crucis, Commendatores, & Equites omnes habitum interiorem gerunt candidum, superingestô palliô cæruleô, ut nempe his coloribus, Serenissimæ Domui Gentilitiis, in fide, & Justitia avitæ Ducum Bavariæ pietatis exemplo semper colant Immaculatæ Conceptionis Mysterium, in fortitudine prisca illa jisdem Ducibus in Palæstina sub auspiciis Divi Georgii facta gloriosa imitentur.

Supremus Ordinis Magister Serenissimus Elector his in cæremoniis ita apparet. Pileus Burgundico more replicatus, undulantibus circum plumis candidis, & rubeo

colore variegatis integitur. Vestis interior, qualis est Equitis ex tela argentea, palmarumque ramis fimbriata, sparsis super manicis tinea albi, rubrique coloris, argento intertextis, cingitur militari zonâ, ex holoserico rubro.

Vesti superiniicit magnum pallium cum Syrmate holoserici pariter cærulei, telâ argenteâ suffultum, ubique segmentis argenteis distinctum.

Idem habitus, qui magnis, aliisque Equitibus, quoad colores, & formam, communis est, differt tum in Syrmate, tum in telâ argenteâ, cujus loco Sericum Album pallio subducitur, omissis fimbriis, ex texturâ argenti.

Collare majus est ex holoserico cæruleo, argenteis, acu elaboratis, ornamentis. In quo circumfluit torques ille aureus in priori parte descriptus cum pendula ex eo Cruce.

In clypeo aurei coloris Crux rubra apparet cum Symbolo Ordinis: in Fide, Justitia, & Fortitudine. Superius notantur arma Gentilitia cujusvis Equitis, inferius annus, quo in Ordinem fuit receptus.

Supremus Ordinis Magister est omni ævo Bavariæ Elector.

Tres erunt Magni Priores, primus in Superiore Bava-
ria, Princeps Electoralis. Secundus in inferiore, Filius Prin-
ceps natus secundus. In Palatinatu Superiore Dux Ferdi-
nandus, suæque stirpis semper Primogenitus; Nullus au-
tem ad actualem Magni Prioratûs possessionem, neque
ipse Princeps Electoralis pervenire poterit, nisi expletis an-
nis viginti & uno, cum interea eorum cura, quæ ad Mag-
num Prioratum pertinent, penes Supremum Ordinis Ma-
gistrum erit.

Sub quolibet Magno Priore duo, proin sex erunt
Magnæ, quos vocant, Crucis Equites; trium fiet delectus
ex placito Supremi Ordinis Magistri, tres reliqui sibi succe-
dent privilegio ætatis, qua in Ordinem adscripti inter Equi-
tes, posterius receptos, erunt seniores. Hi sex Equites
diebus solennibus collo circumdabunt magnum Ordinis
Torquem, amicti habitu Ordinis, reliquo verò tempore,
majori tænia à dextra ad sinistram pendente, cum annexa
stellatâ cruce, distinguuntur, quam etiam acu pictam in ve-
ste à sinistris affixam, uti in Scuto Gentilitio è Torque cir-
cumfluente habebunt pendulam.

In unoquoque Magno Prioratu præter dictos duos

T t t t t

Mag-

Magnæ Crucis Equites, quatuor erunt Commendatores, in quem finem duodecim erigentur Commendaturæ. Sex nominabit liberò arbitriò supremus Ordinis Magister, reliquis procurabit hanc dignitatem ætas Ordinis. His erit Crux, Magnâ Cruce paulò minor, è collo in tænia carulea ad pectus delapsa, in Scuto Gentilitio pariter è tænia circumfluente, & inferiùs colligatâ, conspicua.

Reliqui Equites ab his differunt in eo, quòd & tæniæ, & stellatæ Cruces tam in vestibus, quàm in Scutis Gentilitiis minores sint.

Cùm supremus Ordinis Magister Festò, quo hunc Ordinem restauravit, singulis Equitibus, & Torques, & Cruces, suis impertivit expensis, ejdem singula remittentur post duos menses, si quis Equitum vel fatò decesserit, vel ad altiorem gradum fuerit promotus.

Liberum erit cuique ornare gemmis, & unionibus Crucem, quam portat.

Ad hunc Equitum Ordinem nullus admittetur, nisi ex primâ, atque ea Nobilitate, quæ jam olim antiquis Torneamentis, sive Hastiludiis probatâ, ex parte Patris æquè, ac Matris, è Nobilitate Germanâ Atavos suos nume-

rare potest, ita, ut in arbore sua Genealogica triginta quatuor Ohnen exhibeantur, quæ omnia ritu, & lege, in Ordine Teutonico observatâ, ab eo producenda sunt, qui ad hunc Ordinem aspirat.

Ne tamen exteræ Nationes ab hoc Ordine penitus excludantur, Supremus Ordinis Magister Equites suos in duas divisit classès, ita, ut prima, quæ semper duas tertias efficiat, ex Nobilitate Germana, secunda ex exteris Nobilibus cujuscunque Nationis conscribatur, eâ tamen lege, ut exteri eandem Nobilitatem Atavorum suorum, qualem probavêre Germani, legitimè producant.

Alii adscriptus Ordini, nec hunc accipere, nec hoc initiatus, alii adlegi potest, stante tamen penès Supremum Ordinis Magistrum libero arbitrio condescendendi ijs, qui, ex avita Gente Principum nati, hujus Ordinis Insignia expetunt.

Ex eodem supremi Magistri placito dispensari potest, licèt consultius sit, ut rarò fiat, si quis Equitum necdum decem annis, aut in Curia Electorali Bavarica servitia sua præstiterit, aut non in castris Bavaricis quatuor interfuerit Expeditionibus.

Cæterùm si quis Equitum necdum in Bavaria certam sibi sedem fixit, teneatur is intra decem annos sibi nobile Domicilium, Arcem, aut Hofmarchiam comparare.

Receptus in Ordinem faciet per annum Novitiatum, atque in hujus initio quinquaginta aureos ærario Ordinis persolvat. Qui verò Principes hunc Ordinem, non tamen Ordinis Commendaturas, aut alia beneficia expectant, Novitiatu immunes erunt.

Commendatorum quivis Commendaturæ suæ primi anni redditus dicto ærario remittet, qua lege & ipsi Magni Priores, ac Magnæ Crucis Equites tenentur, primi cujusvis anni proventibus ærario reservatis.

Annò vero Carentiæ, ut vocant, elapsò, quilibet Magnus Prior annuatim quingentos, Equites Magnæ Crucis ducentos, & Commendatores, qui Commendaturam possident, centum florenos in subsidium ærarji, & expensarum Ordinis submittet.

Solis Principibus tum Bavariæ, tum exteris supremus Ordinis Magister infra vigesimum primum ætatis annum Crucem ex placito suo appendet; reliquis ad hunc Ordinem admittis incumbit, & exteris priùs lustrâsse re-

gio-

giones, & in Aulâ supremi Ordinis Magistri saltem per annum serviisse.

Principibus, ut dictum supremus Ordinis Magister pro suo arbitrio distribuit vel magnam, vel minorem Crucem. Si, honoris ergò, non fructuum, eam requirunt, gradum tamen alium non accipient, nisi à die, quo, & in quam classem fuere recepti. Si quis verò Principum etiam Commendaturis frui gaudeat, illi hæc gratia vel ex favore supremi Magistri, quo Commendaturæ ad illius placitum recident, vel ex regula Senji in Ordine expectanda est, probata prius Gentis suæ, ut superius dictum, Nobilitate.

Eques, qui Crucem suam publicè præscripto more gestare neglexerit, eâ indignus censebitur, privabiturque, quòd si oblivione factum, uno Missæ Sacrificio, quod piis Equitum manibus litari curabit, culpam luet. Caveant autem singuli sub interminatione pænæ majoris, ne quis Crucem suam vel commutet, vel oppignoret, aut alio quovis modo despectui faciat.

Equitum Capitulo permissus Magni Cancellarji ex Equitibus magnæ Crucis delectus, stante apud supremum Ordinis Magistrum præter duo, quæ semper habet, vota, voto

Uuuuuu

deci-

decifivo. Ultra tres annos dictus Cancellarius continuari non potest, fed denuo eligi, habebitque pro folatio laborum annuos mille florenos.

Eadem eligendi Thefaurarium Ordinis facultas erit, conjunctim cum Equitibus Magnæ Crucis, Commendatoribus Ordinis, qui ærarji rationes quot annis reddat, additô ftipendiô annuo quingentorum florenorum, officio ultra tres annos pariter non protrahendo.

Atque hæc funt ftatuta principalia Magni hujus, ac præclariffimi Ordinis, cùm omnia, quæ ad caremonias in Ecclefiis diebus feftis, aut alibi obfervandas fpectant, hîc fingillatim numerare, & Equites nominare nimis longum foret; & aliàs ex impreffis paginis fati conftat.

Redeo proin ad finem difcurfûs mei, quem ut abfolvam, nil aliud fupereft, quàm vota litare ad Divam Virginem Ordinis Dominam, ac Sântum Geôrgium Ordinis Patronum, ut fuo præfidiô confervent Sereniffimum zelum, Ordinis Reftauratorem, cæptumque fub his aufpiciis regnum feliciffimum in longævam continuent ætatem; Auguftam verò Gentem læta perenni fucceffionis folatio producant in fæcula, quæ non meâ tantum, fed totius ad-

geni-

geniculantis Patriæ vota, & preces sunt. Vobis verò, Nobilissimi, cujuscunque Classis Equites, eâ, quâ par est, veneratione gratulor, Majorum vestrorum, ut olim facta claruere, hodie etiam Insignia ubique terrarum nosci, quasi stellas, quæ Solem comitantur. Nempe ea vestra dignitas est, ut vobis liceat supremi Ordinis Magistri Virtutes æmulari, & illius gloriam, qua major non est, vobis communem habere, postquam in Societatem tanti Principis adlecti, & quæ ipse statuit adimplere, & quæ augmento Ordinis esse possunt, ingenitâ Nobilitate accumulare volueritis, ut, ubicunque demum scutum vestrum Gentilitium fuerit appensum, illic etiam, ceu Palma floescens, æternum Stirpis, ac Familiæ vestræ trophæum immarcessibili honore subsisteret, nova inscriptione, sed debito dudum elogio :

*INTREPIDÆ VIRTUTIS,
PRUDENTIS FORTITUDINIS.*



The first part of the book is devoted to a general
 introduction of the subject, and to a description of
 the various methods which have been employed
 for the purpose of determining the true
 nature of the matter in question. The author
 then proceeds to a detailed account of the
 experiments which he has performed, and
 of the results which he has obtained. He
 concludes with a summary of his findings, and
 a discussion of the various points which
 have been raised in the course of the
 investigation.

THE HISTORY OF THE
 REIGN OF CHARLES THE FIRST



INDEX

Rerum & Verborum.

A.

| | |
|---|-----------------------------|
| Abenspergius Comes à Fraunbergio Cæsus. | f. 275. |
| Administratores Officium in Aula Constantinopolitana. | f. 397. |
| Æconomix 4. Species. Regia circa monetam : importata : exportata : & circa sumptus. | f. 279. |
| — <i>Satrapica</i> ex decimis. Metallis. Mercaturis, Pasturis. Collectis seu Steiris. | f. 288. |
| — <i>Politica</i> . circa Mercaturam. | f. 291. 297. |
| — <i>Privata</i> . circa Agriculturam. | f. 298. |
| Æmulationis, Ambitionis, Avaritiæ mala. | f. 339. 340. &c. |
| Affectus animi quibus agitatur. | f. 328. |
| Agriculturæ utilitas. | f. 298. & seqq. |
| Alberti Andechsi præclara victoria. | f. 492. |
| Albertus Pius, cur sic vocatus ? | f. 304. 314. 317. 320. 321. |
| — recusat Coronam Boëmiæ. | f. 176. |
| — ejus moderatio in præceptâ sibi Hæreditate ab Henrico Landishutano. | f. 177. 310. 311. |
| — ejecit Judæos Monachio & Bavaria. | f. 295. 317. |
| — extirpavit Latrones. | f. 320. 321. |
| — ejus fama ex amore Subditorum. | f. 111. |
| Alberti <i>sapientis</i> laus. | f. 112. |
| — ejus prudentia inter Fratrum dissensionibus. | f. 345. |
| — Cæsaris indignatio contra eundem. f. 355. &c. & reconciliatio. | f. 363. |
| — Ratisbonensis civitas se subdit Alberto : ab eodem iterum dimissa. | f. 357. 358. 362. |
| — induxit in Bavariam Dominatum unius Principis. | f. 363. 371. |
| — Bellum cum Palatino, & Pacificatio. | f. 363. 367. |
| Albertus <i>Magnanimus</i> mittit Legatos suos ad Concilium Tridentin. | f. 8. |
| — Elogium Concilij de eodem. | f. 9. |
| — ejus moderatio circa Præcedentiam, à Legato Veneto prætentam. | f. 11. |
| — aula Alberti vocatur à Cardinale Hosio <i>Schola Pietatis</i> . | f. 11. |
| — Princeps Baadensis ejus studio conservatur in Cathol. Religione. | f. 12. |
| — vocatur à Menzelio <i>Fons auri</i> . | f. 404. |
| Alexander M. coluit Venationem. | f. 83. |
| — ejus ambitio. | f. 168. |
| — ejus Patris Philippi Epistola ad Aristotelem. | f. 113. |
| Alexander Severus præ alijs amavit Litteratos. | f. 115. |
| Alphonſi III. Regis vindicta. | f. 199. |

X x x x x

Am-

A.

- Ambitio.** v. *Æmulatio.*
S. Ambrosij victoria contra Gothos. f. 392.
Amor sui, seu *Philautia*, laudabilis, & vituperabilis. quomodo temperandus? f. 329.
Andecense Castrum eversum. v. **Ludovicus I.**
Angilbertus Abbas S. Richarij. f. 31. 33.
Armorum an **Scientiarum** cultus in **Republica** præferendus? f. 428. & seqq.
Affassinorum gens quæ fuerit? f. 222.
Atheniensium ritus in **Nuptijs.** f. 168.
Avaritia. v. *Æmulatio.*

B.

- Barbara**, **Alberti** Pij filia, **Clarissa** in **Anger.** f. 395.
Basilij Imperat. monitum ad filium. f. 390.
Bavaria inutilata per **Ferdinandum I.** Imperat. f. 91. 94.
 & per **Pacificationem** cum **Palatino.** f. 367.
 — occupata à **Cæsareanis.** f. 486.
 — nunquam **Hæresi** infecta. f. 513.
Belli **Boëmici** initium. f. 448.
Belli **Ducis** qualitates. f. 430. 431.
Bellum non sine **consilio**, & **recto** fine suscipiendum. f. 57. 63. 65.
 — **causæ** **justi** belli. f. 66. **Requisita** &c. f. 68. **Tria** observanda. f. 72.
Bellum à **Civitatibus** contra **Principes.** f. 261.
Bellum **Palatinum**, ejus **causa**, & **exitus.** f. 363. 367.
Benedictus XII. non audeat **Ludovico** Imperat. *bene facere.* f. 235.
Bërchtsgaden. v. **Maximilian. I.**
Bertholdus **Dux** **Bav.** comitatur **Ferdinandum I.** Imperat. in expeditione **Hierosolymitana.** f. 15.
Bethlem **Gabor.** f. 448.
Boëmiæ **Règnum** **hæreditarium** declaratur. f. 451.
Bognerus occisus à **Duce** **Christophoro.** f. 350. 354.
Bomgartnerus, **Legatus** ad **Concil. Trident.** f. 8.
Bullionius. v. **Godefridus.**
Bundschuech. v. **Eccardus.**
Burcardus (**Franciscus**) v. **Quadriga.**

C.

- Calmünza** **Bavariæ** crepta. f. 367.
Canis **fidelitas** amatur. f. 467.
P. Canisius. f. 513.
Carcus (**Petrus**) f. 150.
 CA-

C.

| | |
|---|--------------------|
| CAROLUS ALBERTUS Elect. | |
| — præfens expugnationi Belgradi. | f. 517. |
| — Restaurator & novus Fundator Ordinis Equestris Immac. Concept. B. V. M. & S. Georgij. | f. 507. 514. 516. |
| Carolus Boëmiæ Rex. | f. 236. |
| — ejus odium in totam stirpem Ludovici Bav. Imperat. | f. 259. |
| — dictum de eodem Maximiliani I. Imperat. | f. 260. |
| Carolus Magnus. Ejus Religionis zelus. | f. 27. 28. &c. 31. |
| — declaratur Protector & Advocatus Ecclesiæ per traditionem Clavium. | |
| f. 32. non tamen Dominus. | f. 33. |
| — ejus liberalitas in S. Sedem f. 34. & Privilegia vicissim à S. Pontif. collata. | f. 35. |
| — ejus filij. | f. 36. |
| In Carolo M. quomodo Imperium in Germanos translatum. | f. 37. 38. 39. |
| — ejus Legata 21. Ecclesijs Metropolitanis testamento relicta. | f. 41. |
| — erectio Academiarum Ticinensis & Parisiensis. | f. 43. 44. |
| — ejus Bella & Victoriæ. | f. 28. 29. 44. 45. |
| — ejus laus ex zelo Religionis. | f. 109. |
| Catonis pietas. | f. 277. |
| Census annui non reputantur Usuræ. | f. 296. |
| Christophori D. B. mira fortitudo. | f. 111. |
| — liberat Maximil. I. post Imperatorem, à manu Belgarum. | f. 152. |
| — ejus cum fratre Wolfgano turbulentix contra Albertum Sapientem. | f. 348. usque 355. |
| — Proceres ab eo occisi. | f. 350. 354. |
| — Lubinensis Dynasta ab eo cæsus. | f. 493. |
| — expugnat Albam Regiam contra Hungaros. | f. 495. |
| — probatur fuisse antiqui Ordinis S. Georgij. | f. 525. |
| — ejus mors. | f. 371. |
| Christophorus D. B. Rex Daniæ, Succix & Norvegiæ. | f. 178. |
| — ejus facta. | f. 179. & seq. |
| CLEMENS AUGUSTUS Elect. Col. | f. 408. |
| Clemens V. Ludovico Bav. Imperat. adversus. excitat Carolum Boëmum contra illum. | f. 236. |
| Clofnerus (Joannes) v. Equites Boij. | |
| Collectæ qua moderatione exigendæ. | f. 289. 291. 316. |
| Colonienfium Electorum ex Domo Bav. pietas. | f. 408. |
| Commercium Salis. | f. 295. 296. 440. |
| Comites Schyrenfes. | f. 75. 91. 95. |
| Concilij Toletani edicto nullus toleratur in Hispania nisi Orthodoxæ Religionis. | f. 2. |
| Concilij Tridentini laus de zelo Religionis Domûs Bavar. | f. 9. |
| Concordia fratrum, Ducum Bav. in Bello : discordia in Pace. | f. 258. 267. |
| Cunegundis Alberti Sapientis Consors. | f. 357. |
| Conradus Wittelspach. Archiep. Salisburgen. Cardinalis. | f. 443. |

C.

| | |
|---|------------------|
| Consiliarij in re militari quinam reiiciendi. | f. 60. 61. 62. |
| — quales esse debeant. | f. 93. |
| — quomodo tentati à Principe Oretopiano. | f. 61. |
| Constantinopolis olim vocata Civitas Virginis Mariæ. | f. 514. |
| Continentia Socratis. | f. 277. |
| Corona. M. Antonij, & Regis Antigoni Sententiæ de eadem. | f. 139. |
| Corona Australis Sidus. | f. 162. 164. &c. |
| P. Covillonius (Joannes) S. J. Legatus ad Concil. Trid. | f. 8. |
| Cruciata pro Terrâ S. | f. 15. 519. |
| S. Crucis reverentia à Tiberio Augusto. | f. 379. |

D.

| | |
|---|--------------|
| Degenbergius, Hussita, Baviarâ ejectus &c. | f. 349. |
| Diligentia Themistoclis. | f. 277. |
| Discordia fratrum in Pace, & Concordia in Bello. | f. 258. 267. |
| Divitiarum vanitas. | f. 331. |
| Dresser, A catholicus, quomodo scribat de Crucciata Herosolymitana. | f. 16. |

E.

| | |
|---|------------------|
| Eccardus Comes Schyrensis, vulgò Bundschuech, vel Peronatus dictus, abiit in Palæstinam. | f. 16. 129. 519. |
| Ecclesia est media inter cælum & infernum. In uno horum erit, qui extra Ecclesiam est. | f. 4. |
| Ecclesia B. V. M. vulgò Grufft, in loco Judæorum ejectorum erecta. | f. 317. |
| Eckius (Leonardus) v. Quadriga. | |
| Electorum & Principum Imperij Privilegia ineundi fœdera cum exteris, salvis Imperij juribus. | f. 456. 478. |
| Electo Moguntinus, Magni Ordinis Teutonici Magister. | f. 506. |
| Electricis Theresiæ Cuncgundæ gesta durante Bello. | f. 485. 486. |
| Equites Boij, à Maximiliano, Rege Rom. ad Albam Regiam creati : Albertus Rechberg. Georg. Rosenberg. Joan. Closner. Sifrid. Törning. Otto Oberhamer. Wolfg. Weichs. Joan. Schubaz. Georg. Peuscher. Joan. Holzfattel. Caspar. Schenk. | f. 595. 524. |
| Equestres Ordines. v. Ordines. | |
| Ericus Dux Foroiuliensis. | f. 30. |
| Ericus Pomeranus. | f. 179. |
| Ernestus à Patruo Stephano ditione Monacensi ejectus. | f. 268. & seqq. |
| Ernestus Coloniensis Archiepiscopus & Elector. | f. 408. |

F.

F.

| | |
|--|--------------|
| Fabritij fides: | f. 277. |
| Fædera cum exteris ineundi jus. | f. 456. 478. |
| Ferdinandus D. B. filius Alberti Magnanimi. | f. 405. |
| Ferdinandus D. B. filius Maximil. Emmanuelis. interfuit expugnationi Belgradi. | f. 448. |
| Ferdinandus II. Imperator. | f. 277. |
| Fides Fabritij. | f. 18. |
| Francisci I. Fædus cum Turcis. | f. 275. |
| Fraunbergius cesor Abenspergij. | f. 353. |
| Friderici indignatio contra Albertum Sapientem. f. 355. &c. & reconciliatio. | f. 258. 267. |
| Fridericus D. B. frater Joannis & Stephani. | f. 259. |
| —— adhibitus Arbitr à Carolo IV. | f. 263. 264. |
| —— ejus laus à Regibus Gallix Carolo V. & VI. | f. 275. |
| Fridericus à Vacua pera. Princeps Tyrolis. | f. 450. |
| Fridericus Palatinus, proclamatus Rex à Boëmis. | f. 452. |
| —— ejus qualitates. | f. 457. 458. |
| Fridlandus Dux, seu Walsteinus, occisus. | f. 277. |
| Frontonis gravitas. | |

G.

| | |
|---|-------------------|
| Gabellæ. v. Collectæ. Tributa. Vectigalia. | f. 454. |
| Gallix status sub Ministris Luynæo, & Richelio. | f. 405. |
| Gebhardi Truchsesij, Apostatæ, facinus contra Ernestum & Ferdinandum Duces Bav. | f. 363. 365. 367. |
| Georgij Divitis Landishutani, Testamentum, causa Belli Palatini. | f. 520. |
| S. Georgij Ordo. v. Ordines Equestres. | f. 504. 519. |
| —— ejus Sodalitium antiquissimum. | f. 277. |
| Godefridus Bullionius Equitum Hierosylimitanorum Author. | f. 317. |
| Gravitas Frontonis. | f. 367. |
| Grufft. Ecclesia B. V. M. | |
| Guilielmus. v. Wilhelmus. | |
| Gundelfinga Bavarix crepta. | |

H.

| | |
|--|---------|
| Haslangerus Supremus Castrorum Præfectus. | f. 446. |
| Haidenheimium. Helensteinia. ex ditionibus Bavarix Duci Wirtenbergico cessa. | f. 308. |
| Henricus Dives. D. B. | f. 309. |
| Henricus III. Rex Gall. | f. 18. |
| Herculis vires. | f. 111. |

X y y y y y

Her-

H.

| | |
|--|---------|
| Herfpnuk à Bavaria in Norimbergenfes translata. | f. 368. |
| P. Hieronymus Torrenfis Soc. Jef. | f. 13. |
| Hildericus ultimus ex Stirpe Mærovingorum. | f. 27. |
| Hispania, nullum tolerat nifi veræ fit Orthodoxæ Religionis. | f. 2. |
| Höchftett : Hippoftain &c. erepta. | f. 367. |
| Holzfattel (Joannes v. Equites Boij.) | |
| Horatius Cocles. | f. 307. |
| Hungari ad Hunnourgium à Boijs cæfi. | f. 468. |
| Hunnorum fubmillio. | f. 29. |

I.

| | |
|---|------------------|
| Jacobus R. Angliæ Pacificus. | f. 434. |
| Immacul. Concept. B. V. M. Ordo : | |
| Monachij ftatua, & infcriptio: ac Sodalilitia. f. 509. 510. v. Ordo S. Georgij. | f. 418. |
| Impunitas criminum ex Republicæ decadentia. | f. 437. |
| Ingolftadienfem Academiam multi Principes frequentant. | |
| Injurix. v. Vindicta. | f. 300. |
| Inventores novarum rerum pro augendo Ærario Principis. | f. 258. 267. |
| Joannes D. B. frater Friderici & Stephani. | f. 260. |
| S. Joannes de Nepomuc à Wenceslao Martyrio donatus. | f. 172. |
| Joannes XXII. fe ipfum eligit ex compromiffo. | f. 224. &c. |
| — ejus odium contra Ludovicum Bav. Imperat. | f. 336. |
| Ira triplex. acuta, amara, gravis. | f. 30. |
| Iringus. Dux Hunnorum. | f. 147. |
| Ifabella. Ferdin. Regis Conjux. | f. 295. 317. |
| Judæi. è Bavaria expulfi. | f. 317. |
| — non tolerandi. | f. 318. 319. |
| — quam perniciofi Reipublicæ Christianæ. | f. 109. |
| Julius Cæfar parcendo fubditis clarus. | f. 205. |
| — ignofcit acerrimo fuo inimico. | f. 305. 206. &c. |
| — ejus laus exinde à Cicerone. | f. 253. |
| — perijt contemnens monitum de infidijs. | |

K.

| | |
|--|--------------|
| Kizbichel, & | |
| Kueftain, per Pacificationem Palatinam Bavarix avulfa. | f. 369. 370. |

L.

L.

| | |
|---|------------------------|
| Lauinga & Lengenfelda, pariter à Bavaria ad Palatinos translata. | f. 367. |
| Leo III. quanta passus à Nepotibus Hadriani. | f. 38. |
| Leonina Societas quæ? | f. 261. |
| Leopoldi Aultrij vindicta in Angliæ Regem. | f. 200. |
| Leopoldus D. B. cum conjugè Itha abijt in Palæstinam. | f. 15. 519. |
| Litterati colendi à Principe. | f. 112. 114. 115. 302. |
| — à Michaële Balbo & Licinio Imperat. spreti. | f. 116. |
| Longanimitas Ulysis. | f. 227. |
| Lósch (Augustinus) v. Quadriga. | |
| Ludmilla fundat Parthenonem in Seelingenthal. | f. 124. |
| Ludovicus D. B. sequitur cruciatam in Palæstinam. | f. 16. 129. 519. |
| Ludovici, Otonis M. filij pietas in S. Sedem. | f. 118. |
| — ob Otonis Wittelsp. cædem Cæsaris evertit arcem Wittelspachensem & castrum Andecense. | f. 119. |
| — charus Imperatoribus, sed contra Pontificem non servit. | f. 121. |
| — occisus Kelhamij a Sicario. | f. 121. |
| — ejus elogia. Fundavit Collegium Oetting : coëmit plura bona , prædia &c. | f. 123. |
| — factus Elector Palatium Rheni in Bavariam cogitat transferre. | f. 123. |
| — à Ludmilla ingeniosè inducitur ad Connubium. | f. 125. |
| — ejus expeditio in Terra S. | f. 127. |
| — erigit Landishutum. | f. 131. |
| — & Landavium. ibid. ubi filij sui Nuptiæ cum Agnete Palatina. | f. 132. |
| Ludovici barbati, & gibbosi mors. | f. 309. |
| Ludovicus Landishutanus expellit Judæos. | f. 317. |
| Ludovici Bavari, Imperatoris, Laus à moderatione animi. | f. 109. &c. |
| — ejus electio. | f. 175. 211. 217. &c. |
| — persecutiones à fratre Rudolpho. | f. 212. &c. 222. &c. |
| — Bellum cum Friderico Austriaco ratione tutelæ. Victoria, & moderatio erga victos. | f. 215. 216. |
| — alterum Bellum : ubi Fridericus captus. | f. 219. 220. |
| — erga filios Rudolphi benignitas. | f. 223. |
| — cum Pontifice dissidentia. litteræ, responsio &c. | f. 224. 225. 226. |
| — sceleratos justè punit. | f. 139. |
| Ludovicus R. Aquitaniæ. fil. Caroli M. | f. 36. |
| Ludovicus Dux Saxo-Lauenburgicus à Rebellibus Rusticis in Austria occisus. | f. 446. |
| Ludovicus Severus D. & Elect. Bav. electionis arbiter factus , eligit Rudolphum I. Comitem Habsburg. in Imperatorem. | f. 170. 173. |
| Ludovici XI. Galliæ Regis dictum tribus Principatum fulciri. 1. Reverentia populi in Principem. 2. Justitia Principis in commodum populi. 3. Mutuo amore. | f. 243. |
| Lycurgus Lacædemoniorum legislator. | f. 109. |

M.

- Macariæ, Herculis filiæ, pietas in Patriam. f. 306.
 Manlius Torquatus. f. 491.
 Marcus Aurelius, optimus vocatus. f. 111.
 Massenhäusen à Bavaria Frisingensibus cessum. f. 308.
 Maximilianus I. Elect. nullum toleravit in Bavaria à verà Religione alienum. f. 7.
 — ejus monitum Religione. ibid. f. 19.
 — ejus Encomia à Pontificibus. f. 7. 63. 68. 302.
 — ejus monita ad filium f. 110.
 — vocabatur & erat ubique Magnus. f. 111.
 — Palatium ejus Aulicum. f. 391.
 — Laudat pietatem in Militibus. f. 410.
 — Reverentia erga Patrem. f. 410. 509.
 — pietas erga B. V. M. & Tesseræ in pugna Pragensi. f. 410. 509.
 — cum Ferdinando (post Cæsare) & fratribus, publicè portat Ingolstadij Crucifixum. f. 411.
 — Salomon Bojcus dictus. 454.
 — ejus scientia artes. f. 437. 438.
 — Donavertam occupat Imperio rebellem. f. 439.
 — lis cum Wolfg. Theodorico Archiep. Salisburg. f. 440.
 — quem fugientem capit, & Præposituram Berchtesgadensem ab ejus liberat. f. 441. 443. 444.
 — oblatam Cæsaream dignitatem recusat. f. 449.
 — fædus eum Rege Galliæ. f. 456.
 Maximilianus Emmanuel Elect. Ejus præsentia in acie quantum valuerit. f. 55.
 — ejus amor à subditis. f. 110.
 — ædificia Schleishamij, Nymphenburgij &c. f. 111.
 — laudat pietatem in Militibus. f. 391.
 — ejus Fidei datæ integritas. f. 473.
 — fædus cum Rege Galliæ. f. 478.
 — Rex Succiæ eidem gratulatur de restitutione &c. f. 474.
 — ejus Expeditiones & Victoriæ contra Turcas. f. 475. 476.
 — expugnatio Moguntia. f. 477.
 — Belgradi in assultu vulneratur. f. 476.
 — ejus gesta in Italia. Belgio. Occupatio Namurci. f. 478.
 — constantia in adversis. f. 479. 480. 481. 484. 487.
 — ejus Victoriæ occupata Ulma &c. Tyroli &c. & contraria fortuna. f. 479. 481.
 — transitus in Belgium, Galliam, & proscripção. f. 482. 483. 487.
 — ejus restitutio in suas ditones &c. f. 488.
 — creat Ferdinandum filium Equitem aurei Velleris. f. 496.
 — intendit resuscitare Ordinem S. Georgij. f. 516.
 Maximilianus I. Imperat. liberatur à Belgis per Wolfgangum & Christophorum Duces Bavar. f. 152.
 — ejus dictum de Carolo IV. f. 260.
 — Alberti Sapientis specialis amicus. f. 302.
 Mc-

M.

| | |
|---|-----------------------------|
| Mediolanum ab Ottone Witepachio expugnatum, | f. 90. |
| Mendicantes otiosi ad labores applicandi. | f. 294. |
| Mercaturæ utilitas. | f. 294. &c. |
| Metalla & Mineralia investiganda. | f. 291. &c. |
| Michael Balbus. Olor litterarum. | f. 116. |
| Militaris prudentia. | f. 430. 431. |
| Ministri plus æquo potentes cavendi. | f. 268. |
| — à Ministrorum qualitate Principis fortuna dependet, | f. 419. 420. |
| — eorum delectus, | f. 422. 423. &c. |
| — eorum dignitas. | f. 387. |
| Monachij Seditiones, & quomodo sedaræ. | f. 264. 265. 270. 273. 274. |
| Moneta sit justa, etiam cum exteris conveniens, | f. 281. |
| — nec facillè mutetur. | f. 282. |
| Monheim à Bavaria avulsa civitas. | f. 367. |
| Monozoni, Milites illustres emeriti, | f. 493. |
| Munificentia Magnificentiam Principis extollit. | f. 396. |

N.

| | |
|--|--------------|
| Neoburgum ad Danubium & ad Oenum. in pace Palatina à Bavaria avelluntur. | f. 367. 369. |
| Norimbergensibus Reichenck, Herspruck &c. ceditur. | f. 368. |
| Numa Pompilius. | f. 109. |
| Nuspergius Husita Bavariâ ejectus. | f. 349. |
| Nymphenburg à Maximil. Emman. ædificatum ; à Carolo Alberto ampliatum. | f. 111. |

O.

| | |
|---|-------------------|
| Oberhamer (Otto) v. Equites Boij. | f. 109. |
| Octaviani amor à subditis. | f. 333. |
| Orij vitium derestabile. f. 332. Ejusque varij modi & fictions. | f. 333. |
| — 335. v. Princeps. | |
| Ordines Equestres. Origo. | f. 490. |
| — Equites Cornicularij. f. 491. Torquati. ibid. Monozoni. | f. 493. |
| — eorum Dignitas. | f. 497. 499. 500. |
| — variarum gentium mos & ceremoniæ circa Ordines Equestres. | f. 493. |
| — etiam apud gentiles in honore habiti. | 498. 500. &c. |
| — Equitum Hierosolymitanorum Author. | f. 501. &c. |
| — Ordo Hospitaliorum, Templariorum, & Teutonicus. | f. 504. 519. |
| — Teutonicorum Ordo Hospitalis. S. Mariæ in Hierusalem. | f. 505. |

Z z z z z

Ordi-

O.

- Ordinis S. Georgij antiqui initium. f. 519.
 — Friderici III. Imperat. fundatio. f. 520. Bullæ Pauli II. & Julij II. f. 522.
 — ejus commendaturæ & prædia. f. 523.
 — à Maximiliano I. propagatus. f. 524.
 — Equites Boij ab eod. Maximil. ad Albam Regiam creati. v. Equites Boij.
 — S. Georgij Sodalitium antiquissimum. f. 520.
 — Ordinis Periscelidis in Anglia vera Origo in honorem Immacul. V. MARIÆ & S. Georgij ab Eduardo III. instituti. f. 528. 529.
 — in pugna Pragensi à Friderico Palatino perditæ, Maximiliano I. Bava- ro non sine omnino allata. f. 527.
 — Ordinis antiqui S. Georgij extinctio. f. 526.
 — Maximilianus Emmanuel cogitat eundem resuscitare. f. 516.
 — Ordinis S. Georgij restauratio & nova fundatio à Carolo Alberto Ele- ctore, sub titulo *Immaculatæ Conceptionis B.V.M. & S. Georgij*. f. 507. 514. 516.
 — ejus insignia. f. 514. Tessera & Symbolum. f. 515. 532.
 — Obligatio. Leges. Statuta. Ceremoniæ. Vestes. Officia. à f. 530. usque 547.
 Oretopianus Princeps ingeniosè tentat suos Consiliarios. f. 61.
 Otto M. Wittelsbachius. f. 76. Ejus Expeditiones bellicæ sub Friderico I. Imper. f. 77. 88. 90.
 — expugnatio Berthonis. f. 77.
 — ejus audacia & victoria contra Albericum ad Veronenses Pylas. f. 77.
 — occupatio Mediolani. f. 90.
 — Ducatus Bojcus eidem restitutus, sed valde mutilatus. f. 91. 94.
 — ejus prudentia in Legationibus in Italia & Constantinopoli. f. 92.
 Otto D. B. Rex Hungariæ proclamatus. f. 183. 184. &c.
 — ejus persecuciones & mors. f. 189. 190. 191.
 Otto Wittelsbachius occisor Philippï Cæsaris. f. 119.

P.

- Palatinatus in Domum Bojcam illatus. f. 120.
 — Neoburgensis erectus. f. 367.
 Palæologi fœdera cum Turcis. f. 18.
 Pauli V. litteræ ad Maximil. I. f. 20.
 Pelegrinus Puechamius Archiep. Salisburgen. capitur in bello civitatum contra Principes. f. 262.
 Periscelidis Ordo. v. Ord. S. Georgij.
 Persarum Regum exciratio à somno. f. 168.
 Peuschner (Georgius) v. Equites Boij.
 Philippi Macedonis monitum *homo es*. f. 168.
 Pienzenau (Warmundo) oppignorata erant Kizbichel & Ratenberg. f. 169.
 Pie-

P.

- Pietas Catonis.** f. 277. **Macariæ in Patriam.** f. 306.
Tiberij Augusti in Pauperes. f. 379. **Tillij Belli-Ducis.** f. 391. 392. in
Militibus laudatur. f. 391.
- Pietas triplex in Deum, hominem, & Patriam.** f. 306.
- Pipinus Caroli M. filius.** f. 36.
- Pragensium insultus contra Legatos Cæsaris.** f. 449.
- Præcedentia à Legato Veneto præsentia.** f. 11.
- Princeps** *
- absint ab eo vitia superbiæ, luxuriæ, avaritiæ : adsint verò Liberalitas,
 Magnanimitas, Autoritas. f. 382. usque 387.
 - obest, vel prodest Principi, à subditis vitio vel virtute notari. f. 452.
 - non potest cogitare quidquam abjectum, qui scit, de se semper loquen-
 dum. f. 255.
 - Affabilitas & benignitas Principis. f. 250. &c.
 - ametur & timeatur. non ex Odio, sed reverentia. f. 243. 245.
 - an, & quomodo Principi in bella eundum. f. 50. & seqq.
 - bonum ejus summum est in sola Religione propuganda & propaga di.
 f. 1. &c.
 - bonum publicum præferat privato, & erit optimus Æconomus. f. 277.
 302. 305.
 - caveat à Ministro plus æquo potenti. f. 268. à furrõnibus. f. 275.
 eligat Ministros probos &c. f. 419. 420. 422. 423. &c.
 - curæ sit ei justitia circa stipendia, Viduas, & Orphanos. f. 248.
 - debet omnia scire, non omnia exsequi; nec pænâ semper, sed sæp. us
 pænitiâ esse contentus. f. 254.
 - indignissima res Principi Odium. f. 334.
 - irasci, & non peccare, est Principis. f. 337.
 - jus nec Regni causâ violandum putet. f. 160.
- Princeps** *
- litteratos amando suæ famæ consulit, & utilitati. f. 112. 114. 115. 302.
 - munificentia Principis magnificentiam extollit. f. 396.
 - necessaria est Principi fides & veritas in promissis. f. 460. 462. &c.
 in quo omnis Sponsio pro juratâ debet esse. f. 464.
 - Officium ejus est 1. ut veram fidem habeat. 2. ut eam tueatur. 3. ut
 eam propaget. f. 3.
 - non decet eum Religionem dissimulare, aut fingere. f. 6.
 - Principem gloriosum faciunt potentia, Sapiencia, & Religiosa mens. f. 6.
 - Pietas Principi ad omnia utilis. f. 373. 378. &c. &c.
 - Princeps populi, non populus Principis causâ est constitutus. f. 304.
 - semper secum habeat Prudentiam, Politicam, & Ethicam. f. 193.
 - sumptus pro Æconomia ab ipso Principe ordinandi. f. 287.
 - venatio Principi utilis, sub certis verò limitibus. f. 81. 84.
 - vitam privatam qui Principes elegerunt. f. 169.

P.

- Preising (Conradus) Sequester in lite Subditorum Monacensium contra Principem. f. 272.
 Prudentes viri à Regibus in Comitatu habiti. f. 115.
 Pudicitia Scipionis. f. 277.

Q.

- Quadriga Bojæ salutis vocabantur. Christophorus Schvvarzenbergius. Leonardus Eckius. Augustinus Lölch : & Franciscus Burcardus. f. 403.

R.

- Ratenberga Warmundo Pienzenau oppignorata. f. 269. ad læforem translata. f. 369.
 Ratisbonensis civitas Alberto Sapienti subdita, & ab eodem dimissa. f. 357. &c. 362.
 Rechberg (Albertus) v. Equites Boij.
 Reicheneck Norimbergensibus traditur. f. 368.
 Republicæ decadentia criminum impunitas. f. 418.
 Religio. v. Bavaria. Hispania. Maximil. I. Princeps Tyrolis &c.
 Rorbeckius à Duce Christophoro occisus. f. 30. 354.
 Rosenberg (Georgius) v. Equites Boij.
 Rotenbergius Henricus. f. 275.

S.

- Salis Commercium. v. Commercium.
 Schenck (Caspar }
 Schilzbach (Joan.) } v. Equites Boij.
 Schleisham. à Maxim. Emmanuele erectum. f. 111.
 Schyrenses Comites. f. 75. 91. 95.
 — Monachi redimunt captivum Ludovicum. f. 123.
 Schvvarzenberg. v. Quadriga.
 Schvvarzenburg (Comes) }
 P. Schorichius (Georgius) Soc. Jesu. } Legati ad Princip. Baadens. f. 12.
 Scipionis pudicitia. f. 277.
 Seelingenthal. f. 124.
 Sigismundus Cæsar. amavit Proceres naturâ præclaros. f. 115.
 Sigismundus Dux Bav. regnat solus. f. 346. inchoat Basilicam B. V. M. Monachij. vixit in cælibatu, mortuus & sepultus in habitu Franciscano. f. 347.
 Socratis continentia. f. 277.
 Soin.

S.

| | |
|---|-------------------|
| Somnus, Modus excitandi à Somno Regum Persarum, | f. 168. |
| Stauffius (Hieronymus) | f. 275. |
| Stellarum nomina. | f. 164. |
| Stephanus D. B. frater Joannis & Friderici. | f. 258. 267. 268. |
| Stychio morio non fuit occisor Ludovici, | f. 122. |
| Suevicum fœdus contra Albertum. | f. 355. |
| Suffolcius (Comes) | f. 150. |
| Sulzbachium à Bavaria ad Palatinos translatum, | f. 367. |

T.

| | |
|---|--------------|
| Teutonicus Ordo. v. Ordin, Equestres, | |
| Themistoclis diligentia. | f. 277. |
| Theodolinda Garobaldi D. B. filia Regem maritum cum toto Regno longobar- dorum ad veram Fidem convertit. | f. 145. |
| Theodosij pugna miraculosa. | f. 393. |
| Tillij pietas. | f. 391. 392. |
| Tyrolensis Comitatus Alberto Sapienti in Dotem promissus, sed revocatus. | f. 357. 362. |
| —— nunquam hæresi infectus. | f. 513. 514. |
| Törring (Sifridus) v. Equites Boij. | |
| Tributa. Circa ea consideranda potestas, causa, & proportio. | f. 286. |
| —— de novis imponendis cavendum. ibid. | |
| Truchses, v. Gebhard, | |

V.

| | |
|--|------------------|
| Vectigalia, & Gabellæ, | f. 282. |
| —— emolumenta præstanda ob Vectigalium receptionem. | f. 283. |
| —— varia nomina Vectigalium. | f. 284. |
| —— classes rerum & mercium, quæ justè prohibentur inferri vel efferri. | f. 284. |
| Venatio. v. Princeps. | |
| Veneti Legati prætensa præcedentia, | f. 11. |
| Ventorum nomina & qualitates. | f. 326. |
| Vindicta. de vindicandis injurijs motiva politica, | f. 194. &c. &c. |
| —— nec omnes vindicandas, nec omnes dissimulandas snadet Ethica. | f. 197. |
| —— non dissimulatione vulpina &c. | f. 208. |
| —— exempla vindictæ in Alphonso III. Rege & Leopoldo Austriaco. | f. 199. 200. |
| ———— condonationis in Julio Cæsare. | f. 205. 206. &c. |
| Ulyssis longanimitas. | f. 110. 277. |
| Usurariorum pravitas coercenda, | f. 295. |

W.

- Walstein (Fridlandiæ Dux) occisus. f. 457. 458.
- Weichs (Wolfganus) v. Equites Boij. f. 260.
- Wenceslaus, ignavus, Imperat. f. 260.
- sub eo Martyrium passus S. Joan. Nepomuc. ibid.
- ejus Molosso discerpta Joanna Regina Conjux. ibid.
- adhæret civitatibus in bello contra Principes, & iterum recedit. f. 261. 263.
- Wetericus Rex, Arianorum fautor, occisus à populo. f. 3.
- Wiatus (Thomas) f. 150.
- Wilhelmus IV. restauravit Dachavium, Starinbergam, Clingium &c. f. 111.
- Wilhelmus V. erecto Ecclesiæ, Collègij & Gymnasij Soc. JEsu. f. 111. 400. 401. &c.
- ejus pietas. f. 395, munificentia Romæ, & Laureti. f. 396. 397.
- transfert S. Lypsana D. Benonis in Templum B. V. M. f. 398.
- evertit Monachij lupanar. f. 399.
- instituit Collegia Soc. JEsu Oettingæ, Eberspergæ, Ingolstadij, Ratisbonæ &c. f. 403.
- ejus laus à Gregorio XIII. f. 406.
- Wittrispachius. v. Ludovicus. Otto.
- Wolfgangus D. B. liberat cum fratre Maximilianum I, Regem Rom. à Belgis. f. 152.
- ejus discordia cum Alberto Sapiente. f. 348. usque 355.

X

